36
11 D
22

Digitized by Google

36.11 D.22

CLYPEVS MILITANTIS ECCLESIAE SEV DE VERO DEI CVLTV

198

LIBRI TRES.

Ad Carolum IX. Gallorum Regem Chriſtianiſsimum.

LVDOVICO MAIORANO GRAVINATE
Canonico Regulari Lateranenſi Authore.

EIVSDEM DE OPT. REIP. STATV ORATIO
Quam miſit ad Patres in Concilio Tridentino.

CVM LICENTIA SVPERIORVM, ET PRIVILEGIO
GREGORII XIII. PONT. MAX.

Bibliothecæ S. Mariæ Transpontinæ



ROMAE,
Apud Vincentium Accoltum, & Valentem Panitium Socios.
Anno Iubilei M D LXXV.

3.21. L.50

3611 D22

36. 11. D. 22

DILECTO FILIO LVDOVICO MAiorano Grauinenſi Canonico Regulari Congregationis Lateranenſis, Ordinis S. Auguſtini.

GREGORIVS PP. XIII.

DILECTE fili, Salutem & Apoſt. Ben.

Sinceræ tuæ deuotionis affectus, quem erga nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, non indigne promeretur, ut uotis tuis, illis præſertim, quæ ex religionis, & orthodoxæ fidei feruore prouenire noſcuntur, fauorabiliter annuamus, ac tibi concedamus, quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Nuper ſiquidem cum nobis liber, qui Clypeus Militantis Eccleſiæ, ſeu, De uero Dei cultu inſcribitur, à te compoſitus, oblatus fuerit, noſque eundem librum Dilecto filio ſacri Palatij Apoſtolici Magiſtro diſcutiendum, & examinandum tradiderimus, & eodem Magiſtro referente, acceperimus librum prædictum quamplurima Chriſtianæ Religionis myſteria, ac præcipua Catholicæ ueritatis, & Orthodoxæ fidei capita continere: & propterea ualde utile futurú eſſe, ſi liber huiuſmodi in Alma Vrbe impreſſus in publicum exiret. Nos, ne liber præfatus à quoquá diminutus, ſeu mendoſus imprimatur, ac in graue tui, qui pro illo imprimi faciendo, multas expenſas ſubiturus es, præiudicium, & damnum in publicum exeat, prouidere: tibiq. ſpecialem gratiam facere uolentes, tuis humilibus nobis porrectis ſupplicationibus inclinati. Tibi, ne quis in Chriſtiano orbe opus prædictum hactenus non impreſſum, & per te, ſeu tuis ſumptibus impreſſum, uel imprimendum, per Decennium poſt impreſſionem dicti operis ſine tui licentia imprimere, uendere, ſeu uenale tenere poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ubique exiſtentibus, & præſertim Bibliopolis, ac librorum Impreſſoribus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, in Terris uerò Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate, uel immediate ſubiectis etiam Quingentorum Ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & inſuper amiſſionis librorum pœnis, toties ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis, quoties contrauentum fuerit, ne intra Decennium ab impreſſione dicti operis computandum, opus ipſum hactenus non impreſſum, & per te imprimi faciendum ſine tui expreſſa licentia, dicto Decennio durante, imprimere, ſeu ab ipſis, uel alijs, præterquàm de licentia huiuſmodi impreſſum, & imprimen-

dum uendere, ſeù uenale habere, uel proponere audeant, uel præſumant, ac Mandantes uniuerſis Venerabilibus fratribus Epiſcopis, Archiepiſcopis, eorumq. Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu temporali eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ etiam Legatis, & Vicelegatis Sedis Apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus Gubernatoribus, ut quoties pro parte tua fuerint requiſiti, uel eorum aliquis fuerit requiſitus tibi efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, præmiſſa omnia, ad omnem tui requiſitionem contra inobedientes, & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, etiam illas ſæpius aggrauando, & alia Iuris remedia, auctoritate prædicta exequantur, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Nos enim irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquā quauis auctoritate ſcienter uel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua non autē per clauſulas generales idem importantes mentio, aut aliqua alia exquiſita forma habenda, ſeu ſeruanda foret, tenores huiuſmodi ac ſi de uerbo ad uerbum inſererentur præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac uice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcunque. Et quia difficile eßet præſentēs literas ad ſingula quæque loca, ubi opus eßet, deferri, Volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis, uel exemplis etiam in ipſis operibus impreſſis plenam, & eandem prorſus fidem ubiq. tam in iudicio, quam extra adhibendam fore, quæ eiſdem originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, uel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris. Die XIII. Februarij. M D L X X V. Pont. Noſtri Anno Tertio.

P. Ruis.

Io.M.Iouius.

GREGORIO XIII.
PONTIFICI
OPT. MAX.

LVDOVICVS MAIORANVS GRAVINENSIS CANONICVS REGVLARIS LATERANENSIS FELICITATEM.

CVM turbulentis,& magnis tempeſtatibus agitari Chriſtianum nauigium uiderem, te ſedente in puppi,& illius ſacrum clauum tenente, Pontifex Maxime, ſummam pietatem tuam ſuſpiciens,& maximos aſsiduoſq. labores tuos, quos pro communi incolumitate tanta charitate ſuſtines, commiſeratus: cum ipſe eadem in naui eſſem, uidens illam non parum undique procellis & fluctibus commoueri, tametſi unus ex uectoribus eſſem, nec ullum mihi a ſummis gubernatoribus in ea regenda, præcipuum munus eſſet demandatum: nolui tamen pro mea tenui parte, quod maxime ad communem omnium utilitatem, atque ſalutem facere perſpiciebam,

ciebam, prorſus omittere. Etenim quo pacto mihi ſine maximo ſcelere cauſa publica deſerenda erat, ſi ipſe ad communē commodum publicis rebus tantopere laborantibus, aliquid adiumenti afferre poſſem, & tamen aut perfide Reipublicæ damna diſſimulaſſem, aut otioſe & nequiter illius auxilia prætermiſiſſem? ad id præcipue efficiendum diuino flamine non ſemel incitatus. Mearum itaque partium eſſe duxi, ut uel unam fluctuantis Petri nauiculæ rimulam aliqua mea induſtria obſtruerem. Ad Gallicanos igitur fluctus me conuertens, qui certe maximi erant, & imminere communi exitio uidebantur, hanc illis iam tumentibus, & extrema prope minantibus, mearum uigiliarum tabellam, ne ſacra puppis inimico imbre operiretur, aut omnino diſſolueretur, obieci. Qua quidem in re illud fuit mihi præcipuum inſtitutum, optime Pontifex, ut paternarum traditionum præſtantiam, & Apoſtolicæ Sedis diuinam authoritatem in primis oſtenderem: His enim duobus explicatis, & patefactis, nihil mihi uidebatur Eccleſiæ aduerſarijs relictum eſſe loci aliquo iure amplius de cæteris omnibus eccleſiaſticis dogmatibus dubitandi. Quod quanta, aut quali & diuinorum, & humanorum teſtimoniorum ui a me ſit effectum, tuum ſit nunc, Pater Beatiſsime, & iſtius ſanctæ Apoſtolicæ Sedis iudicium: ad quod, uelut ad unicum diuinæ ueritatis ſacrarium, haſce meas, quales ipſæ cumq. ſint, lucubrationes deferendas

rendas

rendas curaui. Neque enim umquam paſſus eſſem, pro ea Chriſtiana modeſtia, quæ in omni pio & bene inſtituto pectore eſſe debet, ut hæ meæ uigiliæ aut imprimerentur, aut ad Chriſtianiſsimum Regem, cui illæ potiſsimum actæ ſunt, mitterentur, Te ſupremo rerum omnium arbitro inſciente, aut Apoſtolica Sede inconſulta. Ad ſanctiſsimos igitur Beatitudinis tuæ pedes, præmiſſo illorum ſacro atque beato oſculo, & ea, quæ ſummo Chriſti Vicario debetur, reuerentia, hi mei libelli deferuntur. In quo non alium huiuſce mei, parui quidem, ſed fortaſſe non contemnendi laboris, fructum a Sanctitate tua exopto, niſi quod ſi ad communem rem, & præſertim ſi ad tot errorũ procellis agitatæ Galliæ ſalutem facere uidentur, pro tua in chriſtianam Rempublicam prouidentia, atq. pro tua in ampliſſimam & nobiliſsimam prouinciam illam paterna charitate, & pietate idoneis miniſtris mandet, ut hæ meæ ſcriptiones, poſt Apoſtolicum de eis iudicium, tua authoritate, e ſuis latebris in commune lucem ad publicum commodum exeant, & honeſto ſuo fine non careant. Hoc namque pacto fiet, ut tot modis quaſſatæ & tantopere laboranti Galliæ, ſaltem aliqua ex parte ſubueniatur, atque me ad maiores pro catholica ueritate labores excipiendos promptiorem & alacriorem reddat Sanctitas tua, cui omnia in utroq. homine proſpera & ſecundiſsima optamus ex animo omnes, atq. precamur.

DAVID PSAL. II.

ET NVNC REGES INTELLIGITE, ERVDIMINI QVI IVDICATIS TERRAM.

SERVITE DOMINO IN TIMORE, ET EXVLTATE EI CVM TREMORE.

APPREHENDITE DISCIPLINAM, NE QVANDO IRASCATVR DOMINVS, ET PEREATIS DE VIA IVSTA.

CVM EXARSERIT IN BREVI IRA EIVS, BEATI OMNES, QVI CONFIDVNT IN EO.

INVICTISSIMO

HENRICO III AVGVSTO

ET CHRISTIANISS.^{MO} GALLIAE ET POLONIAE REGI

Ludouicus Maioranus Grauinenſis, Canonicus Regularis Lateranenſis felicitatem.

CAROLI Chriſtianiſſimi Regis, & fratris tui amantiſſimi immaturus & inopinatus ex hac vita diſceſſus, Henrice Rex auguſte & chriſtianiſsime, non tantùm Galliam omnem, ſed vniuerſam quoq; chriſtianam remp. incredibili dolore affecit. Cuius rei præclarum teſtimonium dedit chriſtiani orbis caput, & omnium gentium commune domicilium Roma:

Etenim dum iuſta Regi in ſacra Apoſtolici Palatij æde chriſtiano more ſoluerentur, principiò magnum atque profundum quoddam ſilentium ſenſim cunctorũ animos occupauit: exquò factum eſt, vt pio quodam animi motu in mortuum Regem affecti omnes in mœrore verſari, atque in mœſtitia eſſe cœperunt. Sacris deinde myſterijs, quæ ex eccleſiaſtico orthodoxæ fidei ritu ad regium funus ſpectabant, peractis; vix Gallus orator Gallo Regi eruditiſsimam illam funebrem orationem incœpit, cùm omnium aſpectus grauiſsimus, & luctuoſiſsimus viſus eſt. Et quod mirum fuit, quoties amabile Caroli IX. nomen in audientium auribus reſonabat, toties non paruo dolore ac fletu, & animi, & oculi omnium tenebantur. Vidi ego quamplurimos, ex ampliſsimo Cardinalium Collegio Patres in conſpectu omnium multas lacrymas effudiſſe. Vidi Pontificem Maximum tãtæ moderationis & conſtantiæ principem, paterna charitate permotum, in tãto caſu cohibere dolorem non potuiſſe, atque in tota illa funebri pompa quaſi maximis curis diſtractũ: ſemper, & cogitabundum, et prope immobilem, extitiſſe. Vidi inter cæteros Chriſtianorum principum oratores, qui tum ſummo Pontifici ex more aſsiſtebant,

bant,

bant, Chriſtianiſsimæ Maieſtatis Legatum ſæpe ac ſæpius prout intimus animi dolor foras per vim erumpebat, dexteram fronti apponentem, vultumq́ manu tegentem, ne ſua facies ex nimio luctu deformis in tanto conſeſſu appareret. Nemo denique fuit, ſiue Italus, ſiue Germanus, ſiue Gallus, ſiue Hiſpanus, ſiue Polonus, ſiue cuias, aut quiſquis ille fuerit, qui indignam & intempeſtiuam Caroli mortem æquo animo ferre potuerit. Et certè non ab re omnes in luctu & mœrore fuerunt: quandoquidem Christiana reſp. eum Regem amiſerat, qui adhuc puerulus, & prope infans, pro diuinis legibus aduerſus impios priùs bellare cœperat, quàm loqui: priùs arma tractare, quã formare verba: priùs gladio, quàm lingua vti. Qui Gallicani imperij Maieſtatem in tanta rerum omniũ confuſione ad poſteros ſuos illæſam, & inuiolatam tranſmiſit. Qui Catholicæ fidei veritatem, & integritatem, atque priſcæ Religionis caſtitatem & ſanctitatem in tot hoſtilibus populorum ſuorum defectionibus, & incurſionibus ſumma animi magnitudine atque conſtantia ſemper purè & incorruptè ſeruauit. Qui demum in tanto, & tam vario atque periculoſo tot prouinciarum ſuarum tumultu nũ-

quam uictus, ſemper autem victor apparuit, atq; extitit. Hæc, optime & præſtantiſsime Rex, fuit, & quidē iuſta publici doloris cauſa: quæ eadem ſingulari magni Dei beneficio fuit etiā non multò poſt, & incredibilis lætitiæ, & ſummi gaudij ſeminarium. Te namque in demor tui fratris Caroli IX. locum ſuffecto, dici non poteſt, quanta rerum mutatio facta ſit, & quæ hilaritas publica ſit ſubſecuta. Nam Chriſtiana reſp. & præſertim Gallia, quæ ob domeſticas ſeditiones, Caroli IX. morte ad magnam aliquam calamitatem depulſa videbatur, Henrici III. ſucceſsione recreata, ſe ſe ſtatim ad libertatem & gloriam erigere, & magno, atque excelſo animo eſſe cœpit. Reuocabat enim in memoriam ſuam Maieſtatis tuæ virtutem inuictam, & inſignia, & fortia illa facta, quæ in toto illo Galliæ tumultu aduerſus publicos hoſtes, & ſanctæ matris Eccleſiæ perduelles, dum regias fratris partes, & ſanctiſsimam catholicæ fidei cauſam tuebaris, tanta cum laude atq; omniū admiratione effeciſti. Quo factum eſt, vt mor tuo Sigiſmundo Poloniæ Rege, illius Regni proceres ad præclaram tui nominis famam excitati, inter cæteros omnes chriſtianos principes, qui tum videbantur competitores, miro bonorum

omnium

omnium conſenſu atque applauſu, Te in ſuum Regem elegerint: haud dubij fulgentem gladium tuum non minus futurum eſſe Polonis, quàm fuiſſe Gallis ſalutarem. Quod cùm omnes magna totius Poloniæ felicitate in dies magis ac magis experirentur, en ad paterni regni ſucceſsionem ob fratris mortem, nec opinatò reuocaris: vt Te iterum Gallia, quæ tuis illuſtribus et generoſis, immo heroicis & prope diuinis factis tantum debebat, non ad imperium modò, ſed ad triumphum læta exciperet. Quamobrem de Regno in Regnum tanta cum gloria deductus, ambobus, nempe Gallis primò, deinde Polonis ſummum tui deſiderium reliquiſti. Quod profectò paucis admodum ex priſcis Regibus, & ex ijs maximè, qui populorum applauſu, aut fauore procerũ ad externa regna vocati ſunt, accidiſſe, ex omnium annalium monimentis nõ obſcurè conſtat. Sed hæc in maius theatrum, & in tempus magis idoneum reſeruanda ſunt.

Nunc ad Carolum redeo, cuius ego ſpectatiſsimæ virtuti, & incorruptæ religioni cùm eſſem ex animo atque ſummoperè addictus, videns Galliam tot pernicioſis Hæreticorum incendijs conflagrare, omni ope nonnullis meis lucubrationibus curare ſtudui, vt ne minimus quidem te-

terrimi

terrimi et exitialis, ne dicam tartarei illius fumi odor ad regias et caſtiſsimas eius nares perueniret: non aliam Maieſtati ſuæ quàm certiſsimam paternarum traditionum antidotum, & præclariſsima maiorum ſuorũ exempla proponens. Quæ duo quidem ſacro diuinorum oraculorum teſtimonio roborata, optimum & ſalutare quoddam medicamentum, atque diuinã quandam panaceam ad ueram animorum incolumitatem efficere nulli dubium eſt. Hinc dictos libros Clypeus Militantis Eccleſiæ, ſeu, de vero Dei cultu inſcribere placuit. Nã bellicus Clypeus, & verus Dei cultus eò præſertim ſpectare videntur, nimirum, vt inſanos perditorum hominum conatus, & vanas de religione ſententias, atque aniles ſuperſtitiones reijciant. Verùm Carolo ex hac in meliorem vita ſublato, Tibi, Henrice, auguſto & chriſtianiſsimo Regi, meus qualis hic cumque eſt, paruus labor cum Gallicani regni hæreditate debetur. Ad quem enim regnum, ad eundem etiam regni iura pertinere neceſſe eſt. Quamobrem cùm omnia illius iura in Maieſtatem tuam tranſlata ſint, meritò catholicus hic meus Clypeus, quo Carolus frater ſuo quodam præcipuo iure vti debebat, tuo potentiſsimo brachio ad populorum tuorum, atque

etiam

etiam ad totius Eccleſiæ tutelam, vt fuit vetus ac perpetuum omnium Gallorum Regum inſtitutum, aptandus eſt. Immo verò cùm omnia Caroli aduerſus reipub. hoſtes egregiè facta ſub tuis feliciſsimis auſpicijs, hoc eſt, Te duce & moderatore geſta ſint, maximè conſentaneum eſt, ac neceſſariò reſtat, vt Te etiam Carolus ſimul & regni, & laudum ſuarum hæredem, & ſucceſſorem relinquat: ea tamen indiſſolubili perpetuòque inuiolata fraternæ charitatis lege, nēpe, vt ipſe quoque apud poſteros, & apud omnem æternitatem ſua merita laude non careat. Hincq; nimirum factum eſt, vt ad Caroli IX. memoriam ſempiternam de ijs, quæ in toto hoc opere ad ipſum ſpectare videbantur, nihil immutatum, aut imminutum ſit. Neque enim fas eſſe duxi, vt mortuo Carolo, cui in primis ob tumultum Gallicum libri reuera ſcripti erãt, abraſo poſtea & obliterato eius nomine, & viui alterius cuiuſuis principis, adulantium more, fortunam ſecutus, veritas hiſtoriæ corrumperetur. Alacri igitur animo Maieſtas tua, Henrice Rex generoſiſsime, & inuictiſsime, patiatur, vt Clypeus hic meus ad Carolum mittatur, & tamen tuus ſit: exquò ille huius facti nomen, Tu verò rem ipſam conſequaris. Vt quemadmo-

admodum idem fuit ambobus regnum, & eadem fides: ita quoque eadem laus, atque eadem gloria ſit vtrique communis. Deus auguſtam & chriſtianiſsimam Maieſtatem tuam, vt cupis, fortunet quamdiutiſſimè, ac perpetuò tueatur.

Traditio eſt, nil amplius quæras.



ILLVSTRISS.^MO^ PRINCIPI
ANTONIO PERRENOTO GRANVELLANO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
Ampliſsimo, ac ſummo, & incomparabili Neapolitani Regni Præfecto,

LVDOVICVS MAIORANVS GRAVINENSIS CANONICVS REGVLARIS
Lateranenſis Felicitatem.

QVAE ſint noſtrorum temporum calamitates, Princeps inclyte, non modo Chriſtiana Reſpublica Othomannorum armis tãtopere debilitata, ſed ipſa etiam ſacra catholicæ ueritatis diſciplina, & ipſamet tot prauarum ſententiarum contagione apud Hæreticos labefactata Religio oſtendit. Etenim illam tot chriſtianarum urbium, atque regnorum direptionibus in Oriente Mahometani; hanc uerò tot catholicarum nationum, & prouinciarum à uera fide defectionibus in Aquilonis partibus Hæretici fœdauerunt: & niſi præpotentis Dei manus, quæ miſeris diuinam opem piè implorantibus, præſto eſt, PHILIPPVM Regem noſtrum, non

 ſecus,

ſecus, ac Gedeonem, aut Dauidem, ſeu Machabæos fratres, ad populi ſui tutelam excitaſſet: nunc profectò, uel de tota ferè christiana Republica actum eſſet; uel certè bona illius pars in maximis rerum aſperitatibus, & in ſummis anguſtiis uerſaretur. Quandoquidem hic ipſe uerè Catholicus, & Religioſiſſimus Princeps, non tantum claſſem ſuam omnem, & unicum, atque chariſſimum fratrem ſuum IOHANNEM Auſtriũ ad reprimendos, & retundendos potentiſſimorum Chriſtiani nominis hoſtium impetus expoſuit, & obiecit; uerum etiam cunctas uniuerſorum regnorum ſuorum copias, patrimonium ſuũ totum, & opes ſuas omnes animo libentiſſimo ad commune Chriſtianorum commodum ſemper, ut nunc maxime defert, effundit, collocat, detulit, atque effudit, & in ſalutem Reipublicæ collocauit. Quò factum eſt, ut, & Belgarum motus aduerſus Religionem, & Turcarum conatus aduerſus Rempublicam eximia ipſius pietate, & inuicta uirtute non parum repreſſi ſint. Quod uerè heroicum, & ſanctiſſimum facinus utinam & reliqui quoque chriſtiani Principes fuiſſent imitati: atque non ſpecioſis tantùm uerbis, aut fictè, ſed ex animo omnes, atque re ipſa conſectarentur. Nam quemadmodum numeroſiſſima, & inſtructiſſima Turcarum claſſis tam citò, & tam facilè ad Naupacteum ſinum, quas Echinadas inſulas appellãt, nuper à Chriſtiano milite fuſa, & capta eſt: ita etiam illorum regna, quæ olim noſtra erant, eſſent nunc uictricibus chriſtianorum armis maiori ex parte expugnata, atque recepta; & tota ſaltem Europa eſſent iam Othomannorum ſatellites, atque mancipia à noſtris Ducibus feliciſsimè pulſa, nec uicti iterum inſtaurata claſſe nunc tàm ſuperbè ſuo barbarico more in uictores inſultarent. Sed quoniam diuinum arcanum humana inueſtigatio conſequi non poteſt, & conſilia ſuperum humanæ mentis aciem effugiunt, atque Deorum immortalium penetralia ſuapte natura ægris mortalibus impenetrabilia ſunt: idcircò publici rerũ euentus diuinæ uoluntati aſcribendi ſunt, & quæcunque in hac communi cauſa ſiue proſpera, ſiue aduerſa acciderunt, diuino nutu accidiſſe putandum eſt. Quamobrem unicuique in Dei lege rectè inſtituto, poſthabita omni

humana

humana ratione, quæ plerumque nos miſeros decipit, omnibus in rebus, in uno tantùm Domini ſenſu conquieſcendum eſt, & in utraque fortuna ſemper cum præſtantiſſimo illo uate dicendum: Fiat, ut uiſum eſt Superis. Cæterùm quod ad rem noſtram attinet, Princeps Illuſtriſſime, quãdo Chriſtianorum ſcelera uſque adeo diuinam iram prouocauerunt, ut illos iuſtum Dei iudicium in media luce cæcutire pateretur, quamobrem factum eſt, ut diſſoluto tam præclaro Chriſtianorum Principum fœdere, & corrupta, quæ in primis diuina ope ad Græciæ fauces aduerſus communes hoſtes tam feliciter parta erat, nauali uictoria, atque poſthabitis publicis, & communibus rebus, ſinguli tàm fœdè, & tàm impiè ſuis dumtaxat commodis ſtudere uiderentur, exquò graſſantibus undique & Reipublicæ, & Religionis hoſtibus, omnia in peius in dies magis ruitura uidebantur: id propter cùm ego Chriſtianam Rempublicam tàm prauè affectam, & non uno morbo laborantem uiderem, ac illius tàm miſerè languentis huiuſmodi querulas uoces meis auribus quotidie perſonãtes audirem: Heu, undiq. diuexor, atque laceror, amicis, & inimicis inuiſa: illius uicem miſeratus, meique officij non immemor, ne tantæ ciuitatis, & Reipublicæ aut iners, & otioſus, aut nihil meritus, & inofficioſus ciuis eſſe uiderer: ſtatui, omnia quæcumque in me erãt auxilia, pro illius ſalute, & incolumitate non prætermittere. Verùm quia ſacræ militiæ aſcriptus, rem ferro aggredi non dabatur (quod ſi etiam daretur, quid unius Sacerdotis uires aduerſus tot, & tantos hoſtium motus ualerent?) pro gladio ferreo, gladius ſpiritus, hoc eſt, uerbum Dei, mihi ſumendum fuit. Vt potui igitur in tot meis occupationibus, & oneribus publicis, abſolui tres illos de uero Dei cultu libros, quos urgente Vgonothorum aduerſus Religionem in Gallia tumultu, ea ratione incœperam, ut præſtantiſſimo Iuueni Chriſtianiſſimo Gallorum Regi CAROLO IX. non modo occultis domeſticorum hoſtium inſidijs circumſcepto, ſed publicis etiam nõnullorum Regulorum ſuorum defectionibus agitato animos adderem, atque aliquo adiumento eſſem. Intelligebam enim eundé ipſum Religioſiſſimum, & Chriſtianiſſimum Principem

 Paternæ,

paternæ, & auitæ dignitatis, & pietatis hæredem, dum ſuſceptum Catholicæ fidei patrocinium, more omnium maiorum ſuorum, aduerſus Religionis hoſtes, generoſiſſimè, & conſtantiſſimè ſuſtinere conaretur, in maximo, & Regni, & uitæ, & fidei quoque amittendæ diſcrimine uerſari. Huc namq. quam maximè ſpectabant Hæreticorum motus, ut uel ui deuicto, uel blanditijs ſeducto Rege, illum à Catholica fide auerterent, & in perniciosiſſimam ſuorum dogmatum ſententiam, uel potius amentiam traherent: atque hinc poſtea uniuerſa Gallia à uera Religione deficeret, & ipſorum cupiditatibus, & impietatibus deſeruiret. Quod ne perditis illis hominibus è ſententia ſuccederet, dictos libros eidem Regiæ, & Chriſtianiſſimæ Maieſtati deſtinare, atque dirigere decreui: in quibus ea potiſſimum inſerere ſtudui, quæ conditas aduerſariorum inſidias detegerent, & publicos illorũ conatus irritos redderent. Quod equidem ſingulari Dei fauore adiutus, ita effeci, ut mei me conſilij, & ſuſcepti pro Chriſtianiſſimo Rege, immo pro uniuerſa Chriſtiana Republica laboris numquam pœnituerit: ſiquidem libri ita exierunt, ut non modò ad unius tantùm Gallicanæ prouinciæ, & Chriſtianiſſimæ Maieſtatis, pro qua in primis elaborati ſunt, utilitatem; ſed ad uniuerſorum quoque Chriſtianorum Regum, atque Regnorum, & populorum commodum, atque ſalutem edi poſſe uiderentur. Hinc nimirum illis titulis notati, & inſcripti ſunt: Clypeus militantis Eccleſiæ; ſeu, De uero Dei cultu. Nam quis uerior Dei cultus, quàm ea de Deo, & de Religione ſentire, quæ à ſanctiſſimis maioribus noſtris tàm Deo charis, & acceptis hominibus quaſi per manus tradita ſunt nobis? Et quis potentior Clypeus ad proſternendos omnes religionis hoſtes, & ad reijciendos cunctos catholicæ fidei aduerſariorum ictus, quàm ſancta, & diuina paternæ traditionis inſtitutio, quæ à Chriſto, ad Apoſtolos; ab Apoſtolis, ad Doctores, & patres; à Doctoribus & patribus, ad nos per idoneos miniſtros, & teſtes, nec ſine Sancti ſpiritus ſingulari ductu, ſemper incorruptè tranſmiſſa eſt? Vt omittam præclara, & miranda, quæ de fabuloſis illis priſcorum Heroum Clypeis finxit antiquitas: quæ fortaſſe non ineptè huic noſtro ſacro

cro

cro & Catholico Clypeo accomodari poſſunt. Nam ſi Veneris Clypeus, qui à Vulcano fabricatus, ad Aeneam delatus eſt, res à poſteritate ſua ſtrenuè gerendas, habebat depictas: nimirum, ut ait Poeta, Res Italas, Romanorumq́ue triumphos, atque genus omne futuræ Stirpis ab Aſcanio, uenturaq́. in ordine bella: & hic quoque noſter Clypeus diuinæ, Apoſtolicæ, & Paternæ traditionis ueritatem, & hiſtoriam continet, enarratque Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ labores, atq. triumphos, & perpetua catholicorum Patrum trophæa aduerſus Hæreticos. Præterea ſi Pelta & Ancile illud Numæ, quod è cælo delapſum, fuit tunc infirmæ urbi, atque uſq. adeo inclementia aeris languenti & ſæua peſte laboranti Italiæ toti ſalutare: Et hic noſter Clypeus lethalem hæreticæ contagionis luem propellit & diſſipat, atq. ſalubrem Catholicæ ueritatis auram, & uitalem orthodoxæ diſciplinæ lucem promittit & affert. Demum, ſi Palladis, & Atlantis Clypei, ne dicam Achillis & Perſei ea eximia, & mirabili uirtute præditi erant, ut illos detectos aduerſarij ſuſtinere non poſſent: & hic Clypeus noſter à ueritatis oppugnatoribus utique ſuſtineri non poterit, ſi ijdem, demiſſo pertinaciæ uelo, illum placidè ſpectauerint, & æquo animo, ut par eſt, ſe à Catholica luce illuminari, & in diuinis præceptis ad ſanctiſſimorum maiorum noſtrorum inſtituta erudiri patientur. Immo hunc noſtrum Clypeum tantò illis præſtantiorem eſſe affirmandum eſt, quantò animam corpori præſtare ſcimus. Illi enim ad corporis tutelam efficti ſunt: hic uerò ad animi robur, & incolumitatem adhiberi poteſt. Illi ad inanem quandam rerum humanarum oſtentationem ſpectare uidebantur: hic autem ueram, & ſalutarem rerum diuinarum notitiam, atque poſſeſſionem, & omnem æternitatem reſpicit. Illi denique corporis hoſtes, id eſt, homunciones commentitijs, & adumbratis quibuſdam imaginibus, & laruis: hic uero hoſtes animi, id eſt, gigantes ſuo uitali, & præpotenti lumine proſternit. Quibus omnibus in eam ſpem adducor, ut facilè credam, omnes quoſcumque hic noſter Clypeus ſuo præſidio munierit, nullis unquam obſtruſis Hæreticorum inſidijs, aut decipi, aut opprimi poſſe: ſi-

quidem

quidem in ipſo illorum fallaciæ & latibula aperiuntur, artes explicantur, inconſtantia panditur, illorum dogmata eſſe ueterum Hæreticorum figmenta demonſtratur, millies exploſas eſſe illorum ſententias: demum Hæreticos omnes eſſe Christianæ Reipublicæ ciues perditos, & filios ac milites deſertores, & ab Eccleſia catholica defeciſſe. Contrà uerò in eodem hoc Clypeo apoſtolicorũ Patrum ſanctiſſimi mores exprimuntur, Catholicæ ueritatis ab hæretica prauitate internoſcendæ certiſſima amuſſis, & regula datur: Quæ ſit uera Eccleſia deſcribitur: Quòd illius doctrina, ſit doctrina Apoſtolorum: Quòd eadem numquam à diuino flamine deſtituatur: Quòd omnibus ſeculis à Chriſto paſſo ſemper fuerit ſacroſancta Conciliorum Oecumenicorum authoritas, & hæc eadem ſemper fuerit hæreticis inimica: Quòd poteſtas præfectorum Eccleſiæ, ſit poteſtas Chriſti: Quòd omnes catholici Principes ſemper ſacros proceres, tamquam Chriſtum uenerati ſunt, & ſuſpexerunt: Quòd qui ab Eccleſia, uel à Petri ſucceſſoribus deficit, à Chriſto deficit: Quòd uniuerſi chriſtiani Principes, qui aliquo modo à Catholica pietate, & ſucceſſione deſciuerunt, tandem ad unum omnes miſerè perierunt. Hæc, & huiuſmodi alia, quæ in principio operis ſummatim in unum collecta, ad lectoris cõmodum præpoſita ſunt, non inualidis certè ſacrarum literarum, & catholicorum Patrum ſententijs firmata, in hoc noſtro Clypeo quilibet inſpicere poterit, & fortaſſe non ſine magna lectoris utilitate, ſiue catholicus, ſiue hæreticus ille fuerit. Nam ſi erit hæreticus, quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Dominus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Si uero catholicus, cui dubium eſſe pòteſt, eundem his meis monitis in catholica ueritate, & firmiorem, & conſtantiorem futurum? Quo circà forſan non eſſet ab re, ſi quemadmodum hic noſter liber inſcribitur, Clypeus militantis Eccleſiæ: ita etiam catholici Reges & pij omnes, qui in catholica Eccleſia militant, hoc noſtro myſtico, & ſacro Clypeo, tamquam firmiſſimo quodam umbone atque præſidio contra omnem Hæreticorum perfidiam munirentur, & ut alij ſe munirent, omni ope, & ſtudio curarent. Etenim qui in fide infirmi ſunt, firmarentur, & fortes fortio-

res

res euaderent, atque in paternis inſtitutis conſtantiſſimi eſſent. Sed hæc mea uota diuinæ prouidentiæ relinquãtur, in cuius po tentiſſimo nutu ſunt corda Regum, & ad quodcunque uoluerit, uertet ea. Hæc de cauſa, quæ me ad ſcribendum impulit, ac de utroque operis titulo, & de libri huius non contemnenda utilitate dicta ſint ſatis. Quibus unum illud addi poterat aduerſus moroſos quoſdam noſtri temporis homines, qui cùm ipſi nihil agant, nihil tamen eſt quod non carpunt, & ut inſignes alienarum laudum, atque laborum obtrectatores ſeueriſſimè in aliorum facta Ariſtarchum agunt, me non ea ratione hos libellos conſcripſiſſe, ut illis morem gererem, quibus neque ſtatua Polycleti, neque Ciceronis orator, neque ipſe Demoſthenes ſatisfacit: talibus enim & ipſe Iuppiter plerumq. diſplicet. Sed ea mente me in hanc arenam deſcendiſſe, ut ipſe pijs tantùm, & modeſtis hominibus facerem ſatis. Præcipuè autem, ut ſimplicibus, & ſeminudis illis commilitonibus noſtris, qui in Agone catholicæ fidei pro paternis, & diuinis Legibus aduerſus perditarum ſectarum homines contendunt, hoc meo Clypeo opem aliquam afferrem. Quandoquidem qui ſolaribus dumtaxat radijs, Aquilarum more delectan tur, ij profectò non intelligunt, quantùm ſubobſcurum Lunæ, & Stellarum lumen ad conſequendas aduerſus etiam potentiſſi mos hoſtes uictorias aliquandò ualuerit: nec animaduertunt, quòd drachma illa euangelica non ad clariſſimam Phœbi facem, ſed ad modicum lucernæ lumen inuenta fuerit. Sed cùm mortalia numquam reprehenſore careant, relinquamus Momis Momos, & Zoilis Zoilos. Quod reſtat nunc, Cardinalis ampliſſime, & Princeps optime, En, partum hunc noſtrum, tametſi neque Iunonium, neque aureum, tamen Reipublicæ quidem non intempeſtiuum, neque importunum, atque ab horum temporum incommodis, difficultatibuſque non alienum, in tutela, atque in fide Amplitudinis tuæ, non fortuitò, ſed grauiſſimis cauſis ducti reponimus. Etenim cui tutius, & melius hi mei libelli, qui ad cauſam publicam pertinent, com mendari poſſunt, quàm tibi, cui à ſummis Imperatoribus in dubijs, & aſperis Reipublicæ temporibus non unius tantùm

celſiſſimæ

celſiſſimæ domus Auſtriæ, ſed totius etiam chriſtiani orbis arcana concredita ſunt: & cui nunc etiam maximi Reges omnium regnorum ſuorum ampliorē, & præſtantiorem, necnon maioris momenti, & ponderis præfecturam regio Imperio gerendam dederunt? Quam modo in hoc Neapolitano Regno, tamquam in præcipuo quodam totius chriſtianæ Reipublicæ propugnaculo, ad propulſandos Othomannorum conatus tanta cum dignitate, & laude, atque bellicarum rerum peritia adminiſtras? Quamobrem ſi CAROLVS V. & Philippus Rex noſter tantæ præſtantiæ, & exiſtimationis Principes in publicis difficultatibus ad te, tamquam ad tutiſſimum omnium ſecretorum ſuorum portum, atque aſylum, accedere conſueuerunt, auitæ, atque paternæ, tuæque in primis ſpectatiſſimæ fidei ſemper memores: quid mirum ſi & ego quoque ad te, uelut ad fidiſſimum rationum publicarum cuſtodē, & uindicem, confugere, & meos hoſce labores Reipublicæ cauſa ſuſceptos, tuæ fidei, & patrocinio commendare decreui? Præſertim cum ſub tuo æquiſſimo & feliciſſimo regimine in hac Regia Ciuitate Neapoli, & concepti, & nati ſint: undè te optimo iure præcipuum patrem, atque patronum agnoſcere debent: eoq. maxime cùm Burgundiæ prouincia, in qua tu huius lucis uſuram accepiſti, Gallicano Regno finitima ſit. Quo circa per quem commodius & dignius, uel ad ſummum Pontificem, ut eius apoſtolica authoritate, quæ una in terris eſt catholicæ ueritatis lapis lydius, in lucem exeant: uel ad Chriſtianiſſimum Regem, ut ad confirmandam in uera fide nutantem Galliam non tantùm ſuo diuino exemplo, ſed hoc etiam meo orthodoxo Clypeo utatur, mittendi erant, quàm per te, qui inter Burgundos principes facilè princeps, & inter purpuratos Patres nulli ſecundus, ac demum inter primarios uiros unus excellens, & regibus, & ſummis Principibus compararis? Immo uerò ſi quis præclariſſimas animi tui dotes, & eximiam heroicarum uirtutum tuarum præſtantiam accuratè fuerit intuitus, in nonnullis rebus, te ſummis Principibus & Regibus etiam præcellere inueniet. Quandoquidem tu non ſecus, ac præſtantiſſimi exercituum Duces excellentium hominum uirtutem ſemper magnis

gnis honoribus, & præmiis afficere conſueuiſti. Exquò publica populorum prædicatione, atque lætitia te omnes una uoce unicum muſarum, & bonorum omnium præſidium, atque uerum & præcipuum noſtrorum temporum Mecœnatem appellant, & fore tunc aurea tempora ominantur, & ſperant; cùm te Chriſtianus populus communem totius Chriſti ouilis Patrem, & Paſtorem agnouerit. Quod ſi diuina diſpoſitione aliquando futurum eſt, id certè in maius Reipublicæ, quàm in tuum commodum cedet. Te namque in ea egregiæ laudis, uirtutum, & bonorum omnium, quæ ad beatam uitam in primis facere uidentur, certa poſſeſſione, & ſumma arce collocatum uidemus, ut plus Reſpublica tui, quàm tu Reipublicæ indigeas: & tu maiori emolumento Reipublicæ eſſe poſſis, quàm Reſpublica tibi. Sed hoc laudum tuarum præconium æternum, cùm in huiuſce Epiſtolæ anguſtijs claudi, & perſtringi nõ poſſit, in præclaras illas tot eruditiſſimorum uirorum lucubrationes & munimenta, quæ paſſim ſub tuo Ampliſſimo nomine apparent, transferendum & reponendum arbitror, ne magnarum & præſtantiſſimarum rerum, ut parcus, & ieiunus enarrator accuſer. Interim, Præſul digniſſime, Antiſteſque præſtantiſsime, & me, ut tibi deditiſſimum, tuiſque obſeruantiſsimum, & librum hunc meum tanta animi alacritate, atque fiducia à me tuo Ampliſsimo nomini dicatum, ſub umbra alarum tuarum, & in tua tutela, atque præſidio libenter conquieſcere ſinas. Valeat, agatque omnia feliciter Amplitudo tua, quam diuina bonitas præcipua quadam cura, atque cuſtodia ad Religionis & Reipublicæ incrementum conſeruet ſemper, perpetuoq́. fortunet.

AD LECTOREM.

AVTHOR te oratum vult, Lector candide, ne de hiſce ſuis libellis, priuſquam, quid in ipſis contineatur, diligenter obſeruaueris; aliquid ſtatuas. Te præterea commonefacit, ut errata, quæ in illorum editione Impreſſoribus exciderunt, quæque in fine operis in unum collecta reperies, luſtrare, aut ſaltem percurrere, & præcognoſcere ne graueris, quo poſtea totius operis curſum inoffenſo pede, abiectaq. omni cunctatione tuto conficere poſsis. Vale.

ELENCHVS CAPITVM HORVM TRIVM LIBRORVM.

LIBRI PRIMI.

EXPLICANTVR cauſæ, quibus motus fuerit Author ad ſcribendũ. Proponũtur præterea quæ dicẽda ſunt. CAP. I. pag. 1.
Encomium Gallorum Regum, à quibus ne aliquo modo Rex degeneret, Author eum hortatur multis medijs. CAP. II. 3
Enumerantur quamplurimi Gallorum Reges, qui præſertim fuerunt Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ propugnatores. Ibid. 4
Ea quæ hactenus Regno Galliæ aduerſa acciderunt, diuina prouidentia accidiſſe probat Author, ut inde regia uirtus atque præſtantia magis eniteſcat. CAP. III. 4
Exemplo Dauidis, & Goliæ, diuinæ poteſtatis inuictum robur oſtenditur, & humanarum uirium imbecillitas. Ibid. 5
Dauidicæ fundæ, & lapidis myſtica ſenſa explicantur, & ex illis ea, quæ ſunt regiæ Maieſtati ſalutaria, innuuntur. Ibid. 6
Recenſentur chriſtiani Principes, qui à catholicis inſtitutis defecerunt, & illorum uarij caſus & miſerabiles exitus enarrantur. CAP. IIII. 7
Catholicarum traditionum authoritas nonnullorum orthodoxorum Patrum ſententijs demonſtratur. CAP. V. 10
Explicantur quædam diuinæ ſcripturæ de ui paternarum traditionum authoritates. CAP. VI. 12
Qui ſint catholici fines, & termini, quos tranſgredi nefas eſt; quiue ſint Patres illi, quos conſulere & audire debemus, explicat Author. CAP. VII. 14
Diluuntur quæ pro diuina ſcriptura aduerſus paternas traditiones obijci poterant. CAP. VIII. 16
Apoſtolicarum, & paternarum traditionum uis, & authoritas longa inductione probatur. CAP. IX. 18

Quòd non minus neceſſaria ſit in catholica & orthodoxa Eccleſia traditio, quàm ſcriptura. Cap. X. 21
Hæreticorum inconſtantiam pandit, & in illos cenſuram facit Author. Cap. XI. 23
Quanta ſit Hæreticorum temeritas, uolubilitas & impietas ex illorum et innumeris ferè poſitionibus inter ſe pugnantibus, exponitur. Cap. XII. 24
Omnes Hæreticorum noſtri temporis hæreſes eſſe ueterum Hæreticorum damnata placita, quàmplurimis exemplis demonſtratur. Cap. XIII. 33
Ponitur diſcrimen inter ueteres & recentiores Hæreticos, & horum deteſtabilior impietas oſtenditur. Cap. XIIII. 42
Promittit Author ſe non inutilem operam chriſtianæ Reipublicæ collaturum, ſi catholicorum Principum præſidio ſe munitum ſenſerit. Ibid. 44

LIBRI SECVNDI.

VERAE & adulterinæ Eccleſiæ præcipua diſcrimina recenſentur, inter quæ illud eſt, quod uera Eccleſia ſit corpus Chriſti; falſa autem ſit umbra tantum: & quamobrem. Cap. I. pagina 45
Labores Eccleſiæ ad immortalitatem iter patefecerunt, & illam ad ſummam gloriã euexerunt. Cap. II. 47
Orthodoxæ Eccleſiæ de omnibus impijs uictoria atq. triũphus enarratur. C. III. 49
Quòd profecit, creuit, & propagata eſt ſemper Eccleſia in aduerſis, & inimici eius defecerunt. Ibid. 50
Quòd nulla gloria comparari poteſt illi, quæ Eccleſiæ defenſoribus debetur: ſiquidẽ pijs Eccleſiæ filijs pro diuinis meritis, diuini honores debentur. Ibid. 50
Quòd ſola catholica & Apoſtolica Eccleſia eſt Dei in terris fidiſſima uates, & interpres. Ibid. 51
Confirmat Author, & latius explicat quod ſupradixerat de traditionibus Patrum. Cap. IIII. 51
Catholici Patres uniuerſas ferè hæreſes non ſolis ſcripturis, ſed traditione etiam paterna iugularunt. Cap. V. 55
Orthodoxorum Conciliorum aduerſus hæreſes enumeratio. Ibid. 55
Quòd neque Catholici doctores ſuis ſcriptis, neque oecumenica Concilia ſuis decretis, quò ad ſubſtantiam fidei & religionis, noua dogmata ediderunt, ſed aut confirmauerunt uetera, aut collapſa inſtaurauerunt, aut quæ dubia erant explicauerũt. Cap. VI. 60
Omnia dogmata, quæ nunc ab Eccleſia catholica ſeruantur, ex Apoſtolico depoſito deprompta eſſe demonſtratur, tametſi aliter mentiantur authores Centuriarum. Cap. VII. 62
Eccleſia nihil noui ingerit Catholicorum auribus, tametſi noua, & iam nata quæ præcipit uideantur. Cap. VIII. 71
Multis Oecumenicorum Conciliorum & Catholicorum Patrum ſententijs Eccleſiam ſanctè, & caſtè ſemper uetuſtatem coluiſſe probat Author. Cap. IX. 77
Quòd Eccleſia non modò Hæreticis non parcit, ſed neque Catholicis, ſi à priſca Patrum religione diſciuerint. Cap. X. 81
Hæreticorum fallacias atque præſtigias uſquequaque detegit Author, & reiicit. Cap. XI. 84
Catholicorum mores, & inſtituta exprimuntur. Cap. XII. 88
Si qua Concilia errauerunt, ideò errauerunt, quia paternas traditiones omiſerunt. Ibidem. 89

Semper catholici uiri uſque ad ſanguinem pro paternis traditionibus pugnauerunt. Ibidem. 90

Quòd nulla ratione à Catholicis ſit cum Hæreticis diſputandũ probat Author, niſi magnam ijdem de catholica ueritate propaganda ſpem habuerint. Cap. XIII. 92

Contumaces Hæretici ut humanæ & diuinæ maieſtatis rei ſeueriſsimè plectẽdi ſunt, & ceu putrida membra ex eccleſiaſtico corpore reſecanda. Cap. XIIII. 97

Quemadmodum Hæreſiarchæ ſemper Principum perditorum odium in Catholicos concitauerunt, ita etiam orthodoxi Patres catholicorum Principum pietate, & opera in Hæreticos uti debent. Ibid. 100

Pulcherrimis rationibus, & exemplis Author hortatur Regem, ut pertinaces Hæreticos perdat, cæteros uerò qui Chriſto nomen dederunt, etiam nolentes, & inuitos ad colendam catholicam religionem coerceat. Ibid. 101

Hæreticorum ſcripta iniuſſu maiorum legere nefas, immo eadem quantumuis licèt excellant, à pijs & catholicis omnibus, ut damnatæ ſectæ uolumina eſſe prorſus reijcienda, atque exurenda demonſtratur. Cap. XV. 102

Non modò ſententiæ, ſed etiam uoces Hæreticorum in Concilijs generalibus ſemper exibilatæ fuerunt ab orthodoxis. Cap. XVI. 104

Ex traditione ſcriptura, non ex ſcriptura traditio emanauit. Ibid. 105

Hæretici improbis, & perfidis debitoribus comparantur. Ibid. 105

Superueniente ſcriptura euacuari, & abrogari non poteſt traditio, ut falsò aſſerunt Hæretici. Cap. XVII. 106

Nobiliſsimæ, & ſanctiſsimæ ſocietatis Ieſu emerita præconia, & laudes obiter innuuntur. Ibid. 107

Qui traditionem reiicit, Apoſtolicum depoſitum non cuſtodit. Cap. XVIII. 107

Quæ ſint præterea traditionis, & ſcripturæ differentiæ declaratur. Ibid. 108

Citantur nõnulla catholicorum Patrum pro ſcriptura aduerſus paternas traditiones, teſtimonia, & eadem illa unica reſponſione ſoluuntur. Cap. XIX. 108

Quod non tenetur Eccleſia omne id quod definit, authoritate ſcripturæ comprobare, quodq. ſcriptura obſcura ſit, & paucis peruia demonſtratur. Cap. XX. 110

Quòd cohibere ſe debent petulantia ingenia in ſtudiis ſacrarum literarum, nec aliud poſteris tradere debent niſi quod à Maioribus acceperunt. Cap. XXI. 113

Quòd non moribus, ſed unctione, & ſacramentis ſacerdotes miniſtri Dei conſtituuntur. Cap. XXII. 115

Lapſus perſonalis ſiue in fide, ſiue in moribus in Romano Pontifice ſine præiudicio catholicæ Eccleſiæ eſſe poteſt. Idem dicendum eſt de cæteris ſacerdotibus. Capit. XXIII. 118

Quòd nullo pacto Regnorum ſtatus, ſiue ſacer, ſiue profanus ille fuerit, propter malos Principes mutandus eſt. Cap. XXIIII. 125

Romanorum Pontificum authoritas, & imperium in chriſtianos Principes. Ibid. 122

Quòd iuuandi ſunt precibus apud Deum Eccleſiæ præfecti, non calumniis, & contumelijs apud imperitam plebem uexandi. Ibi. 174

Quòd uſurpatæ diuinæ iuriſdictionis rei cenſendi ſunt, quicunque ſacerdotes & miniſtros Dei iudicare, aut traducere præſumunt. Cap. XXV. 124

Maledictis inſequuntur eccleſiaſticum ordinem Hæretici, ut prorſus immutata religione ipſi in Catholicorum locum ſubrogentur. Cap. XXVI. 126

Recentiorum Hæreticorum incendium uſquequaque omnia uaſtat, & per totum ferè Chriſtianum orbem eorum contagiones ſerpunt, & diffunduntur. Ibid. 127

Commonefacit Regem quo pacto Hæreticorum laqueos declinare poſsit. Ibid. 127

Hortatur Regem Author ut iuxta uetuſtiſsimum, & ſanctiſsimum Gallorum Regum morem in tutela Religionis perſiſtat. Ibi. 127

Quòd

Quòd præcipua ueritatis nota eſt, ut ſit catholica & oecumenica, hoc eſt communis eſt uniuerſalis; contra uerò præcipuum mendacij ſignum eſt, ut ſit huius, aut illius, hoc eſt, ſingulare & proprium. Ibid. 129
Ponitur documentum pulcherrimum, quòd qui tenuerint, numquam à recta fide deficere poterunt. Cap. XXVII. 133
Explicat latius Author poſitum canonem de catholica ueritate ſeruanda, & qua præcipuè nota orthodoxa uetitas ab hæretica prauitate internoſcatur. C. XXVIII. 135
Quid in ſuis ſcriptis per traditionem intelligat Author declarat. Item quid per ſcripturam. Ibid. 137
Concludit Author, quòd unus Eccleſiæ catholicæ, & Apoſtolicæ conſenſus omnibus ſcripturis, & rationibus præponendus eſt. Ibid. 137

LIBRI TERTII.

QVANTA ſit uis traditionis, & quomodo ſcriptura præſtat traditioni declaratur. Cap. I. nume. 139
Quòd ſcriptura deprauari poteſt, ſed nõ traditio: quia ſpiritus Dei, qui regit Eccleſiã, neque falli poteſt, neque fallere. Cap. II. 142
Enumerantur quamplurimi Patres, qui diuina & Maiorum præcepta ſinè errore immutauerunt, & ſinè peccato tranſgreſſi ſunt. Ibid. 143
Qui ſpernũt Eccleſiã ſunt contemptores Dei, & diuinæ maieſtatis rei. Cap. III. 148
Quòd mens, & uoluntas Dei potius ſpectanda ſit à legitimis Dei miniſtris, quàm uerba legis. Cap. IIII. 149
Quòd multa per Eccleſiam explicanda ſunt poſteris, quæ modò magna ex parte ignota ſunt nobis. Ibid. 152
Quòd etiam Angeli in Gymnaſio Eccleſiæ profecerunt. Cap. V. 152
Vt nihil cum Hæreticis commune haberet Eccleſia, etiam receptos ritus immutare conſueuit. Cap. VI. 153
Ritus apoſtolici immutari poſſunt ab Eccleſia, fides uerò Apoſtolorum non itidem. Cap. VII. 157
Multa adhuc non ſunt definita ab Eccleſia, quæ inquiſitioni fidelium libera relinquũtur. Cap. VIII. 158
Non omnia ſimul nota fuerunt in Eccleſia, ſed nonnulla alijs atque alijs temporibus definita, & declarata ſunt. Cap. IX. 160
Antè definitionem Eccleſiæ errare poteſt fidelis, ſinè nota Hæreſeos. Ibid. 161
Contumax tranſgreſſor Eccleſiaſticæ definitionis hæreticus eſt. Ibid. 161
Quòd antè definitionem Eccleſiæ nullus reuera hæreticus cenſendus eſt, & quòd ſpiritus particularis errare poteſt, at non ſpiritus aſſiſtens Eccleſiæ. Cap. X. 162
Authoritatem Eccleſiæ tutiorem eſſe authoritate ſcripturarum nonnullis rationibus & Patrum ſententijs comprobatur. Cap. XI. 164
Quòd neceſſario, & magna Dei prouidentia patrocinium ſcripturarum demandatũ ſit Eccleſiæ, propter Hæreticos. Ibid. 165
In dubijs fidei quæſtionibus ſemper omnes Catholici ad Eccleſiam tamquam ad ſacram anchoram confugerunt. Ibid. 165
Authoritas Scripturæ poſt iudicium Eccleſiaſticum eſt irrefragabilis, & ſacroſancta. Ibid. 166
Aliter quàm traditum eſt enunciare poteſt Catholicus, ſed non aliud, neque præter, & ultra. Ibid. 166
Legatis, & miniſtris Dei obtemperare non paruam, neque uulgarem diuinæ uoluntatis

tis notitiam arguit. Cap. XII. 167
Quòd omnia à Deo ritè condita atque diſpoſita ſunt. Ibid. 167
Non omnes in Chriſtiana Republica ſunt ſacerdotes, tametſi omnes ſint genus electum, & regale ſacerdotium. &c. Ibid. 168
Solus legitimus ſacerdos eſt miniſter ſacramentorum, & uerbi Dei. Cap. XIII. 169
Quòd uſqueadeo fuit ſemper in lege Domini ſacerdotale munus unis ſacerdotibus proprium, ut ne potentiſſimis quidem Regibus, niſi ad hoc etiam inuncti fuiſſent, unquam ſacra adminiſtrare licuerit. Cap. XIIII. 170
Si non licuit Ethnicorum, & ueterum ſacra ab omnibus promiſcuè adminiſtrari, multo minus licebit chriſtiana ſacra præcipuos miniſtros, & legitimos ſacerdotes non habere. Cap. XV. 172
Probat Author figuris, & authoritatibus ueteris, & nouæ legis fieri non poſſe ut in chriſtiana Republica omnes ſint ſacerdotes. Cap. XVI. 174
Si omnes, qui Chriſto nomen dederunt, eſſent ſacerdotes, quæ abſurda inde euenirent enumerantur. Cap. XVII. 175
Ad quid regiũ, & ad qd ſacerdotale munus inſtitutũ ſit, declaratur. Cap. XVIII. 177
Sacerdotes præſtare Regibus multis rationibus probatur. Cap. XIX. 178
Innuũtur corruptelæ Principum in eligendis Epiſcopis, & quæ ſit uera eligendorum Epiſcoporum ratio exprimitur. Cap. XX. 180
Adducit alias cauſas, quibus probat Author ſacerdotale munus præſtantius eſſe regio munere. Cap. XXI. 184
Demonſtratur ſanctiſſimorum, & ſummorum uirorum exemplis, quantum ſemper delatum ſit ſacerdotibus. Cap. XXII. 185
Aperit cauſam cur Ethnici Imperatores, & Reges dicebantur etiam Pontifices Maximi. Item cur Romanus Pontifex pontificijs & regalibus inſignibus utatur. Caput XXIII. 187
Concludit author quòd ſacerdotalis dignitas à regia diſtincta ſit, & quòd ſacerdotalis ſit præſtantior regia. Cap. XXIIII. 189
Romanorum, Alexandri Macedonis, Attylæ Hunnorum Regis, Mauritij Imperatoris Conſtantinopolitani, & Ethnicorũ Gallorum exemplis oſtenditur, quanta fuerit ſemper ſacerdotalis authoritas. Ibid. 189
Ius, & exiſtimatio Druidarum apud Gallos. Cap. XXV. 191
Ex ſumma Gallorum ueneratione in Druidas colligit Author quanta ſit noſtrorum tẽporum calamitas, & temeritas, & impietas Hæreticorum. Cap. XXVI. 193
Quòd etiam ab impijs, & ſæuiſſimis tyrannis agnita fuit ſemper Sacerdotalis præſtãtia, exemplo Pharaonis & Scipionis Aphricani comprobatur. Cap. XXVII. 195
Diuina prouidentia factum fuiſſe affirmat diuus Thomas, ut in Romana urbe, & in Gallia, cùm utraque gentilis eſſet, ſacerdotes ſummo imperio potirẽtur. Ibid. 195
Galli quicquid præſtantis, & præclari habent à ſacerdotali Romanorum Pontificum munificentia acceperunt. Quod etiam à multis, & ab omnibus ferè Gallorum Regibus agnitum fuit. Ibid. 196
Quòd nemo fuit unquam catholicorum Regum, qui ſe ſacro ſacerdotum imperio nõ ſummiſerit Theodoſij, & Conſtantini Magni Imperatorum exemplo ſit palã. Ibid. pagina 196
Latius explicatur quod in præcedenti capite de ſacerdotali præſtantia dicebatur. Cap. XXVIII. 198
Veterum Græcorum, Pompei Magni, Marci Craſſi, Heliodori, & Antiochi Regis exẽplo demonſtratur, qua calamitate affecti ſint, quicunque ſpreta Religione in ſacra loca, & in miniſtros Dei inſultauerunt. Ibid. 200
Tribus ſequentibus Capitibus quàm plurima ſacerdotalis muneris elogia explicantur & dedu-

& deducuntur, ex præclara illa Chriſti ſententia, nempè: Sicut miſit me uiuens Pater, ita ego mitto uos. Cap.XXIX. XXX. XXXI. 200
Quantum ſummis Sacerdotibus, & Pontificibus Maximis ſemper Occumenica Concilia detulerunt, demonſtratur. Cap. XXXII. 207
De præſtantia & priuilegiis Romanæ Eccleſiæ, & apoſtolicæ ſedis, quæ uiginti capitibus explicantur. Cap.XXXIII. 209
De priuilegijs Petri Apoſtolorum principis, quæ triginta tribus capitibus abſoluuntur. Cap. XXXIIII. 214
De præſtantia Romani Pontificis, & Hieracchiæ eccleſiaſticæ, quam ſexaginta tribus capitibus demonſtrat Author, in quibus etiam diui Petri ad Aram, uetuſtiſſimi in ciuitate Neapolitana Canonicorum Regularium fani præclara, & præcipua quædā priuilegia enumerantur. Cap. XXXV. 221
Exprobratur nonnullorum Chriſtianorum Principum ſegnicies in defendēda, & propaganda chriſtiana Republica. Cap. XXXVI. 235
Tolerantia in rebus humanis aliqua ex parte tolerabilis eſſe poteſt, in ijs autem rebus, quæ ad Religionem ſpectant, eſt prorſus impia. Ibid. 237
Principes idcirco principes in populo Dei conſtituti ſunt, ut ſint catholicæ Eccleſiæ, & Religionis propugnatores. Ibid. 237
Obiter meminit Author uictoriæ ſingulari Dei beneficio partæ ad Naupactum ſinum. Cap. XXXVII. 237
Et ſi chriſtiani duces fortiter pugnauerunt, uictoria tamen à Deo fuit. Ibid. 238
Idcirco Deo non hominibus reſiſtit, qui tam amabile chriſtianorum Principum initum fœdus diſſoluit, aut his feliciſſimis incœptis non fauet. Ibid. 238
Hortatur Author Principes chriſtianos ad concordiam & conſociationem pluribus rationibus. Cap. XXXVIII. 238
Eſſe Regem, & Chriſtianiſsimum Regem quid ſignificet, & quantam uim habere debeat in chriſtianis & generoſis pectoribus. Cap. XXXIX. 239
Canonicorum Regularium præcipuum inſtitutum in excolenda & propaganda chriſtiana religione explicatur: Quorum præclara ueſtigia in his, quos ad chriſtianiſſimum Regem ſcripſit, libellis ſe perſecutum fuiſſe fatetur Author. Ibid. 240
Concludit, & promittit Author omnia proſpera, & tuta chriſtianiſſimo Regi, ſi ſuæ dignitatis, atque paternarum & auitarum artium memor, in ſuſcepto catholicæ ueritatis patrocinio perſeuerauerit. Ibid. 241
Valdè commodum atque honorificum fore Chriſtianiſsimo Regi nonnullis rationibus demonſtratur, ſi eadem maieſtas chriſtianiſsima Gallicanas opes aduerſus Turcam pro communi Chriſtianorum fœdere iunxerit. Cap. XL. 241
Cur tam religioſiſſimo, & chriſtianiſſimo Regi, utpote qui ſemper fuerit de chriſtiana Religione atq. Republica optimè meritus, paræneticos, & inſtitutorios libros Author ſcripſerit, explicatur. Ibid. 243
Præclariſſimæ Reipublicæ VENETAE tutelam Chriſtianiſſimo Regi commendat Author, & magna bonorum omnium ſpes in ipſum Chriſtianiſſimum Regē de amiſſa Cypro recuperanda, innuitur. Ibid. 243

Horum trium librorum Summa.

Primus liber continet procœmium, narrationem, & confutationem. Secundus confirmationem. Tertius confirmationis rationem, & per orationem. Præterea. Primus & ſecundus liber De Doctrina fidei, & De rebus. Tertius uerò De perſonis, & de muneribus Eccleſiaſticis tractat.

LVDOVICI MAIORANI
GRAVINATIS
CANONICI ORDINIS LATERANENSIS
DE VERO DEI CVLTV
AD CAROLVM NONVM
Gallorum Regem Chriſtianiſsimum,

Liber Primus.

CAPVT PRIMVM.

Explicãtur cauſæ, quibus motus fuerit Author ad ſcribendum. Proponunt̃ præterea quæ dicenda ſunt.

ET ſi nulla ratione verendum eſt, Rex Chriſtianiſſime, Maieſtatem tuam talibus vti domeſticis adminiſtris, & conſiliarijs, vt eadem aduentitio & externo admonitore non egeat; tamen in tanta & temporum, & rerum perturbatione, non alienum putaui, ad te, ideſt, ad eum Regem aliquid ſcriptorum dare, quem ob ſuam iam ineuntem & idcirco non ſatis firmatam ætatem, atque ob tot inteſtinas difficultates & ſeditiones, maximè in lubrico verſari perſpiciebam. Siquidem quæ pars totius Chriſtianæ Reipublicæ hac

noſtra tempeſtate ita affecta, ac perturbata eſt, vt illam ipſam in tam magnum, quemadmodum Galliam, diſcrimen adductam eſſe intelligamus? oppugnatur enim & labefactatur non modò cuniculis, ſed apertè à domeſticis hoſtibus, & ijs in rebus, quæ ad præpotentis Dei cultum, quæ ad eiuſdem Gallici Imperij Maieſtatem, quæ ad veram religionem attinent. vt omittam Regij capitis periculum, tantique Regni euerſionem, atque iacturam, cæteraque omnia nefaria, & capitalia facinora, quæ in ſimili rerum conuerſione, perditorum hominum opera fieri ſæpiſſimè ſolent. Quòd ſi ſummi, & ſapientiſſimi Imperatores, etiam integra & quieta Republica, in capiendis conſilijs, ſummiſsè ſe gerere conſueuerunt, eosque ſemper magno in honore habuerunt, quos in rebus dubijs non pro ſuo ſenſu, aut dolore, neque ad aliorum voluntatem, ſed pro communi vtilitate, atque ex veritate dumtaxat locutos eſſe agnoſcebant: quid in tantis rerum anguſtijs agere debent ij, qui, licèt potentiſſimi Reges, iuuenes tamen, vndique periculis circumueniri, vndique laborare ſe ſentiunt? Præſertim cùm quæ dicuntur, non ab authore mercenario, aut infido, ſed fideli & beneuolo proficiſci animaduertunt. Aucupentur alij ex principum familiaritate diuitias, conſequantur honores, venentur imperia, ipſe autem, ò ſummæ nobilitatis & ſpei Princeps, nihil aliud his meis monitis & obſecrationibus à Maieſtate tua peto, quàm tuam ipſius incolumitatem, & dignitatem, quàm tuarum prouinciarum pacem, & conſeruationem, quàm veram erga Deum Opt. Max. pietatem & religionem. Nulla hic mei, aut aliorum ratio habenda eſt. De vero ſummi Dei cultu, deque publicis Gallorum rebus præſertim eſt agendum. Vni regiæ ſaluti conſulendum eſt, ſine pigmentis, ſine fuco, ſine fallacijs, ita vt quod dicturus ſum, ne ab aduerſarijs quidem (ſi ad ueritatem reuocauerint rationem) refelli, aut redargui aliquo modo poſſit. Nam, vt ſapiens ille innuit, hæc eſt præcipua *Cic. pro M. Cælio.* ratio, & vis veritatis, vt eadem ipſa contra hominum ingenia,

nia, calliditatem, ſolertiam facile ſe per ſe ipſam defendat. Immo verò eſſe meum hoc conſilium & pietatis, & fidelitatis plenum, vnuſquiſque vel perditus, & impius (ſi tamen hæc noſtra æquo animo legerit) ſuapte conſcientia teſte comprobabit.

CAPVT II.

Encomium Gallorum Regum à quibus, ne aliquo modò Rex degeneret, Author eũ hortatur multis medijs.

QVandoquidem, vt hinc initium ſumam, ſi te optimis, & ſanctiſſimis parentibus prognatum dixero, num mentiar? aut num mihi fides non habenda eſt, ſi affirmauero omnes Reges Galliæ quotquot Chriſto nomẽ dederunt, Chriſtianæ religionis defenſores, Eccleſiaſticarum legum obſeruantiſſimos, paternarum traditionum præ omnibus Chriſtianis principibus æmulatores, patronos Pontificij iuris, Apoſtolicæ Sedis cuſtodes, catholicæ fidei propugnatores, atque eccleſiaſticæ libertatis, & dignitatis vindices præcipuos ſemper fuiſſe? Quòd ſi hac in re non mentior, ſi vera profero, ſi hoc mihi ſine controuerſia, abiectaque omni cunctatione, conſenſu omnium dari neceſſe eſt: quid eſt, Rex optime, quòd hoc tempore quidam Maieſtati tuæ perſuadere & audent, & conantur, vt à tam præclaro tot maiorum tuorum inſtituto deſciſcas, vt tot præſtantiſſimorum regum veteres laudes obteras, vt tot glorioſiſſima, & præcipua patrum tuorum monumenta deturpes? Heu parum, vt ita loquar, fortunate Princeps, in quæ tempora, in quos homines incidiſti? Si te ad patrias leges tuendas hortarentur, ſi te ad veræ religionis, & pietatis ſtudium incitarent, fortaſſis iurè nulla hominum ratio eſſet habenda, fortaſſis eſſet hic tantus tumultus magna ex parte tolerabilis. Nunc autem cùm omnes hæ Tragœdiæ non modò aduerſus Regni tui, & vniuerſas Chriſtianæ Reipublicæ ſanctiſſimas conſuetudines, ſed in ſummum dedecus patrum tuorum, & in tui capitis perniciem excitatæ ſint: quis pius vnquam tale factum pati, quis ſapiens aliquando eiuſmodi

Enumerantur quàmplurimi Gallorum Reges, qui præſertim fuerũt apoſtolicæ ſedis & Romanæ Eccleſiæ propugnatores.

De hoc Clodoueo Francorum Rege in vita B. Remigij legitur, quòd cum ad fidem cõuerſus ſacro fonte tingeretur, neque haberetur copia chriſmatis, columba roſtro illud in ampulla è cælo aduolando attulit, quã perhibent in Remẽſi Eccleſia aſſeruari, et inde ad noſtra vſque tẽpora Gallorũ reges inungi.

confiſia probare poterit? Ergo præſtantiſſimo genitore infeliciter & miſerè orbatus in tutelam perueniſti, vt tibi pupillo non modò paterna iura, ſed vitam etiam adimere ſeditioſi & perditi quidam homines molirentur? Ergo priuata hominum odia non ſolum in optimi cuiuſque fortunas, ſed in totius etiam Galliæ perniciem erumpent? Ob id ſanctiſſimus & inuictiſſimus Clodoueus tanta pietate Gallicis hominibus fundamenta religionis iecit, vt nunc eorum nepotes vniuerſam religionem euerterent? Idcirco Childebertus Arrianos Chriſtianæ pietatis hoſtes tanto ſtudio è ſuis finibus exterminauit, vt hoc tempore Arrianis longè deteriores homines in vniuerſam Galliam introducti, impunè vndique perbaccharentur? Ideò religioſiſſimus Pipinus Longobardorum Reges Apoſtolicæ Sedis perturbatores compreſſit, vt in præſentiarum Gallici quidam Reguli Apoſtolicæ Sedis inimicis adiumento eſſent? Id propter Carolus cognomento Magnus Saxones à vera religione abhorrentes tanto labore perdomuit, vt nunc veræ religionis euerſores, Gallorum ſuffragijs, non modò in ſuperbiſſimo dominatu eſſent, ſed in capitibus etiam, fortuniſque honeſtiſſimorum hominum dominarentur? Eam ob rem Ludouicus Pius pontificiam ſedem in priſtinam dignitatẽ reſtituit, vt eiuſdem pontificiæ ſedis exiſtimatio & authoritas Gallorum ſuorum opera imminueretur? Ex eo denique tot ſanctiſſimi Gallorum Reges rem Romanam auxerunt, & Chriſtianiſſimi cognomen adepti ſunt, vt nunc eiuſdem gentis homines arcem religionis oppugnarent, catholicæ Eccleſiæ bona diriperent, Pontifices ex certa & antiquiſſima poſſeſſione deturbarent, impietatis nomen adipiſcerentur? O tempora perditiſſima, huccine tandẽ res Galliæ reciderunt?

CAPVT III.

Quæ hactenus Regno Galliæ aduerſa accide-

AT ſi princeps ille rerum Deus omnem hunc mundum regit, ſi rebus humanis non tantùm vniuerſis, ſed ſingulis

gulis etiam conſulit, ſi omnia eius nutu, prouidentia & poteſtate gubernantur, hoc ipſum haudquaquam fortuito euenisse putandum eſt. Tibi, Rex præſtantiſſime, hæc tropæa ponenda ſunt. Tu victor ex tantis Dei inimicis, atque catholicæ Eccleſiæ, & vniuerſi humani generis hoſtibus, hos ages triumphos. Tibi in primis hanc ex tot perditis hominibus palmam præpotens Deus reſeruat: Tu vnus, velut alter Gedeon, hanc ex tot corde incircumciſis Philiſthæis victoriam conſequeris. Non contra te, ſed cum Rege omnium maximo hoc bellum geritur. Num igitur Rex regum Deus Legatos ſuos aduerſus impios decertantes, hoſtibus expugnandos derelinquet, an potius eos omnes, qui veritati aduerſantur, ſua diuina virtute diſſipatos, in id diſcrimen adducet, vt à miniſtris ſuis fusi atque fugati, ſupplices pacis conditiones accipiant? Non ſunt hæ, Præſtantiſſime Rex, aſſentationes, non ſunt blanditiæ: ſacrorum librorum illuſtri teſtimonio id ipſum ſæpe aliàs accidiſſe edocemur. Nam (vt ſanctæ & generoſæ illius viduæ, quæ ſola Regis Aſſyriorum potentiſſimum exercitum vno ictu trucidauit, clariſſimum facinus omittam) quid ſibi vult glorioſa illa pueri Dauidis de immaniſſimo Philiſthæo victoria? Nonne ante oculos noſtros ponit, noſque commonefacit & edocet, non humanis tantùm conſilijs, aut armis, ſed etiam diuini numinis poteſtate in primis victorias parari? Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, dixit Rex Saul ad Dauidem, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es; hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua. En pueri Dauidis imbecillitas, & armorum modica periclitatio. En veterani Goliathi robur, & aſſiduus bellandi vſus: ſed quid tandem acciderit, audiamus. Præualuit, inquit ſcriptura, in nomine Domini exercituum Dauid aduerſum Philiſthæū in funda & lapide, percuſſumq́. Philiſthæum interfecit. En inermis pueri cum armato & veterano milite Monomachia, ſingulare certamen. En piorum & impiorum exitus. O, quot Saulis ſimiles, Maieſtati tuæ, ne religionis & æquitatis patrocinium in tantis diſcriminibus

runt, diuina prouidentia accidiſſe, vt inde regia virtus atque præſtātia magis eniteſcat.

Iudith. 13.

Exemplo Dauidis & Goliæ diuinæ poteſtatis inuictum robur oſtenditur, & humanarum viriū imbecillitas.

1. Reg. 17.

ſcriminibus ſuſcipias, aut, vt ſuſceptum deſeras, dicere non verebuntur. Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es; hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua. Tu autem gloria patrum tuorum, ſpes & decus populi tui, præſidium militantis Eccleſiæ, propugnaculum veræ fidei, expende non hominum vires, aut conſilia, ſed diuini numinis ſummum imperium. Pone ante oculos tuos hoc tantum Iſraelitici pueri exemplum: ad ſimilem virtutem, & ad ſimile factum te ipſum excita; geras in huiuſmodi rerum perturbatione excelſum illum, & inuictum animum, qui Regem chriſtianiſſimum decet, quoque in defendenda chriſtiana Republica, & Apoſtolica Sede tuenda Maiores tui ſemper fuerunt. Demùm valeat apud te magis huius diuini teſtimonij æterna authoritas, quàm omnes tuorum ducum ſententiæ, atque prudentium hominum rationes. Quod etenim bellum, licet acerbum & diuturnum, metuere debent ij, qui, pro vera religione certantes, ſingulari Dei præſidio tuti ſunt. Quin certè & tu quoque etiam ſi, vt Dauid, inermis eſſes, & puer: quid autem cum iam vir ſis, & victore exercitu, opibuſque neceſſarijs munitus, aduerſus huius temporis Goliathos omnes funda & lapide in nomine Dei Iſrael victor eris. Quos enim & Regni tui, & religionis hoſtes, etiam acerrimos, ad internicionem vſque non cædes, ſi angularis lapidis Chriſti doctrinam, funda paternarum traditionum in eos ieceris. Huc, huc tendit hæc Dauidis tam celebris de Philiſthæo victoria. Hic, hic vertuntur cardines victoriarum tuarum. Hæc, hæc ſunt aduerſus omnem impietatem arma victricia. Quòd ſi eodem lapide, & ipſi quoque Reipublicæ perturbatores pugnare conſueuerunt, (Siquidem Hæreticis peculiare eſt verbum Dei, & Chriſtum ſemper in ore habere) nihilominus eorum ictus irritos & nullos eſſe neceſſe eſt. Nihil agunt, nihil proficiunt, quia hanc perpetuæ veritatis, & ſemper receptæ obſeruationis fundam non habent: ſolo & nudo lapide, ſuis viribus fidentes, decertant. Tu verò, Rex inuictiſſime, tene

Dauidicæ funda & lapidis myſtica ſenſa explicantur, & ex illis ea quæ ſunt Regiæ Maieſtati ſalutaria, innuuntur.

non

non modò lapidem, ſed etiam fundam: quandoquidem, vt ſacræ literæ teſtantur, non in ſolo lapide, ſed in funda, & lapide vicit Dauid. *1. Reg. 17.*

CAPVT IIII.

Recenſentur chriſtiani principes, qui à catholicis inſtitutis defecerunt, & illorum varij caſus, & miſerabiles exitus enarrantur.

HOc igitur ſit in primis illud, quod Maieſtati tuæ ſemper fixum & immotum animo ſedeat, nempe, vt nullis neque amicorum blanditijs, neque inimicorum conatibus ab hac perpetua Eccleſiæ catholicæ ſucceſſione te ſubtrahas: de qua, qui ſe vel prorſus, vel aliquo modo ſubduxerunt, ſemper veræ religionis deſertores, & hoſtes habiti ſunt, atquè manifeſtiſſimo Dei iudicio (vt piè credendum eſt) in maximas clamitates & miſerias inciderunt. Quandoquidem ſi Iulianus Imperator patrui Conſtantini Magni ſummæ pietatis immemor & calamum, & gladium aduerſus ſanctam Eccleſiam perfidus ſumpſit, Si Valens Valentiniani frater Arrianæ factionis ſtudioſus Deo dicatos viros, & veræ religionis cultores afflixit, Si Anaſtaſius I. impio & turbulentiſſimo Eutychis placito fauit, Si Theodoricus Rex in ſanctiſſimos Romanos Pontifices, & in catholicos tyrannidem exercuit, Si Rex Longobardorum Deſiderius, nec Deum, nec homines reueritus, in Hadrianum Chriſti Vicarium inſultans, quàmplurimas eccleſiaſticæ ditionis vrbes inuadere & occupare auſus eſt, Si Iuſtinianus I. Eutychiani delirij ſectator aliquando a catholica pietate defecit, Si Mauritius diuum Gregorium, & Romanam Eccleſiam perturbauit, Si Heraclius priſtinæ ſuæ pietatis, qua ſibi tot victorias parauerat, oblitus, ſanctiſſima Romanorum Pontificum monita contemnens, Monothelitarum impietatem ſecutus eſt, Si Conſtans vniuerſa almæ Vrbis ornamenta diripuit, Chriſtique Vicario Martino I. ſceleratas manus iniecit, Si Iuſtinianus II. Hæreclianæ ſtirpis vltimus, ſynodum impiam, Romano Pontifice reluctante, indicere & celebrare præſumpſit, Si Philippicus cognomento Bardanes ſextæ ſynodi

nodi decreta ad impiorum gratiam altera ſynodo infirmare contendit, Si Léo Iſaurus ſacras ædes depopulatus eſt, & ſanctorum imagines euertit, Si Conſtantinus V. piorum omnium hoſtis, duos Conſtantinopolitanos Antiſtites omni ſupplicio excruciatos, capite multauit, Si Leo IIII. velut alter Siculus tyrannus templa diſpolians, coronam auream pretioſiſſimis gemmis onuſtam, è ſacrario ablatam, ſuo ſacrilego capiti impoſuit, Si Conſtantinus VI. legitima vxore ſpreta, concubinam ſuperinducens eccleſiaſtica, ideſt, diuina iura, & ſacroſancta matrimonij fœdera violauit, Si Leo Armenius huius nominis V. Diuorum veneranda ſimulacra, & ſacras reliquias execrabatur, Si Henricus IIII. ſacerdotio inſultans aduerſus ſummos Pontifices arma ſumpſit, Si Federicus I. & II. Si Otho IIII. Si Manfredus, Si Ludouicus Bauarus, Si denique quotquot fuerunt iſtiuſmodi principes, qui catholicorum & optimorum Regum limites tranſgreſſi ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ præcepta contempſerunt, quos tandem exitiales exitus non habuerunt? qua labe, quo dedecore, qua macula, quibus denique diris, execrationibus, malis, & ignominijs non fuerunt affecti? Siquidem Iulianus, Galilæum Ieſum viciſſe in bello cadens, tandem faſſus eſt, diuinitus ſagitta transfixus. Valens amiſſo exercitu ſaucius ac trepidus fugiens, hoſtibus in vili tugurio circumſeptus, viuus exuſtus eſt. Anaſtaſius in ſuorum procerũ conſpectu de cælo tactus ictu fulminis concidit. Theodoricus apoplexi correptus in ſua impietate animam egit; &, vt ſcribit diuus Gregorius, Iohannis & Symmachi iudicio in ignem Liparitanum demerſus eſt. Iuſtinianus ſenior omnibus conſilijs deuius, amentiſſimus ex hac vita diſceſſit. Deſiderius Caroli Magni copijs regno pulſus funeſtiſſimam ſuæ perfidiæ & temeritatis memoriam ſuis, & Longobardis omnibus reliquit. Mauritius in ſuorum odium prolapſus à Phoca Cæſare cum vxore & liberis omnibus obtruncatur. Heraclius miſerrimo illo morbi genere, in quo ſimul infelix & ſiti, & aquæ metu cruciabatur, ideſt, intercute aqua, &

D. Greg. in 4. lib. Dial. cap. 30.

hydropiſi deceſſit. quamuis antè obitum, cum in varias miſerias incidiſſet, ſentiens corripientem ſe Dei manum, hæretici erroris vltricem, & vindicem, ad cor reuerſus, à Monothelitica hæreſi reſipiſcens, à beatiſſimo Honorio orthodoxæ fidei regulam ſuſceperit, Pyrrhumque relegauerit tanti in ſe mali authorem. Conſtans in Siculis balneis à ſuis occiditur. Iuſtinianus iunior relegatur Cherſonam abſciſſis prius naribus, operaque Bulgarorum reſtitutus, iterum imperio deturbatus eſt, & cum Tiberio filio vnico contrucidatus. Philippicus ab Anaſtaſio II. & oculis, & regno priuatur. Leo Iſaurus grauiſſimis Eccleſiæ decretis à cœtu piorum eiectus, ſacro Gregorij III. interdicto ſceleratorum & impiorum in numero habitus eſt. Conſtantinus V. exquiſitiſſimo cruciatu, nempe, inſanabili elephantia eſt conſumptus. Leo IIII. non multo poſt patratū ſacrilegiū miſerè moritur. Conſtantinus VI. ab Irene matre regno deiectus, excæcatur. Leo Armenius ab aduerſarijs in æde ſacra multis vulneribus confoditur. Henricus IIII. à filio Henrico V. imperio ſe abdicare coactus eſt, & carcere, atque miſerijs preſſus, vita exceſſit. Federicus I. à rapido amne abſortus eſt: Secundus verò filij nothi opera necatur. Otho clade memorabili affectus, inglorius in patriam ſe recipiens, tandem trucidatus eſt. Manfredus anathemate percuſſus, Carolique marte ſubactus, regno, vitaque, & ſepulcrorum ſanctitate priuatus, fuit mortalibus omnibus ſingulare humanarum miſeriarum exemplar. Omnes denique, qui ſponſæ Dei ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ dicto non fuerunt audientes, in ſe manifeſtam diuini numinis iram ſentientes, ſuo ſupplicio non caruerunt. Quo pacto enim potentiſſimas ſcelerumque, & temeritatis vltrices Dei manus effugere poterant ij, qui fraternitatis, & eccleſiaſticæ communionis, & conſociationis obliti, inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere conati ſunt?

CAPVT V.

Catholicarũ traditionum authoritas nonnullorũ orthodoxorũ Patrum ſententijs, demonſtratur.

HAEC itaque, & huiuſmodi alia, quæ hoc loco conſultò omittimus, tum veterum, tum etiam noſtrorum temporum ferè innumera exempla nos cõmonere debent, Conſtantiſſime Rex, qua ratione, quaue ſemita nobis in hac peregrinatione ad felicitatem aſpirandum ſit, quidue nobis in vita ſit faciendum, dum tot rerum nouarum magiſtri ſuis, more Sirenum, fucis & illecebris corpori planiorem viam commonſtrantes, animum à vero & regio tramite auertere, & reuocare conantur. Illud, illud inquam, omnibus pijs agendum eſt, nimirum, vt neque ad læuam, neque ad dexteram flectentes, medium tantum iter teneant; & in illam tantummodò myſticam cynoſuram oculos habeant, quæ vna, ſancta, catholica, & apoſtolica eſt: ſiquidem hæc fuit ſemper celebratiſſima omnium catholicorum Patrum antidotus, atque perfugium vnicum aduerſus omnem impietatem, profanas videlicet cùm rerum, tùm vocum nouitates deuitare, atque maiorum ſuorum veſtigijs omni pietate & obſequio inhærere. Semper enim nouitas fuit mater temeritatis, filia ſuperſtitionis, ſoror leuitatis, & famula impietatis (inquit diuus Bernardus) Præterea nunquid nos ſapientiores, aut ſanctiores ſumus ijs, qui nos in vera fide genuerunt? Aut nunquid vera fides dici poteſt, quæ non eſt vna? cum quicquid præter vnam fidem ſit, perfidiam, non fidem dicat eſſe Hilarius. Aut nunquid doctrina Apoſtolorum alibi eſſe poteſt, quàm in apoſtolica Eccleſia? Aut nunquid apoſtolica Eccleſia eſſe poteſt vbi non eſt legitima & perpetua ſucceſſio ſacerdotum? Cupio, inquit magnus ille Tertullianus, de hæreticis ſermonem habens, oſtendant mihi ex qua authoritate prodierint: edant origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel apoſtolicis viris, qui tamen cum

D. Ber. ad Canonicos Lugd.

Hila. ad Conſt. Augu.

Tertul. de praeſcript. Haeret.

cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit authorē & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Eccleſia Smyrneorum Polycarpum à Iohanne collocatum refert, ſiue Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Cur autem neque etiam confingere tale aliquid poſſunt Hæretici, niſi quia aliam originem non habent, niſi ſuam? Quàmuis enim ex nobis prodierint, tamen non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, vt diuus Apoſtolus ait, permanſiſſent vtique nobiſcum. Et certè alieni atque extranei ſunt omnes Hæretici, non modò quia ſuæ cathedræ originem reddere nequeunt, ſed etiam quia foris ſunt, & ad catholicam Eccleſiam non pertinent. Immo enimuerò omnes Hæretici fuerunt ſemper Apoſtolis, & apoſtolicis viris inimici, quia dum nudum textum ſcripturæ poſtulant, catholicum conſenſum, & apoſtolicas traditiones repudiant, Patrum teſtimonium ac ſi nullius ſit momenti, irrident; apoſtolicæ Eccleſiæ caput, ideſt, Chriſti in terris Vicarium, non agnoſcunt. Non aliunde, inquit diuus Cyprianus, hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex, vice Chriſti cogitatur: cui, ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, Nemo aduerſus ſacerdotum collegium quicquam moueret, Nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret, Nemo diſſidio vnitatis Eccleſiam Dei ſcinderet, Nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſum foris nouam hæreſim conderet, niſi aliquis ita eſt ſacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet ſine Dei iudicio fieri ſacerdotem.

1. Ioan. 2.

D. Cyp. ad Cornel. Epiſ. Rom. Lib. 1. Epiſt. 3.

CAPVT VI.

Explicantur quædam diuinæ ſcripturæ de ui paternarum traditionum authoritates.

HIs ergo tantorum Patrum ſententijs, & exemplis in rebus dubijs inſtituendus eſt, & muniendus eorum animus, qui veram pietatem profitentur. Nam victoria, qua potiſſimùm proſternuntur gigantes, in myſtica, vt dicebamus, funda Dauidis conſiſtit. Quandoquidem catholica veritas ab antiqua vniuerſali, & perpetua Patrum intelligentia, ſucceſſione, & conſuetudine petenda eſt. ſic enim ſingulis pijs præceptum eſt. *Deut.32. & 17.* Interroga Patres tuos, & dicent tibi; ſeniores tuos, & annuntiabunt tibi. Quid autem eſt, interroga Patres tuos, niſi quòd cùm de rebus diuinis ſuboritur quæſtio, ne eas poſt veſtigia gregum tuorum, poſt adinuentiones tuas, ne tradas mentis tuæ germina, ne fidas duci cæco, ideſt, rationi humanæ, & humanæ prudentiæ. Sed iterroga Patres tuos, & dicent tibi; ſeniores tuos, & annuntiabunt tibi. Patres & Seniores dixit, non filios, aut nepotes, vt diſcamus id eſſe proprium chriſtianæ modeſtiæ, & grauitatis, non ſua, aùt poſteriorum ſenſa poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare: nihilque contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem, atque inſtituta maiorum tentandum, niſi quod traditum eſt. Hoc enim exigit ratio pietatis, vt omnia qua fide à Patribus ſuſcepta ſunt, eadem fide filijs conſignentur: noſque religionem non quà volumus, ducere; ſed potius quà illa ducit, ſequi oportere. Semper enim apud catholicos Patres in controuerſijs fidei retenta eſt antiquitas, & exploſa nouitas. Nouitas enim cupiditatem, diſſenſionem, & errorem affert. Hinc omnes hæreſes, tametſi vetuſtiſſimæ, nouæ ſunt, quia diuinæ vetuſtati aduerſantur, & à catholica & apoſtolica veritate, quæ eſt omni hæretica prauitate vetuſtior, defecerunt: Hincque toties in ſacris literis diuino oraculo admonemur, vt ſpreta prorſus & reiecta nouitate, ideſt, uanita-

te,

te, ſimus vetuſtatis, ideſt, veritatis amatores. Sic enim ſanctus Moyſes populo Dei aiebat: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, aut minuas. Immo ſi ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, aut portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Et diuus Paulus ſummè Timotheum hortatur, vt depoſitum cuſtodiat, permaneatque in ijs, quæ didicit, & tradita ſunt ei, deuitetq́. profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, ne ſicut quidam circa fidem excidat. Idem Apoſtolus Romanos rogat, vt obſeruent eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam ipſi didicerunt, faciunt, & declinent ab illis: edicitque tales Chriſto Domino non ſeruire, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducere corda innocentium. Theſſalonicenſibus quoque denuntiat, vt ſubtrahant ſe ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt ab eo. Immo vocat Galatas fatuos & faſcinatos, eo quòd aures dederant Pſeudoapoſtolis; eoque progreditur, vt dicat Angelorum euangelium anathema, ſi euangelizauerint aliud atque euangelizatum eſt ab ipſo, & præter id quòd acceperunt. Hæc autem cur tanto ſtudio fidelium auribus inculcat Apoſtolus, niſi vt commonefaceret nos omni pietate & officio ſeruanda eſſe præcepta maiorum? Nec hæreditaria ſignacula (vt ad Gratianum Imperatorem ait diuus Ambroſius) rudi temeritate violanda. Hinc inter alios orthodoxos Patres de Gregorio Nazanzeno, qui ex ſingulari diuinarum literarum ſcientia, Theologi cognomen conſecutus eſt, literis eſt proditum, quòd cùm eſſet Athenis, in omni diſciplinarum genere vnà cum Baſilio eruditus, ad ſtudia ſacrarum literarum conuerſus eſt, in quibus ſe in cœnobio

Deut. 12. & 13.

1. Tim. 6.

Rom. 16.

2. Theſſ. 2. & 3.

Gal. 1.

D. Ambro. ad Gratia. Imper. lib. 3.

bio

bio tredecim annos exercuerunt, illarum ſententias non ex proprio ingenio, ſed ex maiorum ratione & authoritate interpretantes.

CAPVT VII.

Qui ſint Catholici fines & termini, quos nefas eſt transgredi, quiq. ſint Patres illi, quos conſulere et audire debemus. Epipha. lib. 2. contra hereſes, & lib. 3. contra Dimeritas.

IVre igitur nobis Patres noſtros interrogandos eſſe præcipitur, vt non decipiamur nouis fabulis. Hoc enim pacto, neque in ipſis etiam erroribus errare vnquam poterimus: quandoquidem termini, vt inquit Epiphanius, nobis poſiti ſunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apoſtolorum traditiones, & ſcripturæ ſacræ, & ſucceſſiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita eſt. Hi ſunt illi ſacri limites, & fines, quos poſuerunt nobis Patres noſtri, & Patribus noſtris ſanctus Spiritus circumſcripſit, quoſque nullo modo tranſgrediendos eſſe, paſſim ſcriptura diuina nos admonet. His terminis domus Simonis, & vera Chriſti Eccleſia conſtituitur, & definitur. Extra hos terminos, quisquis inuenitur, profanus eſt, & ad oues Chriſti non attinet: extra arcam eſt in diluuio, non comedit agnum in domo vna, internecioni & vaſtationi deſtinatus eſt. Quicunque enim extra domum Raab, ideſt, extra Eccleſiam, quæ ſola funiculum coccineum habet, ideſt, ſola ſanguinis Chriſti priuilegio & beneficio potitur, & ſola Martyrum vera ſucceſſione pollet, inuentus fuerit, ab excidio Ierico, ideſt, ab interitu mundi non euadet. Eccleſia namque, vt ait ſanctiſſimus martyr Cyprianus, vna eſt, quæ vna intus eſſe & foris non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit: Si verò apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter ſacerdotij honorem, martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica & apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ordinatus eſt: habere namque, aut tenere Eccleſiam non po-

Ioſue 2. & 6.

D. Cypr. lib. 1. epiſt. 6. Ad Magnum.

teſt

teſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Præterea non omnes Patres, neque omnes Seniores conſulendos eſſe diuinus ille legiſlator nos admonebat. Siquidem non omnes Patres, neque omnes Seniores ad catholicam ſpectant, ſed illi tantùm qui ſemper omnibus in rebus intra vnius ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ præſcriptos fines ſe ſe continuerunt, aut continendi voluntatem habuerunt. Qui verò extra Eccleſiam ſunt, & aliud atque Eccleſia ſentiunt, quamuis Patres, quamuis Seniores, nullo modo interrogandi, aut audiendi ſunt. Hocque nimirum erat illud, Interroga Patres tuos, & dicent tibi; Seniores tuos, & annuntiabunt tibi. Tuos, tuos dixit, non extraneos, non alienos: ſed illos quos ſancta Eccleſia dedit tibi magiſtros, conſiliarios, duces, rectores, moderatores, miniſtros, apoſtolos, paſtores, principes. Nam conſtituere & coaceruare (vt verbis Apoſtoli vtar) ſibi magiſtros ad ſua deſideria, non catholicorum, ſed Hæreticorum eſt. Pij enim & catholici omnes non cum doctoribus, vel à doctoribus Eccleſiam, ſed cum Eccleſia & ab Eccleſia doctores receperunt: immo neque in omnibus eos receperunt, ſed in ijs rebus tantùm, quas ſancta Eccleſia ſua authoritate roborauit. Cur duo illi (ut interim reliquos omittã) magni chriſtianæ religionis athletæ Tertullianus, & Origenes in multis à catholicis uiris reijciuntur, niſi quia priùs in illis à catholica Eccleſia fuerunt reiecti? Cur etiam eoſdem ipſos in multis omnes orthodoxi & amplectuntur, & uenerantur, niſi quia in illis etiam orthodoxa Eccleſia eoſdem ipſos priùs & amplexata eſt, & uenerata? Ex eodem igitur agro, & in eadem area colligit Eccleſia triticum, & explodit zizaniã; amplectitur ueritatem, & reijcit errores. Cur? quia catholica ueritas non ab hominibus, qui natura ſunt omnes filij iræ, & crebrò erroribus capiuntur, ſed ab Eccleſia, quæ eſt vnica ſponſa Chriſti, quæ eſt ueritatis magiſtra, & ſemper cæleſti numine ducitur, petenda eſt: neque enim doctores ſua ſapientia Eccleſiam fundauerunt. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere,

Deuter. 32.

2. Tim. 4.

Ephes. 2.

1. Cor. 3

ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt, CHRISTVS IESVS, ſed Eccleſia ſua authoritate doctores inſtituit. Ille enim doctor eſt, vt ait diuus Ambroſius, cui conceditur. Hinc diuus Paulus, quamuis doctor gentium, quamuis vas electionis, quamuis Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per IESVM Chriſtum, & Deum patrem: bis attamen aſcendit diuino oraculo ad monitus Hieroſolymā, & contulit cū Eccleſiæ primatibus euangelium quod prædicabat in gentibus, ne fortè (vt idem præſtantiſſimus, & diuinus doctor inquit) in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Et alio in loco vocat Eccleſiam Dei viui columnam, & firmamentum veritatis. Immo etiam diuus Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum, affirmat, quòd Eccleſia Paulo omnino non crederet, niſi euangeliū ſuum communicaſſet cum Eccleſiæ præfectis. Et alibi idem diuus Auguſtinus apertè denuntiat, quòd ipſe Euangelio non crederet, niſi eum catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas: & idem paulo poſt rurſum aſſerit, ſe Euangelio per catholicos credidiſſe. Et quidem certè non modò quatuor Euangeliorum volumina, ſed reliqui quoque ſacri codices ex decreto Eccleſiæ publicam authoritatē habent. Eccleſia autē à nullo niſi à Chriſto: quia ſcripturis vetuſtior eſt Eccleſia, & ſcripturæ ex Eccleſia Dei afflatu emanauerunt. Quisquis igitur illis rebus, quibus Eccleſia authoritatem dedit, tantum tribuit, vt Eccleſiæ authoritatem reijciat, magno quidem in errore verſatur: quia eccleſiaſticum ordinē confundit, & ſupremam Chriſti in ſuis miniſtris authoritatem non agnoſcit; ab cuius diuino ore vox illa prolata eſt. Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos audit, me audit.

D. Ambr. in 12. cap. 1. Corinth.

Gal. 1. & 2. 1. Tim. 3.

D. Aug. contra Fauſtum Manichæum lib. 28. cap. 4.

D. Aug. contra epiſt. Mani. quā vocant fundamēti. Tom. 6. cap. 5.

Luc. 10.

CAPVT VIII.

Diluuntur quæ pro diuina ſcriptura ad uerſus paternas tradi-

ET quamquam diuinæ ſcripturæ authoritas per ſe maxima eſt, vt pote, quæ digito Dei ſcripta eſt, & tota ex diuinis oraculis pendet, nec niſi inſtinctu, afflatuque diuino

ad nos

ad nos funditur: verumtamen, quæ ſit hæc diuina ſcriptura, aut quæ ſit illius vera cognitio, & interpretatio, nemini niſi ex Eccleſiæ decreto & teſtimonio ritè & certò innoteſcere poteſt. Eccleſia enim de ſacrorum & canonicorum librorũ diuina authoritate certos nos reddit. Eccleſia in dubijs fidei quæſtionibus illos nobis interpretatur. Eccleſia quis ſit natiuus eorum ſenſus nobis aperit & præſcribit, ipſo Deo Opt. Max. ſacrarum ſcripturarum authore, fidelibus ſuis de ſe ipſo per Eccleſiam ſuam teſtimonium perhibente. Ex quo interpretatio, ſiue authoritas illa, quæ ab Eccleſia ſacris codicibus tribuitur, non ab Eccleſia, neque ab hominibus, ſed ex Deo eſt, qui per miniſtros ſuos loquitur, quiq; dedit poteſtatem talem hominibus. Quamobrem quicumque aliud, quàm Eccleſia ſentit, profanus eſt, & impiorum in numero habendus. Sic enim veritas ipſa teſtatum reliquit. Qui Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi tamquàm ethnicus & publicanus. Nam qui Eccleſiam contemnunt, non homines ſpernunt, ſed Chriſtum, qui non Angelos, ſed homines ſuorum ſacramentorum, & ſuæ gratiæ miniſtros conſtituit, poſuitque illos rectores & paſtores vt gregem ſuum paſcerent, & grex illorum vocem audiret. Neque enim dixit, Qui ſcripturam non audierit, ſed, qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquàm ethnicus & publicanus. Labia enim non ſcripturæ, ſed ſacerdotis (ait diuinus ille vates) cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius. Scriptura enim per ſe quaſi elinguis eſt, &, ſi loquitur, ſignis & nutibus quibuſdam loquitur: quapropter fidorum interpretum ope, & miniſterio indiget. Quemadmodum enim humana lex neminem iudicat viuorum iudicum authoritate ſemota: ita etiam diuinorũ eloquiorum vis ferè eſſet emortua legitimis miniſtris, & interpretibus ſublatis. Hinc in veteri lege non ad ſcripturam diſſidentes homines, ſed ad viuorum examen atque iudicium referebantur. Et in actibus Apoſtolicis, Apoſtoli, & Seniores in ijs, de quibus tunc inter fideles controuerſabantur, non ſcripturam iudicem, ſed

tiones obijci poterant. *Math. 18.* *Malach. 2.* *Deut. 17.*

C ſemet

Act. 15. ſemet ipſos & Spiritum ſanctum poſuerunt, dicentes: Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. Hoc enim eſt præcipuum Apoſtolicæ Eccleſiæ munus, paſcere, regere, iudicare, docere, de rebus diuinis reſponſa dare; quippe quod ad priuatos quoslibet pertinere non poteſt. Nam incerta eſſent diuina oracula, & nullus eſſet diſſidiorum finis, ſingulis ad ſuas priuatas reuelationes & opinationes Dei voluntatem trahẽtibus. Præterea non omnibus, ſed vni Petro, & eius ſucceſſoribus dictum eſt: Tibi dabo claues Regni cælorum. & Paſce oues meas. *Math. 16. Ioa. 21.* Sola igitur apoſtolica Eccleſia, & eius legitimum in terris caput, ſunt veri diuinæ voluntatis adminiſtri, & interpretes. Ex quo magiſter orbis, & Eccleſiarũ omnium curator Paulus, cùm perambulabat prouincias, cùm pertranſibat ciuitates, id in primis in ſua Euangelij prædicatione curabat, nempe, confirmare Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorũ, & ſeniorũ, tradebatque eis, vt ſeruarent dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Hieroſolymis. *Act. 15. & 16.* Sciebat enim diuinus doctor qualis eſſet Apoſtolici collegij poteſtas, quanta Vicariorum Chriſti authoritas, quod catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ priuilegium. Vt omittam quamplurima chriſtianæ religionis dogmata, quæ cùm maximè ad ſalutem ſint neceſſaria, ſacris tamen literis non fuerunt mandata, ſed dumtaxat ſanctæ Eccleſiæ rectorum fidei commendata, quæ deinceps, cùm fuit opus, ex ore in os à maioribus ſunt tradiſa, & explicata poſteris.

CAPVT IX.

Apoſtolicarum & paternarum traditionum vis & authoritas lõga inductione probatur.

VTra harum (vt quod aſſerimus clariori modo palam fiat) Eccleſia videlicet, an ſimplex ſcripturæ litera ſacro ſanctum . & ineffabile illud Trinitatis, illarumq; trium diuinarum perſonarum nomen nobis expreſſit? Eccleſia quidem, et Apoſtolica traditio: ſiquidem ex aperta & nuda Euangelicæ hiſtoriæ litera, vt ait diuus Baſilius, id non habetur. *D. Baſil. de Spiritu ſancto cap 27. & 29.* Et diuus Auguſtinus, Nos, inquit, Patrem,

&

& Filium, & Spiritum ſanctum eſſe tres perſonas dicimus, non quia ſcriptura dicit, ſed quia ſcriptura non contradicit. Eodem modo de ſymbolo Apoſtolico dicendum eſt: de quo quidem in ſacris literis nulla fit mentio. eccleſiaſtica tamen traditione ab Apoſtolis confectum eſſe cum diuo Clemente & alijs nonnullis catholicis Patribus tenemus; qua in re nemo vnquam catholicus dubitauit. Ad Deum preces effunduntur in diuino illo ſacrificio, quod in Miſſa peragitur pro ijs qui piè ex vita migrauerunt; cum tamen huiuſmodi aliquid in Euangelio non legatur. Num igitur impium eſt, & abolendum hoc ſacrificium? nequaquam, immo ſumma pietate tenendum & obſeruandum eſt: quia Apoſtolicæ traditionis beneficio ad nos perueniſſe teſtis eſt diuus Chryſoſtomus. Cùm datur pueris ſanctiſſimum cæleſtis militiæ ſacramentum, & Chriſto initiantur infantes, cur ter lauacro regenerationis, & ſalutari aqua perfunduntur & expiantur? cùm hoc, id eſt, vt trina immerſione ſacris liquoribus abluantur, nuſquam Euangeliorum ſcriptores prodiderunt? Cumque hoc in diuinis monumentis nuſquàm extet, à catholicis tamen & orthodoxis, ita vbique ferè & ſemper obſeruatum eſt, non quia ſcriptura dicit, ſed quia ſcriptura non contradicit. Et quia, vt teſtes ſunt Dionyſius & Origenes, ita ab Apoſtolis traditum eſt. Quamquam nunc trinæ immerſionis vſus ex nouo Eccleſiæ inſtituto prorſus ferè intermiſſus & abolitus eſt, vt in quarto Concilio Toletano decretum fuiſſe legimus. Apoſtolorum eſſe traditionem, quòd filius eiuſdem cum patre ſit ſubſtantiæ, Felix Pontifex ad Benignum ſcribens teſtatur. Quòd de maioribus Eccleſiæ cauſis ad Sedem Apſtolicam ſit referendum, traditione apoſtolica inſtitutum fuiſſe affirmat Zepherinus Pontifex & martyr. Signantur Chriſti fideles ſigno crucis, at quo diuino teſtimonio id faciunt? nullo quidem, niſi ſola Apoſtolorum traditione. Cùm benedicimus aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis, id quoque non ex ſcriptura, ſed ex traditione eſt. Vt ſacerdotes, & Deo dicati viri caput in gyrum abradant,

D. Aug. lib. 7. de Trin. cap. 4. Item. 1. ſent. diſt. 23. cap. ſed quæritur.

Clemens. in epiſt. 1. ad Iacobum fratrē Domini, Si tamen Clemens illius epiſt. author eſt.

Rufinus in exp. Symboli.

Hieronym. ad Pammachiū de erroribus Ioan. Hieroſol.

Ambr. in ſermo. 38. de ieiu. & quadrageſima.

Iſid. lib. 6. etymol. cap. 18.

Leo Papa in epiſt. 8. & 13. ad Auguſtam.

D. Chryſ. homil. 3. in epiſt. ad Philipp.

Diony. cap. 7. Eccleſ. Hierar.

Orig. lib. 5 in Epiſt. ad Rom.

Card. Oſius de fide & ſymbol. cap. 27.

Zepher. in epiſt. 1. ad Epiſc. Sicilienſes.

abradant,

abradant, vel attondeant, hoc etiam in albo Dei, & in Chriſti annalibus non eſt notatum: cùm tamen hoc inſtitutum in ſacerdotibus euangelicis ſemper præclarum atque laudabile fuerit. Quòd Spiritus ſanctus à patre filioque procedat, Eccleſia profectò, & apoſtolica traditio nobis explicauit, vt colligitur ex Concilio Florentino ſub Eugenio IIII. E ſcripturis Eluidius Mariæ perpetuam virginitatem, è ſcripturis Donatiſtæ paruulorum baptiſmum impugnabant: ſed ſicut illum Hieronymus, ita hos Auguſtinus Eccleſiæ traditione refellit. Vt ſpretis rebus humanis, à profanis hominibus ſegregati, in ſolitarijs & ſacris locis ſubiectam, pauperem, & cælibem vitam per omnem ætatem ducamus, nullo ſcripto Dei verbo nobis indictum, aut præceptum eſt, ſed ſola traditione paterna ad nos ſanctiſſimum hoc dogma eſt delatum. Minores ordines ex Apoſtolica traditione fuiſſe, teſtes ſunt Ignatius, Dionyſius, Clemens, & Anacletus. Idē ipſum de lege ieiunij dicendum eſt. Quam, vt quàmplurimi grauiſſimi authores affirmant, non Teleſphoro, qui fuit tantùm exactor quadragenarij ieiunij, non author, ſed Apoſtolicæ traditioni acceptam referre debemus. Imagines ab Apoſtolis eſſe traditas, Patres in ſeptima ſynodo generali, actione ſexta dixerunt. Quòd Chriſtus ad inferos deſcenderit, & veteres Patres è quarto illo animarum receptaculo extraxerit, qua, niſi apoſtolica traditione nobis palàm factū eſt? Vt modò erectis, modo flexis poplitibus, cùm res diuina peragitur, præſertim autem cùm ſanctum Dei Euangelium in ſacrificio Miſſæ recitatur, vt ſtantes ſimus, quanam ſcriptura edocemur? Totam ipſam inuocationis celebritatem dum Euchariſtiæ panis oſtenditur, & poculum benedictionis, quis ſcripturæ locus nobis expreſſit? Celebrat quotannis Eccleſia natalitia Martyrum, & reliquorū Cæliſtum feſtos dies, at id ex qua ſcriptura depromptum eſt? Tranſtulit Eccleſia ſabbathū in diem dominicum ſola Apoſtolorum traditione. Vt in omnibus Chriſtianorum templis Crucifixi ſimulacrum tamquam vnicum humanæ ſalutis inſigne,

D. Hierony. aduerſus Eluidiū. D. Aug. De bapt. cōtra Donat. Tom. 2. & 7.

Igna. epiſt. 8. ad Antioch. Diony. 3. cap. Eccl. Hierar. Clem. in epiſt. Ad vniuerſos. Anacl. in decretis. Melchior Canus lib. 3. cap. 4. Aug. ad Caſulanum epiſt. 86. Hieron. ad Lætam de inſtit. filiæ, & lib. 2. aduerſus Iouin. Ambroſ. ſerm. 25. & 38. Chryſoſt. ad populum Antioch. homil. 3. & 16.

Baſilius in concione in ebrioſos, & in poſteriore de Ieiunio.

gne, atque trophæum poneretur, quæ nam ſcriptura nos docuit? Quibus denique diuinis commentarijs, aut quibus Euangeliſtarum monumentis tot ſanctiſſimi chriſtianæ religionis ritus continentur, aut inſtituuntur? Quos tamen, vt à Patribus traditos, catholica Eccleſia ſemper religioſè & incorruptè ſeruauit. Scit enim ſancta mater Eccleſia, quæ vera Chriſti ſponſa eſt, & ſemper diuino ſpiritu regitur, antiquitatem proximè accedere ad Deum, eoſque quaſi traditam à Deo religionem verè tueri, qui non modò antiquitatem ſanctè ſuſpiciunt & venerantur, ſed etiam in eam non ſecus, ac nautæ in Hælicen, aut quemadmodum boni artifices in ideas atque principia ſuæ artis paſſim intuentur.

Origenes homil. 10. in Leuiticū. Irenaus apud Euſebium eccl. hiſt. lib. 5. cap. 24. Concilium Nicenum, & Laodic. plurib⁹ in locis.

CAPVT X.

OMnia ſiquidem fidei dogmata ab Apoſtolis accepit Eccleſia vel ſcripto, vel verbo: Apoſtoli enim miniſtri fuere ſermonis, nec vllas in fide (ſi ſubſtantiam religionis ſpectauerimus) nouas reuelationes Eccleſia habet, ſed eas ſeruat, quas Apoſtoli per Spiritum ſanctum fideli populo reliquerunt. Hinc diuus Epiphanius aduerſus eos, qui ſe Apoſtolicos vocauerunt, Oportet, ait, traditione vti. Non enim omnia à ſcriptura ſacra accipi poſſunt. Quapropter aliqua ſacris ſcripturis, aliqua traditione ſancti Apoſtoli nobis commendauerunt, quemadmodum dicit ſanctus Apoſtolus: Sicut tradidi vobis. & alibi: Sic doceo, & ſic tradidi in Eccleſijs, & ſic continetis, qua ratione prædicauerim vobis, niſi fruſtra credidiſtis. Et diuus Chryſoſtomus. Hinc patet, inquit, quòd non omnia per Epiſtolam, ſed multa etiam ſine literis Apoſtoli Chriſti tradiderunt: quod alibi ſæpe meminit Apoſtolus. Eadem verò fide digna ſunt tam illa, quàm hæc. Itaque traditionem Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt nihil quæras amplius. Idipſum Dionyſius Areopagita longè antè hos Patres teſtatus eſt. Eloquia diuina, inquiens, duplicis eſſe generis, quædam in ſa-

Quod nō minus neceſſaria ſit in catholica & orthodoxa Eccleſia traditio, quàm ſcriptura. Melchior Canus lib. 3. cap. 4. Epiphanius aduerſus Hæreſes. D. Baſilius in lib. de ſpiritu ſācto cap. 27. 1. Cor. 11. 1. Cor. 15. D. Chry. 1. Cor. 2. & 2. Theſſ. 2. Diony. Areopa. eccl. Hierar. cap. 1.

cris, ac Theologicis libris nobis commendata, & alia præterea, quæ ex animo in animum, medio interueniente verbo, corporali quidem, ſed quod carnis ſenſum penitus excedat, ſine literis transfuſa. Siquidem primi illi noſtri ſacerdotales duces, ſumma illa & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt. Et vtraque hæc, vt ait diuus Auguſtinus, authoritatis priuilegio pollent. ita vt nemini liceat priuato ſuo conſilio, aut aduerſus ſcripturam, aut aduerſus vniuerſalem huiuſmodi traditionem aliquam temerè obniti. Immo ſicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores eccleſiaſticarum cõſuetudinũ coercendos eſſe, ſacri canones edicunt. Et diuus Innocentius I. Dum vnusquiſque, ait, non quod traditũ eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc ſtatuit eſſe tenendum, inde diuerſa, & in diuerſis locis teneri, aut celebrari videntur: & fit ſcandalum populis, dum putant ab Apoſtolicis viris contrarietatem induci. Et diuus Baſilius, Non oportet, inquit, excedere congregationem Eccleſiæ, & per nos ipſos propriam Synagogam, aut ſectam auſpicari. Hæc ille. Et certè ſi priſcis illis Philoſophis, qui humanæ ſapientiæ ſtudijs totos ſeſe tradiderunt, non licebat eorum quos in gymnaſio duces habebant, placita aliquo modo redarguere: quamobrem Pythagoricis omnibus, ſi fortè quis in præceptoris ſui ſententia hæſitaret, peculiare erat illud, Ipſe dixit, hocque vnico verbo, ideſt, ſola authoritate docentis, omnis eis iniectus ſcrupulus, omniſque apória & hæſitatio tollebatur. Quod ſi ij, qui veritatem non diuino ductu, ſed humanis artibus, & humanis rationibus quæritabant, ſuis magiſtris, quos ſciebant eſſe homines, atque ita falli & fallere poſſe (Nam, vt ait Aug. non eſt homo verax, niſi in quo loquitur Deus) tantum tribuebant: quæ quorundam eſt amentia, & temeritas, vt non modò maiorum ſuorum decreta, non modò Patrum ſuorum dicta audeant infirmare, ſed ea etiam arcana, quæ ſingulari Dei munere, & ſancti Spiritus opera nobis per legatos ſuos reuelata & tradita ſunt, tanta impietate

D. Aug. ad Caſula. preſbyterũ

11. diſt. cap. In hiſce rebus.

D. Innoc. ad D. Aug.

D. Baſil. ſuper pſal. 22.

Nota lector.

[illegible] Enar. [illegible] 3. in principio.

impietate & obſtinatione repudient? In ſingulis diſciplinis, quæ humana induſtria & prudentia acquiruntur, prima illarum principia ab omnibus, qui illas profitentur, ſtatim, abiecta omni cunctatione, accipiuntur, alioquin nulla foret eorum ſcientia. Euangelicæ autem veritatis dogmata, quæ ex ore in os à ſpiritu Dei per ſanctos ſuos viuenti Eccleſiæ concredita ſunt, tam minimæ authoritatis erunt, vt de illis impunè addubitari, etiam eorum iuratis profeſſoribus licebit? O quàm rectè dixit Auguſtinus ad Honoratū. Cùm enim ſacros iſte libros ſine alia ope & legere, & intelligere ſe poſſe arbitraretur, ita ne eſt, Auguſtinus ait? Nulla imbutus poetica diſciplina, Terentiū ſine magiſtro attingere non auderes. Aſper, Cornutus, Donatus & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poeta poſſit intelligi. Tu in ſanctos libros ſine duce irruis? & de his ſine præceptore audes ferre ſententiā, &c. Et capite decimo ſeptimo. Si vnaquæque diſciplina, inquit, quàmquam vilis & facilis, vt percipi poſſit, doctorem, aut magiſtrum requirit, quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorum ſacramentorum libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere?

D. Aug. in lib. De vtilitate credendi ad Honoratum cap. 7.

CAPVT XI.

SED quid mirum, O Rex, ſi iſti recentes Theologi hæſitant in maiorum inſtitutis, cùm in ſententijs ſuis inconſtantiſſimi ſint? Aliud enim ſtantes, & aliud ſedentes; aliud foris, & aliud domi de rebus diuinis ſentiunt. Modò catholicis Patribus, modò conſectatoribus ſuis, modò ſibiipſis bellum indicentes. Neque enim erubeſcunt à ſe ipſis deſciſcere. Homines, vt diuus Iacobus & diuus Athanaſius inquiunt, volubiles in omnibus vijs ſuis, nec eandem habentes ſententiam, ſed nunc in hanc, nunc in illam partem ſe ſe vertentes; & modò probantes quod dicunt, modò verò vituperantes quod paulò antè laudauerunt. Qua in re, aut qua de re (vt veterum Hæreticorum exempla omittamus) vel

Hæreticorum inconſtantiam pădit, & in illos cenſuram facit author.

D. Athan. in decr. Syn. Ephe.

vel à catholica Eccleſia, vel à ſuffragatoribus ſuis, vel à ſe ipſo non diſſentit Lutherus? Quid non eſt varium inconſtans & mutabile in Melanchtone? Quid noui non aſſeuerat Bucerus? Quid falſi non audet Caluinus? Quid temulenti non admittit Carolſtadius? Quid impij non affirmat Zuuinglius? Quod nefas non diſſimulant Volphangi? Quid Brenztius, Sarcerius, Illiricus, Oecolampadius, Munſterus non mentiuntur? Quæ monſtra non dicunt Anabaptiſtæ? Quas hydras non fingunt Confeſſionarij? Quæ portenta Sacramentarij non edunt? Quos dracones non alunt, aut quod virus non euomunt Vgonothi? Quos denique Pſeudotheologos, Pſeudo euangeliſtas, Pſeudo apoſtolos, &, vt vno nomine cõplectar omnia, quos verbi Dei Pſeudominiſtros hæc noua Aquilonaris ſchola non admittit? Vſqueadeò, vt inter eos ſint longè plures ſententiæ, quàm capita. Quid dico ſententiæ? Quid dico capita; cùm eorum ſinguli in ſingulis etiam ſuis verbis hæſitent, nec aliquid certi habeant, niſi hoc vnum, ſcilicet, quòd omnes aduerſus Romanam Eccleſiam inſurgunt, & omnes catholicam fidem, & oecumenicã veritatem oppugnant; hinc apud eos omnia incerta ſunt. Aiunt negant, negant aiunt, provt cuiquà placet. Caupones vocat diuus Athanaſius eiuſmodi homines, nõ doctores: Quandoquidem illud in primis veram doctrinam, veroſque doctores arguit, ſi eadem inter ſe profiteantur, ſi diuerſa, ideſt, pugnantia inter ipſos non ſentiant, ſi à maioribus ſuis non diſſideant. Sed ſi quid à Patribus traditum eſt, vt pretioſiſſimum Chriſti, & eius ſponſæ Eccleſiæ depoſitum religioſè cuſtodiant. Qui enim hunc in modum affecti non ſunt, improbos potius, quàm veros doctores appellandos eſſe, idem diuus Athanaſius cenſet.

D. Athanaſius ibidem

D. Athanaſius eodem loco.

CAPVT XII.

Quanta ſit Hæreticorum temeritas volubilitas

ADducam aliqua eorum, quos paulò antè dixi noſtri temporis Hæreſiarcharum facta, ne calumniam & odium

odium in immeritos ſtruxiſſe uidear. Duo igitur dicam. Vnũ nihil certi, aut conſtantis eſſe in ſuis aſſertionibus. Alterum, quod errores quos aduerſus Eccleſiam catholicam profitentur, vniuerſos ab antiquis millies iudicatis, atque damnatis Hæreticis mutuati ſunt. Explicabo primò, quod primò propoſitum eſt; ſecundo, ſecundum; quamuis res hæc adeò nota ſit, vt explicatione non egeat. Quem enim latet noſtrorum Hæreticorum inconſtantia? Quandoquidem, vt ab illorum Anteſignano, tantarumque funeſtiſſimarum Tragœdiarum authore, & actore Luthero, qui in ſuis placitis fuit omni Chamæleonte & Proteo mutabilior, incipiam, quoties de numero ſacramentorũ ſua dicta idem ipſe retractauit, modò ſeptem, modò duo, modò vnũ eſſe aſſerens? Quæ Melanchton tria tantùm poſuit in ſua Apologia: quod poſteà in locis communibus mutauit, quatuor eſſe dicens. A Poſtello autem ſex ponuntur in ſua Panthænoſia, quod prorſus à Zuuinglianis reijcitur.

& impietas ex ipſorummet innumeris ferè poſitionibus inter ſe pugnantibus exponitur.

Aquam Baptiſmo eſſe neceſſariam ponit Lutherus: Nõ eſſe neceſſariam Bucerus & Caluinus proclamant.

Abrenuntiationem eſſe præmittendam præcipit Brenztius in ordinatione Eccleſiæ Vuirtembergenſis: Non eſſe præmittendam à tota Lutheri ſchola diſputatur.

Remitti baptiſmo peccatum æſtimat Lutherus: Non remitti Caluinus & Bucerus clamitant, nullum eſſe baptiſmi aquæ effectum docentes.

Baptiſmum non eſſe plus quàm externum ſignum Lutherus in ſermone de recumbentibus ait: Deteſtandos eſſe Suermerios, vtpote qui habeant ſacramenta pro externis ſignis, quibus Chriſtiani ſignentur, quaſi oues creta rubra, idem Lutherus in Epiſtola aduerſus Regem Angliæ inquit.

Poſt baptiſmum in puero adhuc remanere peccatum Lutherus in ſuis aſſertionibus pronuntiat: Non remanere peccatum (in baptiſmo enim omnia peccata remitti) vociferat idem Lutherus in libro de captiuitate Babylonica.

Pueros eſſe baptizandos Lutherus cenſet: Non eſſe baptizan-

ptizandos, niſi adultos, mordicus tuentur Anabaptiſtæ.

Matrimonium non eſſe ſacramentum, Lutherus in libro de captiuitate Babylonica aduerſus catholicos diſputat: Matrimonium verè eſſe ſacramentum diuinitus inſtitutum idē Lutherus multis in locis ediſſerit.

Nullum eſſe in nouo teſtamento viſibile aut externum ſacerdotium, Lutherus in libro de abroganda Miſſa ad Senatum Pragenſem, & in libro de captiuitate Babylonica ſtatuit: Ordinationē miniſtrorū Dei eſſe ſacramentū, Sacerdotesq́. honorandos eſſe, idem Lutherus in libro viſitationis, & Philippus in vltima editione locorū communiū aſſeuerant.

Omnes homines eſſe ſacerdotes, poſſe ligare & ſoluere, & vti clauibus Lutherus in libro de captiuitate Babylonica contendit: Eſſe in Eccleſia omnia ritè diſpoſita, ita vt alij doceant, & miniſtrent, alij addiſcant, & obediant miniſtris Euangelij Philippus in locis vltimæ editionis arbitratur.

Pœnitentiam non eſſe ſacramentum Lutherus in libro viſitationis, & in libro de captiuitate Babylonica perhibet: Pœnitentiā eſſe ſacramentū idem Lutherus in eodē libro viſitationis, & in eodē libro de captiuitate Babylonica docet.

Contritionem illam, quæ præcedit gratiam remiſſionis, omnino eſſe peccatum, Lutherus in aſſertionibus contra Leonem denuntiat: Contritionem non eſſe peccatum, ſed primam pœnitentiæ partem Philippus in Apologia, & in locis communibus ſancit.

Nullam ex parte noſtri diſpoſitionem ad ſuſcipiendam Dei gratiam eſſe neceſſariam, Lutherus in aſſertionibus, & Philippus in hypotheſibus ſuis deducunt: Opus eſſe fide & pœnitentia ad ſuſcipiendam Euchariſtiæ gratiā idem Philippus in locis communibus inſinuat.

Confeſſio auricularis, quam catholici ſacramentalem appellant, vt carnificina conſcientiarum à Luthero in ſuis reſolutionibus, & in ſermone de decem leproſis, & à Philippo in ſuis locis exploditur: Confeſſionem auricularem, & enumerationem peccatorum iuxta præcepta decalogi, vt neceſ-

ſariam in ſuis locis laudat idem Philippus.

Nullam in remiſsione peccatorum eſſe poſſe ſatisfactionem pro temporali pœna mitiganda, uel relaxanda, immo humanam omnem ſatisfactionem eſſe prorſus impoſsibilem, ſed Chriſtum feciſſe ſatis pro culpa, & omni pœna, Lutherus in ſuis aſſertionibus, & Philippus in ſuis locis, & in ſua Apologia obmurmurant: Vetuſtiſſima concilia recte ſtatuiſſe modum pœnitendi, & ſatisfaciendi pro peccatis, Eccleſiam quoque ſanctam matrem pio affectu manum Domini præueniendo rectè caſtigare filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam ne incurrant flagella Dei, tresque eſſe partes ſatisfactionis ieiunium, orationem, & eleemoſynam Lutherus in reſolutionibus, & concluſionibus ſuis contra Echium decernit.

In ſacramento Euchariſtiæ panem conuerti in corpus Chriſti, ſolis manentibus ſpeciebus aduerſus Zuuinglianos ſcriptitat Lutherus: Non conuerti in poſtrema editione confeſsionis Auguſtanæ lectores admonet Melanchton.

Panem in Sacramento eſſe merum corporis ſignum, Zuinglius, Caluinus, & Oecolampadius cunctis perſuadere enituntur: Non eſſe merum corporis ſignum in confeſsione Auguſtana declamat Lutherus.

Vinum uerum manere poſt conſecrationem in libro de captiuitate Babylonica prædicat Lutherus: Non manere idem Lutherus libro ſecundo contra Zuuinglium decertat.

Panis & uini ſubſtantiam non tranſelementari in corpus & ſanguinem Domini, Lutherus contra Regem Angliæ, & in libro de captiuitate Babylonica cum Philippo & omnibus ſuis diiudicat: Panem in uerũ & naturale corpus Chriſti, & uinum in uerum & naturalem ſanguinem Chriſti mutari, idem Lutherus in ſermone de Euchariſtia, & in libro uiſitationis edicit.

Ad ſacramentum Euchariſtiæ eo melius quempiam accedere, quo ſe peccatis onuſtiorem ſentit, Lutherus in ſermone de Euchariſtia & in ſuis aſſertionibus, & Philippus

in undecimum caput ad Romanos, inſinuant: Neminem admitti debere ad Euchariſtiæ ſacramentum, niſi priùs conſtet diſpoſitum eſſe, idem Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, & idem Philippus in ſuis locis referunt.

Euchariſtiam eſſe adorandam Lutherus in libro de adoratione Euchariſtiæ, & Carolſtadius ad Albertum Durerium arbitrantur: Non eſſe adorandam & Brenztius & confeſſio Vuirtembergenſis, & plerique alij Lutheri diſcipuli pugnant.

Corpus Domini in ſacramento Euchariſtiæ non eſſe adorandum, Lutherus ad Valdenſes ſcribit: Quemadmodum in terra Magi adorabant Chriſtum, ita adorari poſſe in Euchariſtia idem Lutherus ad Valdenſes memorat.

Communionem ſub utraque ſpecie eſſe neceſſariam Lutherus in confeſſione Saxonica ponit: Non eſſe neceſſariam communionem ſub utraque ſpecie idem Lutherus in libro ad Boëmos, & in libro de captiuitate Babylonica, & in ſermone de Euchariſtia denuntiat.

Sub una ſpecie non rectè participari integrum corpus & ſanguinem Chriſti, Lutherus in libro de captiuitate Babylonica edit: Sub una ſpecie, ac ſub utraque integrum Chriſtum cum corpore & ſanguine exhiberi, Lutherus in cathalogo ſententiarum, & in declaratione Euchariſtiæ oſtendit.

Miſſam non eſſe ſacrificium, aut opus bonum, Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, & Philippus in locis diſceptant: Miſſam eſſe partem Euangelij, eſſeque à tota Eccleſia approbatam, necnon pro uiuis atque defunctis ualere, idem Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, & in explicatione præceptorum demonſtrat.

Extremam unctionem non eſſe ſacramentum, Lutherus in libro de captiuitate Babylonica muſsitat: Extremam unctionem eſſe uerè ſacramentum, idem Lutherus in libro de præparatione ad mortem, & in tractatu de poteſtate Papæ apertè effatur.

Eccleſiam eſſe inuiſibilem, & ſola fide perceptibilem

Philippus

Philippus in Apologia, & Lutherus in Ambroſium Catharinum diſceptant: Eccleſiam eſſe cœtum uiſibilem & aſpe-ctabilem, externiſque ſignaculis inſignitam, Philippus in locis communibus deducit.

Eccleſiam nullam habere poteſtatem, ne unius quidem ſyllabæ conſtituendæ ſuper chriſtianum hominem, fruſtraq; à catholicis iactari Papæ arbitrium & Eccleſiæ poteſtatem, Lutherus de falſo ſtatu Cleri, & in libro de captiuitate Babylonica aſſerit: Poteſtatem Papæ eſſe poteſtatem Chriſti, ludificationemque Sathanæ eſſe affirmare, cùm errat Eccleſia, non eſſe Eccleſiam, Lutherus in libro de abroganda Miſſa, & in ſermone de excommunicatione commemorat.

Eccleſiam non eſſe alligatam ordinariæ ſucceſſioni, neque ordinationi temporis nuſquam interrupti, neque uniuerſitati locorum, ſed gregem eſſe paſſim diſperſum in orbe terrarum, ita ut hæc uox, catholica, ex ſymbolo expungi debeat, & pro ea reponi, chriſtiana, Lutherus in libro contra Papatum, & Philippus in diuerſis editionibus criminantur: Eccleſiam eſſe catholicam, & errare non poſſe idem Lutherus in explicatione decem præceptorum, & in reſolutionibus ſuis contra Echium, & idem Philippus in expoſitione explicati ſymboli, uociferant.

Non poſſe Eccleſiam, aut Papam aliquo modo condere leges, aut canones uel ad fidem, uel ad bonos mores pertinentes Lutherus aduerſus Ambroſium Catharinum diſputat: Canones Patrum poſitos eſſe ut dirigant populũ, ſummeque neceſſarios eſſe, idem Lutherus in explicatione decem præceptorum lectoribus ſuadere conatur.

Diuum Petrum fuiſſe Epiſcopum, & Romanæ Eccleſiæ præſidiſſe, Lutherus & Bucerus ſtatuunt: Hoc ipſum à Veleno, Caluino, & Functio ſumma cũ obſtinatione refellitur.

Cælibatum, uirginitatem, aureolas, nugas eſſe, & mera Sathanæ mendacia, Lutherus in libro de uotis enuntiat: Sacrilegium eſſe caſtitatem polluere, idem Lutherus in explicatione decem præceptorum recantat.

Inter

Inter Chriſtiános nullam eſſe ſuperioritatem & præſtantiam gradus, Lutherus in ſecundo libro de poteſtate ſeculari decernit: Omnem poteſtatem eſſe à Deo, Principemq́. populi nullo modo maledictis figendum, ſed utcunque malum, æquo animo ferendum idem Lutherus in explicatione decem præceptorum docet.

Legem neque antè, neque poſt iuſtificationem eſſe neceſſariam ad ſalutem, in euangelioq́ue nihil præcipi quod legis uel mandati uim habeat præter fidẽ, cætera uerò opera omnia eſſe liberrima, Lutherus in commentariis in epiſtolam Pauli ad Galatas, & in præfatione noui teſtamenti, & in libro de captiuitate Babylonica tenet: Legem eſſe multis modis neceſſariam idem Lutherus in ſuis diſputationibus contra Antinomos ait.

Decem præcepta ad nos non pertinere, ſed ad ſolos Iudæos Lutherus in ſermone de Moyſe explicat: Decem præcepta à nobis prædicari debere, utpotè quæ contineant omnia bona opera idem Lutherus in uiſitatione Saxonica, & in diſputationibus aduerſus Iohannem Agricolam contendit.

Omnia præcepta euangelica uim mandati habere, nullaq́. in euangelio eſſe conſilia Philippus in locis communibus ſuſpicatur: Omnia mandata euangelica eſſe conſilia, nullumq́. in euangelio eſſe præceptum, Lutherus in præfatione noui teſtamenti edocet.

Nullis nos prorſus hominum legibus teneri, Lutherus in tractatu de iudicio chriſtianæ congregationis peruulgat: Euangelium non abolere leges politicas, ideoq́ue oportere illis obtemperare Melanchton in cõmuni loco de ciuilibus magiſtratibus conſulit.

Cùm quis iuſtificatur & redit cum Deo in gratiam, imputatur tantùm ei iuſtitia, non imprimitur, & habetur duntaxat, non fit re ipſa iuſtus, Philippus in annotationibus ad Romanos refert: Cum Deo uerè reconciliatum re ipſa iuſtum eſſe, & indutum nouis qualitatibus idem Philippus in poſtrema editione Commentariorum ad Romanos in ipſo

epiſtolæ argumento recenſet.

Non nos, ſed Deum ipſum in nobis facere & adimplere opera legis Lutherus in libro de libertate Chriſtiana enarrat: Nos oportere inchoare diuinæ legis opera Philippus in locis communibus ducit.

Sanctos eſſe inuocandos, explicat Lutherus contrà Thaboritas & in tractatu de præparatione ad mortem: Non eſſe inuocandos idem Lutherus in ſuis aſſertionibus, & Melanchton in ſua Apologia, & Caluinus multis in locis dixerũt.

Quòd nullus ſit reſpectus ſiue bonorum ſiue malorum operum, quòdque bona opera etiam præſuppoſita gratia, uitam æternam non mereantur, Philippus in tertio capite annotationum ſuarum in Iohannem, & in locis communibus de præmijs operum ſcribit: Bona opera in Dei gratia facta mereri præmia uitæ præſentis & futuræ Philippus in communi loco de præmijs, & Lutherus in aſſertionibus ſuis in articulo uigeſimo nono, & Bucerus ad Patres Concilij Tridentini, affirmant.

Diuorum imagines Lutherus & plerique Saxones ſeruãdas eſſe conſtituunt: Non eſſe ſeruandas idem Lutherus & Caluinus cum Zuuinglianis omnibus commentantur.

Dies feſtos celebrandos eſſe, Lutheri Aſſeclæ in ordinatione Eccleſiæ Vuirtembergenſis admonent: Non eſſe celebrandos idem Lutherus per Germaniam exclamat.

Effundere ad Deum preces pro mortuis, ut ſanctum & ſalubre à Luthero præponitur in capitibus fidei ſub mortem editis: Quod Melanchton, & Caluinus ut rem impiam reſpuunt, & abominantur.

Eſſe tertium animarum receptaculum, in quo eos, qui in Domino moriuntur, uel pro debita dum uiuerent ſatisfactione omiſſa, uel pro quibuſdam peccatorum reliquiis diuinæ iuſtitiæ ſatisfacientes ab omni labe purgari, non uno in loco prædicat Lutherus: Non eſſe Melanchton, Caluinus, Zuuinglius, & plerique Lutheri Aſſectatores manibus (ut in prouerbio eſt) ac pedibus contendunt.

Liberum

Liberum arbitrium nullum eſſe in homine, Lutherus in ſuis aſſertionibus, & libro tertio contra Zuuinglium concludit. Eſſe liberum arbitrium in homine Melanchton in poſtrema editione locorum communium monſtrat, appellatq́. hanc Lutheri ſententiam mendacium horribile, & furorem Manichæorum.

Concupiſcentiam eſſe peccatum Lutherus & Bucerus colligunt: Non eſſe peccatum Zuuinglius cum ſuis comminiſcitur.

Peccatum originale, & illam deprauatæ humanæ naturæ affectionem eſſe in paruulis opinatur Lutherus: Non eſſe in paruulis Seruetus, Zuuinglius, & Caluinus inculcant.

Nihil difficultatis eſſe in ſacris literis,& ſe nihil in eis ignorare iactat Lutherus in libro de ſeruo arbitrio: Idem Lutherus in præfatione ſuper pſalmos arguit impudentiſſimæ temeritatis eos, qui audeant profiteri unum librum ſcripturæ à ſe in omnibus partibus intellectum, & paulò ſupra ingenuè confitetur ſe ignorare an habeat legitimam pſalmorum intelligentiam.

In tanta denique humanarum opinionum ſylua & uarietate noſtrorum temporum Hæretici conſtituti ſunt, ut non modò uerbis, ſed ſæpe etiam uniuerſa re, totaque ſententia inter ſe grauiſſimè diſſentiant, & ſæpe, ac ſæpius pugnantia loquantur. Quodcunque enim ipſorum animos captioſa aliqua probabilitate percuſſit, id ſtatim accipiunt, laudant, prædicant, magnifaciunt, illudque ipſum paulò poſt reiicere & explodere non uerebuntur, ſi ſpiritus uertiginis eos inuaſerit. Nec mirum, ſiquidem quicunque ab unitate catholicæ lucis & ueritatis diuiſi ſunt, eos in magna diſſentione & confuſione uerſari neceſſe eſt. Nam concors Hæreticorum uafricies non ſecus ac ueterum olim gigantum lingua proprio aſtu confuſa diuiditur. & immanis Hæreticæ prauitatis impietas quemadmodum turris Babel prægraui ſuapte malitiæ pondere neceſſariò diſſolui & ſubuerti oportet. atque demum Athei homines ceu ueſanæ illæ perditorum

Angelorum cohortes, ad unum tandem omnes memorabili ruina dilabuntur in præceps, perpetuò ut terræ filij ad ima inferni tartara detrudendi.

CAPVT XIII.

CAETERVM hæc de primo dixiſſe ſit ſatis. Quis enim eiuſmodi hominum errores turbulentos uniuerſos, & uolubiles concertationes omnes poterit recenſere? Veniamus igitur ad ſecundum: in quo noſtrorum temporum hæreſes ad ſuam originem reuocare promiſimus. Neque enim aut ſua ſunt, aut noua, quæ hoc tempore Catholicorum hoſtes tanto ſtudio, tantoq. ſeditioſorum hominum applauſu credulis & incautis quibuſdam homunculis ſuadere enituntur, ſed omnia ferè ſunt uetuſtiſsima, ſæpe aliàs ab Hæreticis olim damnatiſsimis infeliciter decantata. Notum autem ſit quod dicimus, his exemplis.

Omnes Hæreticorum noſtri tẽporis hæreſes, eſſe ueterum Hæreticorum damnata placita, quãplurimis exemplis demonſtratur.

Deum non permittere aliqua, ſed efficere omnia, ita ut uniuerſa tam bona quàm mala ex abſoluta neceſsitate eueniant. Ex quo adulterium Dauidis, & Iudæ perditionẽ æquè eſſe opus Dei, ac ipſam Pauli conuerſionem & mundi inſtaurationẽ, Lutherus in ſuis reſolutionibus articulo trigeſimoſexto, & in libro de ſeruo arbitrio, & Melanchton in annotationibus ad Romanos autumant: Hanc hæreſim Manichæus, Florinus, & Blaſtus (ut teſtatur Euſebius Cæſarienſis libro quinto Hiſtoriæ eccleſiaſticæ capite decimonono & uigeſimo, Et diuus Auguſtinus in libro de libero arbitrio, & in ſecundo libro de moribus Eccleſiæ, & in diſputatione, quã habuit cum Fortunato Manichæo) ſuis Aſſectatoribus inculcauerunt. Idem illud ab Vuicleſo fuiſſe aſſertum teſtantur acta Concilij Conſtantienſis ſeſsione octaua.

Dei imaginem non ad ſolam hominis mẽtem, ſed ad corpoream etiam hominis naturam pertinere, Oſiander in ſuo, quẽ de imagine Dei inſcripſit, libello, & Lutherus in Commentarijs in Geneſim exiſtimant: Iſtud ipſum Audæani, &

Antropomorphitæ multis ante ſeculis impiè exiſtimauerũt, ut legitur in Hiſtoria tripartita libro ſeptimo, capite vndecimo, & libro decimo, capite ſeptimo.

Dei legem eſſe hominibus etiam ſanctis impoſsibilem, nulloq. opere, ſed ſola fidè impleri, docet Lutherus in articulis per theologos Pariſienſes damnatis: Iſtud ipſum ſeditioſos & ignauos quoſdam docuiſſe commemorat diuus Hieronymus ad Damaſum Papam.

Chriſtum non perſona eſſe alium a Patre, nunc Michael Seruetus,&Ludouicus Hetzerus Anabaptiſtarum dux,teſte Sebaſtiano Franco,uſurpant: Idem quondam à Noëto, Sabellio,& Priſcilliano uſurpatum fuiſſe teſtatur Epiphanius in libro octuagínta hæreſum,hæreſi quinquageſima ſeptima. Et diuus Auguſtinus in libro de hæreſibus capite ſeptuageſimo. Et Ruffinus Hiſtoria eccleſiaſtica libro primo, capite uigeſimo nono. Et Theodoritus, libro quinto,capite decimo.

Chriſtum humanam naturam ex Virgine non aſſumpſiſſe hac tempeſtate Melchion Hofman, & Menno in colloquio Vuiſmarienſi opinati ſunt: Idem ipſum Priſcillianiſtæ, Cerdoniani, Marcionitæ, & Manichæi tenuerunt, ut habetur in Concilio Telenſi, & refert Leo Papa huius nominis primus ſcribens ad Aſtorigenſem Epiſcopum.

Chriſtum non eſſe æqualem Deo patri,nec eiuſdem naturæ, idem Ludouicus Hetzerus, teſte Sebaſtiano Franco, & contra Lathomum Lutherus, cui homouſion, & Trinitatis uox numquam arriſit, aſſeuerant: Iſtuc ipſum priùs Arrio placuiſſe innumeris Patrũ teſtimoniis cõſtat, præſertim libro primo Hiſtoriæ tripartitæ capite duodecimo & ſequentibus.

Chriſtum in duabus naturis duarum eſſe perſonarum, Adam Paſtoris, teſte Georgio Caſſandro, cenſet: Eundem hunc fuiſſe Neſtorij errorem enarrat Hiſtoria tripartita libro duodecimo, capite quarto.

Chriſtum in una perſona unius etiam eſſe naturæ, Seruetus, ut refert Vuilhelmus Lindanus, aſſerit: Hoc ipſum fuiſſe Eutychis erratum, ex Concilio Chalcedonenſi

&Epheſino,

& Epheſino, quod tertia Synodus dicitur, atque Hiſpalenſi ſecundo habetur.

Chriſti ſpiritum in nullo Prophetarum requieuiſſe, idem Michael Seruetus (teſte Caluino in actis eius) affirmat: Hoc ipſum Cerdonianos affirmaſſe ait diuus Auguſtinus ad Quoduultdeum capite uigeſimo primo.

Poſt Chriſti aſcenſum in cælum humanam eius naturam conuerſam fuiſſe in diuinam, Gaſpar Suencfeldius in libello de duobus ſtatibus Chriſti ponit: Iſtuc ipſum erratum ex Eutychianis aſſertionibus confictum eſſe perſpicuum eſt diui Auguſtini teſtimonio in libro de hæreſibus ad Quoduultdeum capite nonageſimo. Et in eccleſiaſtica Euagrij Hiſtoria libro ſecundo, capite decimoſexto, ubi huiuſmodi Eutychis uerba leguntur: Ex duabus naturis Chriſtum ante unionem extitiſſe, poſt unionem uerò unius tantùm fuiſſe naturæ.

Chriſti Regnum poſt reſurrectionem fore corporale annorum mille Anabaptiſtarum quidam hoc tempore, teſte Sebaſtiano franco, contendunt: Idem ipſum tépore Apoſtolorum Papiam, Cherinthum, & Chiliaſtas docuiſſe patet ex diuo Hieronymo in libris de eccleſiaſticis ſcriptoribus, & ex Euſebij libro ſeptimo Hiſtoriæ eccleſiaſticæ capite uigeſimoquinto.

Damnatos omnes & Dæmones eſſe ſaluandos, Iohannes Dentzius, & Anabaptiſtæ, ut ait Sebaſtianus Francus, opinantur: Hoc ipſum fuiſſe Origeniſtarum erratum teſtatur diuus Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei, & de hæreſibus capite quadrageſimo tertio.

Ad Eccleſiam improbos non pertinere, ſed tantùm bonos, Hæreticorum noſtri temporis patriarcha Lutherus docet: Hanc hæreſim fuiſſe Donatiſtarum commentũ ait diuus Auguſtinus in libro de hæreſibus, capite ſexageſimonono.

Principibus laicis perſuaſit Lutherus ut bona eccleſiaſtica diriperent: Huius tam impij ſacrilegij authores, ut refert diuus Auguſtinus in libro de hæreſibus capite quinquageſi-

mo, olim Antropomorphitæ fuerunt.

Aſſerunt uniuerſi ferè noſtri temporis Hæretici, ſed Lutherani in primis, oportere omnes fidei, & religionis cõtrouerſias nullo modo Apoſtolicis & paternis traditionibus, ſed tantummodò ſacrarum literarum teſtimoniis componi; finiri uerò nihil, niſi quod ſacris literis ſit expreſſum, necnõ hoc eſſe ueræ theologicæ eruditionis, nihil ultra quàm quod ſacris libris proditum eſt, definire, cætera omnia eſſe problemata, in illud reiicienda tempus, quum ſublato ſpeculo uidebimus Deum de facie: Hæc eadem ipſa fuit Vuitcleffi, ut ſcribit Thomas Valdenſis, aſſertio. Fuit etiam aliis antè ſeculis Hæreticorum quorundam, quos Bernardus homilia ſexageſimaſexta in Canticis commemorat. Arrianis quoq. tribuitur ab Auguſtino in conflictu contra Maximinum. Arriani præterea, qui in ſynodum Seleucianam conuenerunt, non obſcurè teſtati ſunt ſe in fidei quæſtione nihil omnino præter diuinas ſcripturas recepturos, ut author eſt Epiphanius hæreſi ſeptuageſimatertia. Diuus quoque Baſilius dicit, Eunomium in eodem errore uerſatum. Fuit denique error hic communis Iconomachis, Neſtorio, Eutychi, Dioſcoro, & Hæreticis penè omnibus. Vide ſeptimam Synodũ Nicenam ſecundam in Anathematiſmo primo, & ſeptimo Baſilij cuiuſdam Ancyrani Epiſcopi.

Scripturam ſacram ita legendam eſſe noſtri temporis Hæretici arbitrantur, ac ſi deprauata, & adulterata eſſet, quapropter aſſerunt pro uniuſcuiuſque arbitrio ex ea accipiendum quod lubet, quod non lubet reiiciendum: Idem hic error fuit Manichæorum, ut ſcribit diuus Auguſtinus ad Quoduultdeum, capite quadrageſimoſexto. Fuit quoque Euſtachij, ut legitur in Concilio Gangrenſi.

Vni Luthero tanquàm Germanico prophetæ credẽdum eſſe, Catholicis nihil, idem Lutherus in libro contra Henricum Regem Angliæ, & in libro De falſo ſtatu Cleri aſſerit: Hoc ipſum Manichæorum temeritas de ſuis affirmare audebat, ut refert diuus Auguſtinus, ad Quoduultdeum, capi-

te quadrageſimoſexto.

Appellant huius temporis Hæretici Apoſtolicam ſedem Cathedram peſtilentiæ, & Catholicos Patres Pſeudoepiſcopos, & proditoris Iudæ Vicarios &c. Iſtos ipſos fuiſſe Donatiſtarum latratus recenſet diuus Auguſtinus cõtra Petilianum quendam Donatiſtarum apoſtatarum ducem, qui aduerſus Romanam Sedem, & Catholicos omnes tales uoces edere ſolitus erat: Totus mundus apoſtatauit, nos autem in Eccleſia permanſimus, tanquam illæ duæ Tribus in Populo Dei.

Nunc Aquilonares theologi, ideſt, noſtri temporis Hæretici, apud ipſos eſſe ueram Eccleſiam gloriantur: Eodem modo Nouatianus olim (Simiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines imitantur) catholicæ Eccleſiæ authoritatẽ ſibi uoluit uendicare, ut ſcribit diuus Cyprianus ad Iubaianũ. Id ipſum quoq. Donatiſtis tribuitur ab Auguſtino.

Omne peccatum eſſe ſuapte natura mortale, per ſe autẽ nullum ueniale, hoc eſt, omnia peccata eſſe paria, Lutherus in articulis per theologos Pariſienſes damnatis, Caluinus in inſtitutionibus ſuis capite tertio, & Philippus in locis communibus concludunt: Idem hic error priùs à Stoicis, & à Iouiniano fuit aſſertus, ut inquit diuus Auguſtinus in libro de hæreſibus, capite octuageſimoſecundo.

Solam incredulitatem eſſe peccatum, reliqua uerò omnia errata, peccati rationem non habere, Lutherus in libro de libertate chriſtiana, & Philippus in annotationibus in Iohannem inquiunt: In hunc ipſum lapidem olim Eunomius impegit, teſte diuo Auguſtino in libro de hæreſibus capite quinquageſimoquarto.

Peccatum originale eſſe morbum dũtaxat, non uerè peccatum Vlrichus Zuuinglius in libro de baptiſmo ſentit: Hãc eandem ipſam ſententiam fuiſſe Pelagianorum manifeſtum eſt ex diuo Auguſtino in libro de hæreſibus capite octuageſimooctauo.

Peccata uerè, & re ipſa non tolli per baptiſmum, ſed ra-

di &

di & remitti tantùm, non ut non ſint, ſed ut non eſſe imputetur, Lutherus in ſuis aſſertionibus, & Philippus in locis cõmunibus, & in Commentariis ad Romanos opinantur: Hæc eadem fuit calumnia Pelagianorum aduerſus Catholicos, ut inſinuat diuus Auguſtinus in libro primo ad Bonifacium Papam contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite decimotertio.

Non eſſe baptiſmum aquæ neceſſarium, Caluinus in ſuis inſtitutionibus ait: Eadem impura lue quondam Seleucianos, & Hermianos fœdatos fuiſſe diuus Auguſtinus ſcribit in libro de hæreſibus capite quinquageſimonono.

Præſtaret potiùs omittere baptiſmum in paruulis, quàm baptizare eos ſine fide, Lutherus in Valdenſes affirmat: Hanc eandem hæreſim Meſſalianorum, qui alio nomine Eutiſyaſtæ dicuntur, quique omnia orationi tribuebant, Academia olim aſſeruit, ut refert Hiſtoria tripartita, libro ſeptimo, capite undecimo.

Infantes Chriſtianorum non eſſe peccato aliquo contaminatos, ſed prorſus mundos, quamobrem naſci bonos, & hæredes uitæ æternæ, Non renaſci, Caluinus, Zuuinglius & Lutherus uſurpant: Iſtud ipſum fuiſse olim à Pelagianis uſurpatum diuus Auguſtinus libro tertio contra Iulianum, & aliis in locis recenſet. De hoc etiam mentionem facit Concilium Mileuitanum, & Innocentius I. in epiſtola uigeſimaſexta ad eandem ſynodum, & Concilium Carthaginenſe in epiſtola ad Innocentium Papam.

Sanctum Chriſma, ut conſpuatur & conculcetur, Lutherus & Caluinus omnes machinas adhibent: idem quoque olim Donatiſtæ, ut eſt apud Optatum, moliti ſunt. Et Valdenſibus eadem impietas aſcribitur ab Aenea Syluio in libro de origine Boëmorum capite trigeſimoquinto.

Confirmationem non habere ſacri olei illitionem, ſed per manus dumtaxat impoſitionẽ perfici, Caluinus & Bucerus iudicant: Hoc ipſum fuiſſe Nouatianorum iudicium, aut potiùs temeritatem, teſtis eſt Euſebius in Hiſtoria Eccleſia-

ſtica, libro ſexto, capite quadrageſimotertio.

Extremam unctionem inter ſacramenta non numerat Lutherus: Hanc fuiſſe Valdenſium blaſphemiam Aeneas Syluius in libro de origine Boëmorum capite trigeſimoquinto commemorat.

Ordinis ſacramentum non eſſe ueri nominis ſacramentū, nec ordinationibus clericos fieri Spiritus ſancti participes, Lutheranorum & Zuuinglianorum ſchola concludit: Hæc ipſa, teſte Damaſceno, fuit phreneſis Meſſalianorum.

Mulieres iurè poſſe ad ſacerdotiū promoueri tenet Lutherus: Hanc hæreſim fuiſſe à Pepuſianis aſſertam, manifeſtum eſt ex diuo Auguſtino in libro de hæreſibus, capite uigeſimoſeptimo. Et Cataphrigæ eodem errore detenti ſunt, ut refert Dominicus Soto in quarto ſententiarū diſtinctione uigeſimaquinta, quæſtione prima, articulo ſecundo: Si tamē Cathaphrigæ alij fuerunt à Pepuſianis. Thomas etiam Vualdenſis, tomo ſecundo de ſacramentis, capite ſeptimo, & uigeſimo octauo inducit Firmiani epiſtolam ad Cyprianum, qua de præſtigiatrice puella refert, quæ ſe ſacerdotiſſam faciens, Euchariſtiam conſecrabat.

Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam aduerſus Catholicos Lutherani, & Zuuingliani diſputant: Hæc opinio inter Audæanorum & Meſſalianorum placita, teſte Theodorito, Hiſtoria Eccleſiaſtica, libro quarto, capite decimo & undecimo, numeratur.

Euchariſtiam extra uſum ſacramenti non habere corpus Chriſti, referunt Lutheri ſequaces: Hoc idem Neſtoriani, teſte Cyrillo in epiſtola ad Colobaſſum, protulerunt.

Euchariſtiam tantùm eſſe Dominici corporis ſignum, Zuuinglius, Oecolampadius, Caroloſtadius, & Caluinus hac tempeſtate machinantur: Idem tot ſeculis antè à Berengario impiè repertum fuiſſe, Concilium Vercellenſe ſub Leone IX. Turonenſe ſub Victore II. & Romanum ſub Nicolao II. conteſtantur.

Euchariſtiam habere verum Domini corpus cum pane uero,

uero, Lutherus cum ſuis conſtituit: Idem, teſte Guitmundo Auerſano, Berengariani conſtituerunt.

Baptiſmum & cætera omnia diuina ſacramenta, nec ſanctificare hominem, nec animi ſordes expiare, nec aliquo modo conferre gratiam, ſed eſſe mera hominum figmenta, Lutheri & Zuuinglij ſectatores hac tempeſtate arbitrantur: Iſtud ipſum longè anteà Armeni, Cathari, Flagellatores, ut Alphonſus Caſtrenſis,& Vuilhelmus Lindanus referunt, commenti ſunt.

Pro mortuis non eſse ſacrificandum Zuuinglij & Lutheri diſcipuli ſanciunt: Idem,teſte diuo Auguſtino ad Quoduultdeum,capite quinquageſimotertio,Aerius quondã ſanciuit.

Imagines Chriſti & Sanctorum eſse idololatriæ fomenta, Zuuinglius, Caluinus, & Lutheri ſatellites per Bauariam ſuperiorem prædicant: Hic idem impurus humor à Felicianorum, ut refert Platina in uita Hadriani I. ſterquiliniis emanauit.

Vera miracula non fieri in Eccleſia, ſed eſse Dæmonis præſtigias, Lutherus & Caluinus blaſphemant: Hanc priùs fuiſse Valdenſium Blaſphemiam teſtis eſt Guido Carmelita in libro de hæreſibus, capite decimoquinto.

Sanctos non eſse inuocandos, nec eorum reliquias uenerandas, Lutherani, Zuuingliani, & Oecolampadiani ſomniant: Hoc ipſum fuiſſe Euſtachij commentum, & Vigilantij ſomnium, habetur apud diuum Hieronymum, & in Concilio Gangrenſi.

Virginitatem non præſtare matrimonio,Lutherus in Epithalamio, confeſsio Vuirtembergenſis, & Brenztius hoc tempore opinantur: Iſtuc ipſum Baſilidi, Eluidio, & Iouiniano tribuitur à diuo Hieronymo in primo & ſecundo libro aduerſus Iouinianum.

Non eſse ieiunandum certis diebus, nec à quibuſdam cibis abſtinendum à Zuuinglianis & Lutheranis hodie aſseritur: Idem, ut eſt apud diuum Auguſtinum in libro de hæreſibus, capite quinquageſimo tertio,& octuageſimoſecundo,

do, fuit quondam ab Aerio, & à Iouiniano aſſertum.

Decem præcepta ad nos non pertinere, ſed ad ſolos Iudæos, Lutherus in ſermone de Moyſe docet: Hoc item olim docuit Manichæus, ut recenſet diuus Auguſtinus in libro de hæreſibus, capite quadrageſimoſexto.

Numam, Scipionem, Socratem, Platonem, & ſimiles ethnicorum Heroas propter eorũ egregias & naturales uirtutes Deo ad uitam æternam acceptos fuiſſe Vlrichus Zuuinglius, teſte Luthero, affirmat: Hunc ipſum errorẽ olim Pelagius affirmauit, ut innuit diuus Auguſtinus ad Quoduultdeum, capite octuageſimooctauo.

Carnis reſurrectionem eſſe fictitiam, Seruetus & Libertini in Gallia diſſeminant: Hoc uerò in primitiua Eccleſia à Simone Mago, & à Cerdonianis diſſeminatum fuiſſe colligitur ex diuo Auguſtino in libro de hæreſibus, capite primo, & uigeſimoprimo.

Præter ſolam fidem, nullam præterea eſſe iuſtitiam inhærentem, quæ iudicio Dei poſſit opponi, Philippus in Apologia confeſſionis Auguſtanæ, & in annotationibus in caput Iohannis decimumſextum denunciat: Huius opinionis peſtem ex Eunomianis deliriis contractam eſſe, dignoſci poteſt ex diui Auguſtini libro de hæreſibus, capite quinquageſimoquarto.

Non poſſe iuſtos peccare, nec Spiritum ſanctum amittere, hoc tempore Anabaptiſtæ decantant: Idem olim fuiſſe à Iouiniano decantatum affirmat diuus Hieronymus libro ſecundo aduerſus Iouinianum, & diuus Auguſtinus ad Quoduultdeum, capite octuageſimoſecundo.

Chriſtianum hominem nulli pœnæ ſubiacere, ſi idem à culpa fuerit abſolutus, hinc nullum eſſe purgatorium ignẽ, nullam pro peccatis ſatisfactionem, nullas Pontificum indulgentias, & peccatorum condonationes, Lutherus nuſquam non prædicat: Hanc hæreſim fuiſſe olim à Valdenſibus, & à Iohanne Vuitclefo inſinuatam ex Conſtantienſis Concilij actis apertè dignoſcitur.

Nullum eſſe in homine liberum arbitrium, Lutherus in ſuis aſſertionibus, & in tertio libro contra Zuuinglium, & in libro de captiuitate Babylonica, & cum Luthero Brentius, Illiricus, Caluinus & alij eiuſdem farinæ plerique balbutiunt: Eaſdem ipſas fuiſſe Simonis Magi, Marcionis, Petri Habaillardi, Vuclefitarum, & Manichæorum ineptias, locupletiſſimus teſtis eſt diuus Hieronymus, & diuus Auguſtinus ad Quoduultdeum capite quadrageſimoſexto, & Cardinalis Oſius de traditionibus humanis prope finem.

Noſtri temporis Hæretici, reiectis legitimis iudicibus, & poſt habita eccleſiaſtica correctione, modò Principes laicos & Reges, modò Cæſarem appellant, ut Lutherum & cæteros, nouiſſimè autem Caluinum factitaſſe ſcimus: Id ipſum ab Arrio, Sabellio, Neſtorio, ſed in primis à Paulo Samoſateno, qui neglecto iudicio ſacerdotali, Aurelianum quendam tyrannum, non modò illius fidem implorans, appellauit, ſed etiam ſuum dominum uocabat, factitatum fuiſſe narrat Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica, libro ſeptimo, capite trigeſimo.

Reiiciuntur nunc à nouis quibuſdā Aquilonaribus Theologis paternæ traditiones, necnon communis Apoſtolicæ hæreditatis, & ſanæ fidei theſaurus à catholicæ ueritatis hoſtibus hoc noſtro tempore proteritur, & conculcatur: Idem cōſceleratum facinus pari impietate ſui temporis Hæreticos per uniuerſum Orientem patrauiſſe conqueritur diuus Baſilius in Epiſtola ſeptuageſima, quam ad Galliæ & Italiæ Epiſcopos ſcripſit. Et Montanus primus traditioni contraria noua quædam ingeſſiſſe, dicitur Hiſtoria Eccleſiaſtica libro quinto, capite decimoſexto.

CAPVT XIIII.

Ponitur diſcrimen inter ueteres & recentiores Hæreticos, &

SED quid harum impietatum tot monſtra longius enumerando referam? ſatis igitur ſit aliqua ex parte explicaſſe has, & huiuſmodi reliquas fanaticas opiniones alios

atque

atque eos, à quibus nunc aſſeruntur, habuiſſe authores. Fuerunt namque, ut paulò antè uidimus, omnia uetuſtiſſimorum Hæreticorum inuenta, toties aliàs ſacrorum Conciliorum authoritate reiecta, catholicorum Patrum incorrupta,& inuicta fide iugulata, atq. ſepulta, quæ denuo Euãgelici iſti doctores, non ſigillatim,ſed uniuerſa ſimul hac noſtra tempeſtate ab inferis reuocauerunt: hacq. in re præſertim ſuis præceptoribus maximè excellunt. Illi enim paucã quædam, & ſinguli ſingula ferè dogmata, & aliis atque aliis temporibus aduerſus catholicam Eccleſiã defendenda propoſuerunt. Noſtri autem Hæretici,non ſinguli ſingulos, ſed eorum bona pars ſinguli omnes ſimul errores eodem tempore profitentur. Atque utinam hi eodem modo ut illi, à quibus originem traxerunt, ſua placita profiterentur. Quãdoquidem priſci illi Hæretici philoſophicis rationibus,& diuinis teſtimoniis, quamuis non ſatis rectè intellectis, ſuas aſſertiones defendebant. At nunc præſtantes iſti uiri ſeditionibus, conuitiis, apertiſſimiſq. mendaciis,& bello quoq. teterrimo, & exitiali ſuas fabulas tuentur: parumq. intereſt, immo prorſus nihil abeſt, quin miſeri ad perditam Mahometis ſectam, uel ad uanos gentilitatis ritus, aut, quod longè deteſtabilius & facilius eſt, ad Atheiſmi impietatem non deſciſcant; quando ijdem omnia catholicæ ueritatis myſteria non ſecus ac immundæ Harpyæ ſuis impietatibus & uanitatibus fœdauerunt. Neque apud eos aut recta ratio, aut ſummorum uirorum grauiſſima authoritas, aut catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſuprema maieſtas, aut diuina teſtimonia, eodem tamen,quo dictata fuerunt, ſpiritu intellecta,aliquid ualent. Sed eò tantùm præcipites feruntur,quò ſpiritus mendacij eos impellit, ſua omnia temerario quodam auſu, captioſa quadam argumentatione, & ſæpe etiam perſpicuo & impudenti mendacio conſpergentes. Nuſquam, ò Rex, illis aut turbulentiores, aut impudentiores, aut mendaciores homines inuenies. Quas fabulas, quos errores,quæ mẽdacia fœdiſſimi,& perditiſſimi ſectarij iſti catholicis Patribus

horum deteſtabilior impietas oſtenditur.

Idem innuitur à diuo Bernardo, homil.66. in fine ſuper Cant. Et à Iohãne Driedone de dogmatibus uarijs, &c. lib 4. cap 5.

non

non adſcribunt? ut eorum ſententiis & authoritate ſua leuia & impura dogmata ſtabilire & illuſtrare uideantur. Vt omittam tot ſacrarum ſcripturarum, eorum opera, deprauatos locos, mendoſas interpretationes, peruerſiones, ſacrilegia, corruptelas, menda, quibus omnes ueterum, & ſacrorum, & ethnicorum ſcriptorum codices repentina quadam alluuione aſperſere. Non habent Talmudici libri tot uanitates, quot figmentis, & uitiis noſtrorũ Hæreticorum ſcriptiones refertæ ſunt. Quid enim non ubique paſsim, præſertim autem in ſuis tam impiè coaceruatis, & malè centuriatis Centuriis, Pſeudoeuangelici iſti, ne dicam magiſtri, & authores mendaciorum non mentiuntur? Ita ut huiuſmodi uiri omnes ad unũ eſſent legis Corneliæ De falſis rei, etiam ſi apud ſuos Principes huius iudicij cauſa aliquo modo rite expenderetur. Et profectò non alienum eſſet illorum innumera ferè mendacia hoc loco ſigillatim recenſere, & redarguere: quandoquidem & hoc quoque ad rem Chriſtianam ſpectare uidetur, impietatis uidelicet, ac falſitatis eos apertè conuincere. Verùm, cùm illorum impudentia tot catholicorum & doctiſsimorum Theologorum laboribus iam ſatis reiecta ſit, & apud omnes detecta & peruulgata, in præſentia ſilentio inuoluendam horum turbulentorum hominum cum ſuis mendaciis memoriam iudicò, in aliud opportunius tempus hunc laborem reijciens. Qua equidem in re, Chriſto Deo fauente, qualis ipſe cumque ſim, meæ imbecillitatis oblitus, & diuinæ potentiæ, atque benignitatis memor, quæ ſemper pijs incœptis, & ſanctis auſis aſpirare conſueuit, fortaſſe non inutilem operam me Chriſtianæ reip. nauaturum ſpero, ſi mihi meos intimos ſenſus, & cogitationes meas ijs, quorum maximè intereſt, Sacris Proceribus, coram liberiùs explicare tandem aliquando dabitur. Neque enim magna ſine magnorum Principum conſilio atque præſidio fieri ſatis commodè poſſunt.

Promittit Author ſe non inutilem operã chriſtianæ reip. collaturum, ſi catholicorũ Principũ præſidio ſe munitum ſenſerit.

LVDOVICI MAIORANI
GRAVINATIS
CANONICI ORDINIS LATERANENSIS
DE VERO DEI CVLTV
AD CAROLVM NONVM
Gallorum Regem Chriſtianiſsimum,

Liber Secundus.

CAPVT PRIMVM.

SED ad inſtitutum noſtrum redeuntes, dicamus, quòd cùm omnis hæreſis ſit catholica ueritate poſterior, ſicut umbra corpore, illud ſummopere catholicis principibus, & pijs omnibus animaduertẽdum eſt, ne, ut canis ille Aeſopicus, omiſſo corpore, umbram ſectentur. Corpus Chriſti catholica Eccleſia eſt, umbra autem corporis Chriſti eſt Eccleſia malignantium, & ſynagoga Sathanæ. Et certè hoc eſt præcipuum catholicorum & hæreticorum diſcrimen: quandoquidem catholica

Vera & adulterina Eccleſiæ præcipua diſcrimina recenſentur, inter quæ illud eſt, quod vera Eccleſia ſit corpus Chriſti, falſa autem ſit umbra tantùm, & quamobrem.

Eccleſia,

Eccleſia, quæ Chriſti capitis corpus eſt, nihil umbratile, nihil fictum, nihil ſimulatum habet: quia illos tantùm motus agit, quos ei aſſiſtens Chriſti ſpiritus ingerit: & uelut quoddam diuini numinis organum, aut calamus diuina manu agitatus, non aliud reddit aut exprimit, quàm id quod tacito quodam Dei motu, uel iuſſu ei præcipitur, aut imprimitur.
1.Tim.3. Hinc forſan diuus Paulus appellauit Eccleſiam Dei columnam, & firmamentum ueritatis. Veritas enim non eſt in umbra, ſed in corpore: nam corpus ad uiuum aſſequitur, ut diximus, & exponit omnes agitantis animi motus. Vmbra autem uix tenuem quandam corporis motionem effingere poteſt: quia non eſt ſpiritus umbra, ſed corporis, & per ſe à ſpiritu non agitatur; quapropter licet uideatur, tamen uiua non eſt. Quis enim dixerit unquam umbram uiuere, tametſi eadem aliquo modo ad motum corporis cieatur: Aut quis aliquando affirmauerit, umbram ſuapte natura exiſtere, cùm omnis umbra ſit appoſiti corporis umbra, & tenebris ſuperuenientibus euaneſcat? Quamobrem umbra non ſemper eadem eſt, nec ſemper eodem modo ſe habet: ad motum enim obiecti luminis circumfertur, augetur, & minuitur. Et quidem hæreſes alicuius obliqui luminis beneficio ad tempus apparere, & ueluti ſpectra, & phantaſmata quædam, quaſi in immenſum ſe ſe porrigere, & tangere cælum manibus uideri poſſunt. Quòd autem uerè & ſemper ita ſint, fieri certè nullo modo poteſt: ſiquidem deficiente obiecto lumine, hoc eſt, ſeditioſorum conatu, & populari aura, ut in nihilum abeant neceſſe eſt: immo in perpendiculari etiam luce omnis recti corporis umbra diſſoluitur. Hocque nimirum eſt, quòd Hæretici ſemper in angulis latitant, & modicum quoddam lumen affectant: quia meridiana, & clariſſima illa Oecumenicorum Conciliorum, & catholicæ ueritatis luce, uniuerſa illorum latibula aperiuntur. Quare ueluti nocturnæ aues tanto lumini cedere coguntur, & quaſi tenebræ, Sole aduentate, diſſipantur: quippè quod de corpore, id eſt, de Eccleſia catholica uerè dici nō poteſt,

utpote

utpote quæ & in luce, & in tenebris ſemper eadem eſt. Semper enim eodem diuino ſpiritu rectore, & moderatore gubernatur; ſemper potentiſſimo Chriſti præſidio protegitur; ſemper in Dei tutela conquieſcit. Id propter, licèt Hæretici, & impij omnes odio pluſquàm Vatiniano catholicam Eccleſiam perſequantur; nunquam tamen in illam ualebunt: quia nunquam Eccleſia catholica diuino auxilio deſtituitur, aut deſtituetur. Hinc nimirum ſemper erit immobilis & inuicta: quia bene fundata eſt ſuper firmam petram. Nam impeti humanis præſumptionibus poſſunt, quæ diuino iudicio conſtituta ſunt, ſed uinci non poſſunt.

CAPVT II.

Labores Eccleſiæ ad immortalitatem iter patefecerunt, & illam ad ſummam gloriam euexerunt.

IMMO uerò dilatatur tandem Eccleſia in anguſtiis, non coarctatur: non debilitatur in infirmitate, ſed roboratur. Agitatur procellis, non opprimitur: quatitur tempeſtate, non frangitur: ſi oppugnatur, non expugnatur: ſi concutitur, non euertitur. Confirmatur in utraque fortuna, nón infirmatur: proficit in aduerſis, non deficit. Cùm diripitur, ditatur; cùm uexatur, illuſtratur. In calumniis fit præſtantior; in martyrio triumphat; in miſeriis eſt beata; in morte regnat. omnia illi cedunt in bonum. In omnibus uel ut aurum igne perficitur: quia non humanis artibus, ſed diuina uirtute, & prouidentia regitur. Hinc oportet hæreſes eſſe, neceſſe eſt ut eueniant ſcandala, ut probentur & exerceantur fideles: ut qui uerè ad Chriſtum attinent, manifeſti fiãt: ut Eccleſia Dei, ſicut aurora conſurgens, ſua incrementa accipiat. Eſſet planè adhuc paruula, & quaſi infans Eccleſia, niſi tanto Chriſti, & tot ſanctorum Martyrum ſanguine adoleuiſſet. Quò magis impiorum tyrannide & Tyrannorum impietate, atque ſæuitia preſſa fuit Eccleſia, eò magis creuit & propagata eſt, & manſit apud Fideles fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa uirtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum. Pharaones

D. Chryſoſt. in Oratione 2. aduerſus Iudæos, Tom. 5.

populum

populum Iſrael nobilitauerunt. Neronibus Eccleſia Dei eſt illuſtrata. Tunc magis chriſtiana Eccleſia mundo claruit, ac fuit celebris, cùm magis eius lumina extinguebantur. Occidebatur unus, uiuificabantur decem: Moriebantur decẽ, exoriebantur mille: Exterminabantur mille, tunc millia millium, & decies centena millia erumpebant. Si quid denique impiorum furore, & hoſtili gladio reſcindebatur, ad centuplum renaſcebatur, & reuireſcebat. Tantos igitur progreſſus nunquam catholica Eccleſia feciſſet, niſi priùs, uelut granum frumenti cadens in terram, mortua fuiſſet. Contumeliæ, uincula, carceres, craticulæ, rotæ, exuſtiones, preſſuræ, excarnificationes, cruciatus, tormenta, pœnæ, ſupplicia, cruces fuerunt Eccleſiæ quaſi inſtrumenta gloriæ, & ſemina immortalitatis. His enim armis Prætores, & milites Chriſti de tot hoſtibus crucis, immo de uniuerſo terrarum orbe triumpharunt, atque tot præclara facinora, & inſignia facta perfecerunt. Spiritum Stephani, Pauli ſapientiam, conſtantiam Apoſtolorum, & reliquorum Chriſti athletarum uirtutem inuictam, quis nobis clariorem & illuſtriorem reddidit, niſi improborum furor, niſi tyrannorum impietas, niſi perfidia, & contumacia Iudæorum? Arrij nefarius conatus Chriſti diuinitatem uſquequaque nobis explicauit. Baſilidis, & Manichæorum factione Mariam uerè Dei matrem fuiſſe, omnibus clariori quadam luce innotuit. Euchariſtiæ præſtantiam, & dignitatem, & aliorum ſacramentorum uim diuinam, turbulentorum hominum fraudes, atque fallaciæ nobis planè aperuerunt. Cauillationes enim & impoſturæ Hæreticorum occaſionem dederunt Patribus & catholicis Doctoribus, ut doctrinam ſacramentorum clarius & fuſius explicarent. Catholicæ Eccleſiæ, Apoſtolicæque Sedis authoritas, & Vicariorum Chriſti ſummũ imperium, tunc magis enituit, atque emicuit, cùm magis malorum inuidia, atque Hæreticorum calumnijs impugnatum eſt. Hoſtes & perturbatores Eccleſiæ illam tot uictoriis tot triumphis, tot trophæis, atq. tot opimis ſpolijs ornauerunt.

runt. Quot celebres Conuentus acti, quot catholicorum Patrum ſolemnes cœtus, quot ſacroſancta, & oecumenica Concilia, quorum ſanctiſſimis decretis modò regitur Eccleſia, ob Hæreticorum proteruiam celebrata ſunt? Quot præclari, & egregij Doctores nunc in Eccleſia, uelut ſtellæ in firmamento, præfulgent, & ſuis diuinis monumentis, quoſdā quaſi diuinitatis radios ad nos emittunt: quos utique Eccleſia uel non haberet, uel non ita abſolutos, & illuſtres haberet, ſi perditi, & ſeditioſi homines ſuis factionibus catholicæ fidei & doctrinæ ueritatis tot errorum tenebras non offudiſſent. Semper fuit Eccleſia preſſa, ualentior: ac tum maximè emerſit, cùm maximè ſummergi uideretur. Nam cùm Dominus, ut præclarè inquit Origenes, in nauicula Eccleſiæ pio quodam ſomno magis dormire uidetur, electorum ſuorum patientiam & tolerantiam expectans, uel impiorum pœnitentiam, & conuerſionem ſuſtinens, tunc maximè cor eius uigilat. Et cùm magis aduerſum Eccleſiam turbines, & uertigines Dæmonum undiq. erumpunt, & ſæuiunt, & tempeſtates ac fluctus malignantium ad cælum ſe ſe extollunt, tunc maximè quaſi ſomno experrectus exurgit, adiuuat, redimit: & imperans uentis, & mari, de magna tempeſtate facit tranquillitatem magnam, reddens cum fœnore, & in quadruplum ſerenitatem & pacem populo ſuo: ab anguſtiis triſtitiæ, in latitudinem gaudiorum Eccleſiam ſuam deducens: in tribulatione exaudiens, & dilatans illam.

Origenes Homil. 6. in Matth. capi. 8.

CAPVT III.

ET quidem non adeò Lernæi labores Herculem illuſtrauerunt, ut fuit hoſtilibus oppugnationibus nobilitata Eccleſia. Sæpe impugnata eſt à iuuentute ſua. Supra dorſum eius fabricauerunt peccatores: ſed Dominus concidit ceruices eorum, confuſi ſunt, qui oderunt eam, & abierunt retrorſum: facti ſunt uelut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit. Vbi ſunt Arrianorum partes?

Orthodoxa Eccleſia de omnibus impijs uictoria atq. triumphus enarratur.

Pſal. 128.

G Donati-

Donatiſtarum ſtudia? Pelagianorum ſectæ? Sabellianorum familiæ? Neſtorianorum ſcholæ? Armenorum cateruæ? Porphyrianorum academiæ? Manichæorum hæreſes? Nouatianorum conuenticula, & reliquorum Hæreticorum factiones? quæ dum florebant, non modò maiorem chriſtiani orbis partem occupauerunt, ſed ipſos etiam potētiſſimos Reges atque Imperatores ſuorum conſiliorum participes, & fautores habebant: An non tandem omnes quemadmodum fumus in tenues auras euanuerunt? ac uelut puluis, quem proijcit uentus à facie terræ diſsipatæ ſunt? nec ſecus ac malè compacta domus, ſuis grauata ponderibus, corruerunt? Nullo enim bello prorſus uinci unquā potuit Eccleſia. tametſi multis prælijs non parum uexata ſemper fuerit: quandoquidem & ipſa ſuos habet propugnatores, & optimis atque perpetuis defenſoribus nunquam caruit. Ita diuina prouidentia diſponente, ut non modò catholica Eccleſia, optimorum principum patrocinio ſeruaretur incolumis, ſed etiā optimi principes ob ſeruatam Eccleſiam catholicam fierent, & hominibus & Angelis clariores. Neque enim ulla gloria comparari poteſt illi, quam laboribus pro Deo ſuſceptis, periculiſque pro Religione aditis pij homines cōſequuntur. Ob illam enim in hanc lucem edimur, atque per illam nobis ad beatas illas Cælitum ſedes, & ad ueram immortalitatem patet aditus. Quapropter magno beneficio à Deo optimo maximo afficiuntur uiri illi, qui idoneā aliquam facultatem Eccleſiæ catholicæ defendendæ, & propagandæ nanciſcuntur. Pro illa enim nō modò uaria uitæ diſcrimina ſubire, ſed mortem etiam occumbere feliciſsimum eſt: ſiquidem & pro ea ipſe Dei unigena filius mortuus eſt; eamque reddidit mūdam ſanguine ſuo, ut eſſet Spiritus ſancti capax, & Deo plena, omniumque diuinorum arcanorum, ac myſteriorum particeps & adminiſtra. Omnia enim quæcunque audiuit, & accepit Dei filius à patre impertiuit, & nota fecit illi. Sicut enim pater miſit filium, ita filius conſtituit eam, ut eſſet dux & mater omnium, & unica in terris diuinæ ueritatis magiſtra,

Quòd profecit, creuit, & propagata eſt ſemper Eccleſia in aduerſis: & inimici eius defecerunt.

Quòd nulla gloria cōparari poteſt illi, quæ Eccleſiæ defenſoribus debetur: ſiquidem pijs Eccleſiæ filijs pro diuinis meritis diuini honores debentur.

ſtra,

ſtra, fideliſſimaque cæleſtium oraculorum, ſummique Dei interpres, & internuntia. Quamobrem quæ Eccleſiam (quæ, ut ait diuus Thomas, ſextuplici lumine illuminatur) catholicam latent, quo pacto cuipiam alteri erunt aperta? aut qua ratione Eccleſiæ catholicæ aduerſarij ueram diuinorum librorum intelligentiam ſibi uendicant, cum Dei arcana in primis per catholicam Eccleſiam Chriſti fidelibus aperiantur; & ab incunabilis Eccleſiæ ad hodiernum diem uſque eodem ipſo eccleſiaſtico ore uoluntas Dei nobis explicata ſit? Quæ ſunt generalia Concilia, aut traditiones Hæreticorum, in quibus omnium ordinum, & omnium ſeculorum conſenſu perpetua quadam ſucceſſione nobis diuina decreta tradita ſint? niſi quia (ut uerè & ſanctè ait Siritius Papa) extiterũt nonnulli, qui ſtatuta maiorum contemnentes, caſtitatem Eccleſiæ ſua præſumptione uiolarunt, uoluptatem populi ſequentes, Dei iudicium non timuerunt: niſi quia alijs atque alijs, & quidem intermiſsis, & à ſe ipſis longè remotis temporibus, ex noſtratibus quidam factioſi homines, uelut latrunculi in quibuſdam uiarum anfractibus, è ſuis latibulis ad inuadendos, & expoliandos catholicos eruperunt, factaque direptione, actutum trepidantium more, ad ſuas cauernas, & latebras aufugerunt: quippe qui tandem ad vnum omnes uelut nefarij, & infames prædones diuini iudicij laqueo ſunt ſuſpenſi: uel, ut læſæ diuinæ Maieſtatis rei, & temporalibus, & æternis flammis perpetuò comburendi, traditi ſunt.

Quòd ſola catholica & apoſtolica Eccleſia eſt Dei in terris fidiſſima uates & interpres.

Eccleſia (ait D. Tho. Iſa. 6. co. 2. ſi.) illuminatur ſextuplici lumine, uidelicet, lumine ſanæ doctrinæ, ſpiritualis intelligẽtiæ, gratiæ, noſtræ æternæ gloriæ, lætitiæ, & diuinæ gloriæ.

Siritius Papa epiſt. 4. in Concilio Telenſi.

CAPVT IIII.

CVM igitur hæc ita ſe habeant, humanis rationibus poſt habitis, ſi cupimus recta progredi, atq. optatam ſummi boni metam attingere, illud tantùm iter teneamus, in quo catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, ac Patrum noſtrorum impreſſa ueſtigia uidemus. O quàm piè Diuus Chryſoſtomus diuina illa uerba protulit, inquiens, Si Beatus

Confirmat Author, & latius explicat, quod ſupra dixerat de traditionibus Patrum.

D Chryſoſt. in 1. lib. de Prouidentia Dei, Tom. 5.

Paulus, quo nullus maior fuit, aut æqualis, ad tertium cælum raptus, tantorumq́. arcanorum effectus particeps, ad Dei abyſſum hærens, ſubſtitit: Inſpiciensq́. in profundum diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei obſtupuit ſolum, atq. inde reſiliit. Quid nos ipſos fruſtra concidimus, perſcrutantes inſcrutabilia, atque inueſtigabilia curiosè inquirentes? Certè cùm medicus contraria iis, quæ nobis ſalubria uidentur præcipit, ſiue algens membrum profluo fonti ſubiicere iubeat, ſiue alia huiuſmodi efficere, nonnunquam reluctamur: ſed cùm nobis anteà perſuaſerimus, artis illum ratione cuncta facere, promptè ac libenter cedimus, idque cùm ille ſæpius fallatur: Deus, cuius uiæ omnibus incredibiliter à nobis diſtant, qui eſt ipſa ſapientia, qui nunquam falli poteſt, punienda curioſitate perſcrutabimur? Cumque illi ſimpliciter cedamus, à quo facti rationem exigere iure noſtro poſſemus, ab illo cuius ſolum cedendum eſt nutui, eorum quæ geſſit cauſas, & rationes requiremus, atque huiuſmodi indignè ignorantiã feremus? Hæccine ſunt religioſæ mentis ac piæ? Ne quæſo, ac ſupplico, ne ad tantam ueſaniam progrediamur: ſed in omnibus in quibus ambigimus, illud potius nobiſcum pia cogitatione uoluamus: Iudicia tua abyſſus multa. Nam & hoc ipſum, quòd non omnia apertè ſcimus Diuinæ ſapientiæ atque prudentiæ profectò eſt. Si enim omnium quæ fiunt, cauſa & ratione cognita, ita demũ Deo pareremus, non magni momenti eſſet, neq. fidei oſtẽſio ea res uideretur. Cùm uerò nihil horum penitus noſcentes, ita quæ ſumma affectione mandantis eius omnibus cedimus, ex legitimã obedientia, fideq́. integerrima, maxima animabus noſtris emolumenta conquirimus. Hoc ſolum nobis perſuadere debemus, omnia nobis utiliter à Deo inferri: non iam modum inquirentes, neque huius ignorationes grauiter & cum mœrore ferentes. Neque enim poſsibile eſt iſta ſcire, aut utile: illud quia mortales ſumus, hoc quia cito in arrogantiam extollimur. Plurima nos facimus, quæ cũ liberis noſtris noxia eſſe uideantur, utilia ſunt tamen: quorum

rum neque illi cauſas quærunt addiſcere, neque nos illi anteà perſuadere ſtudemus, id expedire quod facimus: ſed hoc ſolum illos admonemus, ut in omnibus cedant, quæcunque præceperint Patres, nihilq́. ulterius inquirãt. Quòd ſi parentibus noſtris qui nobiſcum eiuſdem naturæ ſunt, ita promptè, ita liberè obtemperamus, neque ulla ratione indignamur, Deo indignabimur, aut grauiter feremus, quòd non illius omnia nobis explorata ſunt, qui tanta excellentia hominibus præcellit, quantam ipſi capere non poſſumus? Quid hac impietate grauius & durius excogitari poſſit? Aduerſus huiuſmodi beatus Paulus indignãs dicebat: Alioquin ò homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum factori ſuo, cur me ita feciſti? *Rom. 9.* Equidem filiorum exemplar propoſueram, ipſe uerò multò aliquid maius poſuit, figuli ſcilicet, & ab eo formati luti. Sicut enim lutum quocunque manus ſe formantis duxerit, ſequitur: ita hominem quocunque Deus iuſſerit, ea ſequi, & quæ ille intulerit, grato animo perferre conuenit, nihil omninò reluctando, uel curioſè addiſcere quærendo. Hæc Diuus Chryſoſtomus. Quæ omnia itidem de ſacris proceribus intelligẽda ſunt. Illorum enim nos quodammodo creatura, id eſt, filij ſumus per fidem, cùm per eos Deo in ſacris myſteriis regeneramur. In illis præterea latitat Chriſtus, atque etiam illis concredita ſunt eloquia Dei: ex quo ſunt nobis diuinæ uoluntatis interpretes & internuntij, &, ut Apoſtoli uerbis loquar, ſunt miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quamobrem omni ſegnicie & hæſitatione reiecta ſacrorum uirorũ dicto, tanquam Deo & Chriſto in illis loquenti promptè, & liberè audientes eſſe debemus. Nam, ut grauiſſimè ait diuus Bernardus, imperfecti cordis, & infirmæ prorſus uoluntatis indicium eſt, ſtatuta Seniorum ſtudioſius diſcutere, hærere ad ſingula, quæ iniunguntur, exigere rationem, de quibuſque, & malè de omni præcepto, cuius cauſa latuerit, ſuſpicari: nec unquam libenter obedire, niſi cùm *D. Bernardus de precepto & diſpenſatione.*

audire

audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter dicere, ſeu expedire monſtrauerit, uel aperta ratio, uel indubitata authoritas. Delicata ſatis, immò moleſta eſt huiuſmodi obedientia. Non planè hæc illa eſt, quæ ex regula traditur, Obedientia ſine mora. Diſputare profectò eſt in aſtu cordis, non in auditu auris obedire. Hæc diuus Bernardus: & rectè quidem. Nam ſi nec unius patris familiàs, ut modò dicebamus, præcepta diſcutere ulli fas eſſe putatur: quanto magis Chriſtifidelibus, id eſt, præcipuis obedientiæ filiis non licebit de uetuſtiſſimis tot catholicorum & ſanctiſſimorum Patrum inſtitutis, deque uniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinibus antiquiſsimis, totius orbis conſenſu roboratis, dubitare, uel, quod multò deterius eſt, malè ſentire? Nequaquam quidem certè Chriſtianum, & pium hominem decet, promiſſam in lauacro regenerationis fidem irritam facere, & iis in rebus, quæ ad pietatem pertinent, omni uento doctrinæ fluctuari, & circumferri: præſertim cùm tot ſeculis antè ſanctiſſimi Vatis oraculo præmoniti ſimus, ne ueterẽ callem relinquentes, à paternis ueſtigijs declinemus. Sic

Ierem.6. enim inquit ſanctus Propheta: State ſuper uiam, & uidete, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit uia bona, & ambulate in ea: & inuenietis requiem animabus ueſtris. Quod idem eſt, ac ſi diceret: Nolite uariis & peregrinis doctrinis abduci: tenete fidem quam didiciſtis. Quòd ſi dum in uia mandatorum Dei ambulatis, in aliquod biuium, aut triuium incideritis, ita ut de uero tramite ſubdubitari cœptum ſit, cauete ne temerè, & inconſultò uos incerto itineri detis, nolite credere omni ſpiritui, ſed ſtate ſuper uias, ſiſtite gradum, probate ſpiritus an ex Deo ſint: & uidete & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit uia bona. Nouarum etenim ſententiarum magiſtri, & ipſi quoque proferent canonicas ſcripturas, ſacroſancti Euangelij præcipuos interpretes, & profeſſores ſe ſe iactabunt, uerbi Dei uindices ſe eſſe dicent. Ecce hic eſt Chriſtus pleno ore, & buccis concrepantibus dictitabunt. Nouis, & peregrinis doctrinis uos

in ad-

in admirationem trahere conabuntur, & à uia regia auertere ſtudebunt. Vos autem ſtate ſuper uias,& uidete & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit uia bona, & ambulate in ea, id eſt, ea præcepta cuſtodite, quæ Patres ueſtri à ſuis maioribus acceperunt, & quaſi per manus tradiderunt uobis: Ea poſteris ueſtris tradatis, quæ accepiſtis. State in prima, & catholica traditione, nec aliter credite, aut ſentite, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt uobis.

CAPVT V.

HOC enim modo Eccleſia catholica ſacroſanctum & pretioſiſſimum Apoſtolicum illud cæleſtis ſapientiæ, euangelicæque doctrinæ,& diuinæ veritatis depoſitum à uenenatis Hæreticorum ſibilis, necnon à tot hoſtilibus impiorum hominum, ſiue inſidijs, ſiue conatibus ſemper tot ſeculis ſeruauit intactum. Cùm enim Nouatus princeps Nouatianorum, qui ab eccleſia ſeparati, ſuperbo nomine catharos, id eſt, mundos ſemetipſos appellauerunt, fraternæ charitatis oblitus à fide lapſos ad pœnitentiam non admittebat (nam quamuis eos dignè pœnituiſſet, ſpem tamen omnem ſalutis illis ademerat) quid aduerſus eum ſacerdotalis Synodus ſub Fabiano, vel ſub Cornelio Papa, diui Cypriani tempore, Romæ celebrata decreuit, num aliud atque ab orthodoxis Patribus ſecundum traditam regulam, & veram Scripturæ interpretationem acceperat?

Quòd catholici Patres vniuerſas ferè Hæreſes non ſolis ſcripturis, ſed traditione etiam paterna iugularunt.

Item, Orthodoxorum Conciliorum aduerſus hæreſes Enumeratio.

Socrates in Hiſt. Trip. lib. 2. cap. 13.

Cùm Sabellius, Sixti II. Pontificatu vnam tantùm in Trinitate perſonam ponebat, qua niſi authoritate Maiorum,& vera ſacrorum librorum intelligentia tantam impietatem poſteà reiecit Eccleſia?

Cùm tempore Dionyſij Papæ, imperante Aureliano, Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus falſa de Deo ſentiens, Chriſtum de cælo deſcendiſſe negabat: ſed ipſum quamuis virum pietate inſignem, attamen vt reliquos mortales

Quantum hic Aurelianus tametſi ethnicus Imperator detulerit Italiæ ſacerdotibus & Ro-

tales

mano Epiſcopo, vide Euſebium in eccleſ hiſt. lib. 7. cap. 30.

Huius Pauli Samoſateni meminit Euſebius hiſt. eccl. lib. 7. cap. 29. & 30.

Euſebius eccleſ. hiſt. lib 7. cap. 31

tales communis naturæ hominem tantùm fuiſſe, ponebat; quo pacto poſtremum Antiochenum Concilium ſuperbiſſimi viri turbulenta, & temeraria conſilia, niſi eccleſiaſtica traditione, & ſacrarum ſcripturarũ traditis explanationibus diſſipauit?

Cùm Barbarus, & inſanus Manes, à quo Manichæi dicti ſunt, catholicam de uera Chriſti humanitate ſententiam ſub Felice I. imperante eodẽ Aureliano, impugnabat, & ex ultimis Perſarum finibus Romam usque tot ſtultiſſima dogmata diſſeminauit, noſtro, ut ait Euſebius, orbi perſica uenena propinans: quid eius delirationibus obiecit Eccleſia? Non aliud niſi hoc unum: Nempe, quod talia paternis traditionibus, & catholicis ſcripturarũ explicationibus aduerſabãtur.

Cùm Arriana lues ſua nouitate totum ferè Chriſtianum orbem inuaſerat, ita ut imperij culmen attingens, aliquando etiam imperatoriam Maieſtatem affecerit, filium Deo patri æqualem & conſubſtantialem negando: qua tandem antidoto, & Nicæna Bithiniæ ſub Syluestro I. & Romana ſub Iulio I. ſynodus, illam veritatis peſtem euaſit? non alia quidem niſi quia intra ſacratæ, & incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos, & ſaluberrimos limites ſeſe continuit.

Cùm antiquorum Hæreticorum Hydra & multarum hæreſum aſſertor Euſtachius coniugalia vincula, vt humanæ ſaluti repugnantia diſſoluebat: an non illius inſtitutiones vt vanas Concilium Gangrenſe deſpexit, eo quod ab eccleſiaſtico canone & à diuinis oraculis recedebant?

Cùm Gratus Epiſcopus Carthaginenſis, qui in eodem Concilio Carthaginenſi poſt Nicænum primo præſidebat, rebaptizationis titulum conſiderandum proponeret, ab vniuerſis Epiſcopis ne aliquo modo inter ipſos de illo dogmate amplius contrauerſaretur, vna mente, & vna voce conclamatum eſt: ſed antiquam à Patribus traditam regulam ſeruandam eſſe omnes dixerunt, qua cautum erat, Hæreticos ſola manus impoſitione purgandos. Exiſtimabant enim illicitas eſſe rebaptizationes, nec ob aliud niſi quia alienum

erat

erat à ſyncera fide, & à catholica diſciplina rebaptizari. Et idem hoc ipſum priùs ſtatutum fuerat in ſacerdotali Concilio Romæ ſub Cornelio Papa Cypriani temporibus, & per Stephanum Papam.

Cùm Macedonius, qui, vt ait Damaſus Papa, Arriana ſtirpe profectus, non perfidiam mutauit, ſed nomen, Spiritum ſanctum Deum eſſe negabat: quid Concilum Conſtantinopolitanum primum ſub eodem Damaſo Papa, Gratiani & Theodoſij ſenioris temporibus celebratum in illum ſtatuit. Num aliud quàm quod Catholicorum Patrum inuiolata ſucceſſio tradiderat?

Cùm Palladius & Secundianus, diui Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi temporibus iam olim damnatam Arrij impietatem ab inferis reuocabant: quid aliud aduerſus illos Concilium Aquileienſe, ſub eodem Damaſo coactum, conſtituit, niſi idem illud quod ſecundum noſtrorum Maiorum piam & uiuam traditionem in Concilio Nicæno fuerat explicatum?

Cùm Stoicorum imitator Iouinianus, ſuæ impudentiæ, & fœditatis lolium in agro Domini ſpargens, nuptias uirginitati æquabat: quo pacto ei in Concilio Telenſi, ſub Syritio Papa ab Eccleſia niſi paternis traditionibus, & catholicis interpretationibus obuiam itum eſt?

Cùm Pelagius primorum Parentum iuſtitiæ originalis priuilegium non ſatis animaduertens, illos ſecundum carnem, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, etiam ſi nulla unquam peccati macula fuiſſent aſperſi, morti obnoxios conſtituebat, Cùmque idem diuinæ gratiæ potentiſſimam uim, parum inſpiciens, humanæ naturæ uires plus æquo extollebat: quid eius philoſophicis argumentis Concilium Mileuitanum ſub Innocentio I. Archadio, & Honorio imperantibus, reſpondit? Non aliud quidem niſi quia illius placita reijcienda erant, cùm eſſent orthodoxis ſententijs, & catholicis regulis diſſentanea.

Cùm Neſtorius Conſtantinopolitanus Antiſtes quem,

Socrates Hiſt. Eccle. lib 7 cap. 29.

Ferunt hoc tempore (ut refert Platina) Diabolũ perſonã Moyſis indutum multos Iudaeos decepiſſe, dum eos ex Creta Inſula in terrã promiſsionis inſtar ueteris hiſtoria ſicco pede per mare deducere pollicetur. Multi enim ex eis falsũ Moyſem ſecuti in undis periere. aiũt autem illos ſolos euaſiſſe, qui tum Chriſtum uerum eſſe Deum credidere.

Sub hoc Theodoſio iuniore VENETIAE felicibus auſpicijs habitari cœpere, anno à partu Virginis. 410.

ut refert Socrates, incendium fidei, ſui temporis homines appellauerunt, admirabilem illum nexum utriuſque naturæ in unitate ſuppoſiti diſſoluens, duas in Chriſto ponebat perſonas, Deitatis unam, alteram carnis, ſecundum quam tantùm fuiſſe Chriſtum filium Virginis, & ſolum hominẽ prædicabat: eidemque poſteà pro ſummis ſuis meritis collatam fuiſſe diuinitatem. Ex quo nec Mariam fuiſſe Dei parentem, nec Deum uerè fuiſſe Emanuel aſſerebat, uocem Theotocos expungens, & Chriſtotocon ſupponens: Quid tantæ impietati ſanctiſſima Synodus Epheſina, præſidente Cyrillo Alexandrino Pontifice, ſub Celeſtino I. & Theodoſio iuniore celebrata, reſpondit? Num aliud, niſi quia talia execranda erant, quandoquidem eccleſiaſticæ Patrum traditioni, & rectæ ſcripturarum intelligentiæ repugnabant?

Cùm Eutyches Conſtantinopolitanus Abbas, & Archimandrita, eiuſque defenſor Dioſcorus, Chriſtum poſt aſſumptam humanam naturam non amplius ex duabus naturis exiſtere, ſed in eo diuinam naturam permanſiſſe (ſubſtantiam enim carnis, in ſubſtantiam diuinitatis fuiſſe mutatam affirmabat:) quo pacto celeberrimum illud Chalcedonenſe Concilium ſub ſanctiſſimo Leone I. Valentiniano, & Martiano imperantibus, tantam audaciam, & impudentiam, niſi firmiſſimis orthodoxorum Patrum inſtitutis & ſcripturis, iuxta catholicum canonem intellectis, confregit?

Cùm Petrus Antiochenus Archiepiſcopus, cum ſuis perditis aſſeclis, in impio illo Triſagio Trinitatem crucifixam aſſerebat, necnon Apollinaris hæreſim roborans, in Chriſto uerbum pro anima fuiſſe commentabatur: quo pacto quinta ſynodus Conſtantinopolitana, Agapeti, Silucrij & Vigilij tempore celebrata, tantum diuinæ ueritatis hoſtem, Eccleſiaſticæque pacis perturbatorem, niſi potentiſsimo paternarum traditionum & catholicarum interpretationum gladio iugulauit?

Cùm uſqueadeò Arrianis febribus laborabat Hiſpania: quo remedio illi Concilium Toletanum tertium Pelagij II.

atque

atque glorioſiſſimi, ſanctiſſimique Flauij Reccaredi Regis temporibus opem tulit? an non reiectis erroribus una catholicorũ Patrum authoritate uniuerſa Prouincia illa in priſtinam ueræ fidei integritatem eſt reſtituta?

Cùm Manichæi præcipuus ſectator Priſcillianus, nec natalem Domini ſecundum carnem, nec illius Reſurrectionem piè uenerabatur, neque enim Chriſtum uerum hominem fuiſſe credebat, cumque idem de animarum humanarum, de bonorum & malorum Angelorum, deque cæterarum creaturarum origine noua quædam dogmata nimium pertinaciter aſſeueraret: an non Concilium Bracarenſe primum ſub Honorio I. Arriamiri Regis anno tertio in Hiſpania citeriore celebratum, ex perpetua, & inuiolata Patrum traditione, & diuinorum librorum catholica enodatione uaniſſimas illius ſententias exploſit?

Cùm Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Cõſtantinopolitani Patriarchæ noua dogmata in Eccleſiam inſerere molirentur, ſanctiſſimæque Trinitatis ueritatem atque utrumque Chriſti natalem confunderent: an non ſynodus Lateranenſis ſub Martino I. ea ratione illorum uanitates repudiauit, quia erant à paternis traditionibus, & à catholico ſenſu alienæ?

Cùm Macarius Archiepiſcopus Antiochenus, & delirus ridiculusq́. ſenex Polychronius unam tantum uoluntatem, diuinam uidelicet, & unam (ut eorum uerbis utar) Dei uirilem operationem in Chriſto prædicabant, ex quo Monothelitæ dicti ſunt: qua niſi Maiorum authoritate, & ſacrorũ librorum orthodoxa ſententia, Tertia, alioquin reſpectu quinque uniuerſalium præcedentium, ſexta ſynodus Conſtãtinopolitana ſub Agathone Papa cœpta, & ſub Leone II. abſoluta, Conſtantino Imperatore præſidente, illorum temeritatem compreſsit?

Confutat denique (Nam omnia huiuſmodi exempla ſingulatim perſequi longum eſſet) ſeptima ſynodus, Nicæna ſecunda Iconomachos diuarum uidelicet imaginum, & reli-

quiarum contemptores, Origenes Celſum, Hieronymus Vigilantium, Tertullianus Martionem, Irenæus Valentinum, Baſilius Eunomium, Auguſtinus Donatiſtas, Petrus Cluniacenſis Henricianos, Bernardus Petrum Habaillardũ, Epiphanius in ſuo Panario, & Euthymius in ſua Panoplia omnes ferè hæreſes: ſed qua præcipuè uia, qua præſertim methodo, aut argumentandi ratione, niſi inuiolata Patrum traditione & authoritate? niſi grauiſſimis ſacrorum uirorum teſtimoniis & interpretationibus? niſi diuinis ſcripturis ad Catholicũ ſenſum atq. conſenſum intellectis & explicatis?

CAPVT VI.

Quod neque catholici doctores ſuis ſcriptis, neque oecumenica Concilia ſuis decretis noua dogmata ediderunt, ſed aut confirmauerunt uetera, aut collapſa inſtaurauerũt, aut nondum definita declarauerunt.

D. Baſilius ad Patrophilũ Epiſcopũ. Epiſt. 82.

NEQVE enim catholici Doctores ſuis lucubrationibus, aut generalia Cõcilia ſuis decretis noua dogmata quo ad ſubſtantiam fidei ediderunt: neque aliud quàm quòd Patrum ſuorum inſtitutis fuerunt edocti, ſuos poſteros docuerunt: ſed uetera confirmauerunt, & illa præcepta inſtaurauerunt, quæ uel hominum, uel temporũ uitio propè intermortuam religionem priſtinam nobis in memoriam reuocarent. Huiusque rei gratia Patres (ut a diuo Baſilio dictum accepimus) publicos Conuentus excogitauerunt, ut abalienationem ex temporibus indictam pro temporum neceſſitate renouarent, atque ex Apoſtolico depoſito, paterniſque decretis catholicam orthodoxæ fidei regulam, & priſcam morum integritatem hominum uitio labefactatam repetentes, inductum Eccleſijs detrimentum per aſſenſionem ad malum, inductione melioris corrigerent. Nam cùm in Chriſtiana republica aliqui claudicantes in ſemitis ſuis, aliud quàm Patres eorum iter tenuerunt, cõfugiens catholica Eccleſia uel publicis, uel priuatis comitiis ad Patres ſuos interrogauit de ſemitis antiquis, & certior facta de uia ſalutis, ambulauit in ea: & ut in eadem poſteri ambularent, non modò clarioribus teſſeris & ſignis indicauit, ſed mandauit etiam publicis monumentis ne illud unquam ulla obliuione deleretur.

retur: necnon (quemadmodum uetuſtiſſimus & aureus Doctor ille dixit) ut quod anteà ſimpliciter credebatur, idem illud poſteà diligentius crederetur: & quod anteà lentius prædicabatur, idem illud poſteà inſtantius prædicaretur: & quod anteà ſecurius colebatur, idem illud poſteà ſolicitius excoleretur. Huncque in modum Hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis catholica profecit Eccleſia: quandoquidem quod priùs à Maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris per ſcripturæ chirographum conſignauit, magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo: & plerumque propter intelligentiæ lucem ueteris fidei ſenſum nouæ appellationis nouitate ſignando. Hinc cùm in Concilio Nicæno catholica Eccleſia addidit in filij ineffabili emanatione, & poſtea in tota ſacra Triade Homouſij, id eſt, conſubſtantialitatis nomen in ſacris literis minimè expreſſum, non noua excogitauit, ſed patefecit æterna: explicauit obſcuros diuinæ ſcripturæ locos, non nouos fidei articulos condidit: ratum habuit, quod traditione acceperat: quodque fuerat tot præteritorũ Patrum authoritate firmatum, ſumpſit quaſi de diuite promptuario depoſitum illud, quo detecto, uelut Meduſæ clypeo, uniuerſi catholicæ ueritatis hoſtes proſternerentur. Abdita declarauit, illuſtrauit obſcura, clauſa reſerauit, aperuit diuinis illis clauibus ſibi à Chriſto tanta fide, tantaque authoritate concreditis, ſignatum librum, & ſoluit ſeptẽ ſignacula eius: mutauit uerba non ſenſum, frangens Paruulis diuinæ uolũtatis, & cæleſtis ſapientiæ panem. Denique filiis ſuis, quibus lacte opus erat, non ſolido cibo, unica illa noui nominis nota omnem illorum intelligentiam, ut clarius uiderent, excuſſit: eiſque uniuerſum diuinæ ſcripturæ, atque ſummæ, ſanctiſſimæque ac indiuiduæ Deificæque Trinitatis ſenſum aperuit. Nouum nomen, non nouam religionem in Chriſtianam Rempublicam inferens: Nouè non noua, aliter non aliud docens. Eadem enim quæ nunc eſt, etiam ſemper fuit catholicæ Eccleſiæ de quocunque dogmate fides atque ſententia.

Vincentium Lirinenſem intelligit.

Arrius filij, Macedonius uero ſpiritus ſancti conſubſtãtialitatem impugnauit. Socrates in Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 45. Et in Hiſto. Tri 19.

tentia: nec quicquam temporis progreſſu unquam recepit, aut ſuperaddidit noui, ſed diligenter cuſtodiuit ſemper depoſitum. Et quodcunque ex Apoſtolica ab initio traditione accepit, quamuis politum aliquando, diſtinctum, explicatumque magis, idem tamen non mutatum tranſmiſit ad poſteros. Neque enim indictæ fuerunt ſynodi, ut certa reuocarentur in dubium: ſed ut errores uulgati, & manifeſtarij tollerentur ab Eccleſia, atque Apoſtolico illo ſacroſancti depoſiti mucrone iugularentur, & gladio illo reſecarentur hæreſes omnes, de quo dixit Apoſtolus: Siquis uobis euan-

Gal.1. gelizauerit præter id quod euangelizatum eſt à nobis, anathema ſit. Quare cùm in Eccleſia eadem ſint dogmata, quæ ſemper fuerunt à tempore Apoſtolorum, illud in primis Conciliariis Patribus onus incumbit, ut ea quæ à diuinis, & Apoſtolicis oraculis tradita ſunt, fideli populo pro temporum neceſſitate explicentur, & proponantur: quippe quod uel uno illo exemplo omnibus propalàm fieri poteſt. Nam in Concilio Rothomagenſi, Moguntino, & Lateranenſi uniuerſali edita fuerunt decreta de ſoluendis decimis ſacerdotibus, cùm id tot ſeculis antè iure diuino cautum fuerit. Nihil igitur noui Conciliorum decreta Eccleſiæ de ſoluendis decimis attulerunt. Idem de cæteris decretis Conciliorũ dicendum eſt, fuerunt enim priùs diuino iure promulgata, aut inſinuata: & cũ temporis uitio in deſuetudinẽ abijſſent, fuerunt ab Eccleſia uniuerſali, uel à Primoribus Eccleſiæ, aut renouata, aut enucleata: non denuo humana ratione præter Apoſtolicum depoſitum excogitata, aut ſuperaddita.

Exod. 22. Leuit. 27. Num. 18. Deut. 18. De decim. c. 1. & 2. & c. Tua.

Nota, quòd Decimæ ante legẽ de concilio dabantur. Nam ſi de precepto fuiſſẽt, Decimarum nota non potuiſſet nouere Iacob, Geneſ. 28.

Item, nota quòd decimæ & oblatiões in ueteri lege habebantur loco ſacramẽtorũ.

CAPVT VII.

Omnia dogmata quæ nunc ab Eccleſia catholica ſeruantur ex apoſtolico depoſito deprompta eſſe demonſtratur.

AB Apoſtolis Eccleſiam accepiſſe baptiſma paruulorũ ſcribit ſacer ille Irenæus beatiſſimi Polycarpi Iohannis Euangeliſtæ diſcipuli auditor, aduerſus Valentini hæreſes, libro ſecundo. Et Origenes libro ſexto commentariorum in epiſtolam Pauli ad Romanos.

Ab initio in Eccleſia ex apoſtolica traditione obſeruatum fuiſſe, vt aqua fontis baptismalis conſecraretur, & baptizati chriſmate ſeu oleo in altari ſanctificato inungerentur, antiquiſſimos, & omni exceptione maiores, teſtes habes Dionyſium in Hierarchia eccleſiaſtica, Clementem in recognitionibus, Cyprianum in epiſtola ad Ianuarium, Origenem in Epiſtola ad Romanos, magnum Baſilium in libro de Spiritu ſancto, & Tertullianum in libro de baptiſmo.

tam & ſi aliter mentiantur authores Centuriarum.

Irenæus in Epiſtola ad Florinũ Et Euſebius in Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 20.

Antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem, diuus Auguſtinus ſcribens ad Valerium, dicit eſſe illam, qua antè baptiſmum exorcizantur, & ſufflantur paruuli: & diuus Chryſoſtomus nihil hac voce dicit eſſe tutius: Abrenuntio tibi ſathanæ, ſi ipſam per opera exhibeamus.

Cùm Hæreticorum nullus, quantumcumque pertinax, conſtitutionem humanam citare poſſit, ex qua conuincatur confeſſionis auricularis ortus, reſtat vt ad Apoſtolicum depoſitum eadem neceſſariò referatur: quemadmodum diuus Clemẽs beati Petri diſcipulus ab ipſis Eccleſiæ initijs in ſuis recognitionibus fuiſſe memorat. Et apud Euſebium libro nono Hiſtoriæ Tripartitæ capite trigeſimoquinto narratur, quemadmodum in primitiua Eccleſia deſtinabatur preſbyter bonæ conuerſationis, qui ſecretum ſeruaret, ad quem qui deliquerant accedentes, delicta ſua confitebantur. Immo verò vſq. adeò neceſſaria ſemper habita eſt apud Cathòlicos auricularis & ſacramentalis confeſſio, vt in præcepto confeſſionis (ſi tamen non tempus, ſed vim & ſubſtantiam præcepti ſpectauerimus) nullo modo Eccleſia diſpenſare poſſit. Immo etiam ſi Papa, aut Concilium aliquos hoc tam ſalutari pœnitendi ritu, atque hac tam neceſſaria redeundi cum Deo in gratiã lege ſolueret, abuteretur clauibus, & lethali crimine teneretur, atque huiuſmodi indulgentia & diſpenſatio nulla eſſet.

Dom. Soto in 4. ſent. Diſt. 18. Quæſt. 1. Art. 5.

Incruentas victimas in menſa Domini ſupremo Deo offerre per eminentiſſimum omnium Pontificem Chriſtum fideles edoctos eſſe affirmat Euſebius Cæſarienſis libro primo de

mo de demonſtratione euangelica capite decimo: & diuus Cyprianus libro ſecundo, epiſtola tertia ad Cæcilium. Et Concilium Tridentinum ſeſſione vigeſima ſecunda capite primo.

Quòd fides, de realitate corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, quam ſemper tenuit Eccleſia, ſit fides Apoſtolorum ex concordi Patrum ſententia, ſed in primis diui Irenæi authoritate comprobatur aduerſus Valentinianos libro quarto, capite trigeſimo quarto: & Dionyſij Areopagitæ in eccleſiaſtica Hierarchia, capite tertio.

Quòd ſacerdotibus ſub vtraque ſpecie dum offerunt, Laicis verò ſub vna tantùm ſpecie ſit ſumenda Euchariſtia, ex Dominica ne dum Apoſtolica inſtitutione ſanctiſſimum hoc inſtitutum ad nos perueniſſe clariſſimum eſt. Etenim cùm Apoſtoli in cœna in ſacerdotes inſtituebantur, & pro vniuerſo futuro euangelico ſacerdotio ſtabant, illis Chriſtus ſub vtraque ſpecie corpus & ſanguinem ſuum ſumendum dedit, & vt ſic perpetuò in ſui commemorationem facerent, præcepit, Duobus vero diſcipulis illis, qui ibant in Emaus, & Laicorum ac populi typum gerebant, ſub vna tantùm ſpecie, nimirum ſub ſpecie panis, ſe ipſum totum ſumendum porrexit, vt ex ipſis Euangelij verbis non obſcurè colligitur, in quibus nulla vini, id eſt, ſanguinis ſui mentio habetur. Cui quidem ſententiæ Auguſtini, Bedæ, Theophilacti, & Chryſoſtomi interpretationes adſtipulantur. Et Iohannis ſexto, non minus approbatur communio vnius ſpeciei, quã vtriuſque, vt deduxit ſacroſanctum Concilium Tridentinum, ſeſſione vigeſima ſeptima, capite primo.

D. Aug. lib. 3. de conſenſu Euãgeliſtarũ cap. 25 Beda & Theophilactus in caput Lucæ. 24. Chryſoſtom. in Matth. operis imperfecti homil. 17.

Minores Ordines ex Apoſtolica traditione fuiſſe, Ignatius epiſtola octaua ad Antiochenos, Dionyſius tertio capite eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Clemens in epiſtola ad Vniuerſos, & Anacletus in decretis ſuis, eius rei tamquam in Eccleſia iam receptæ, meminerunt.

De numero, vi, & vſu ſacramentorum, vt nunc catholica tenet Eccleſia, non ſolum Apoſtolicum depoſitum, ſed

etiam

etiam Dominicum inſtitutum fuiſſe, extant tot apertiſſima diuinæ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum teſtimonia: & nullus vnquam orthodoxorum dubitauit.

Sacrorum virorum cœlibatus fuiſſe Apoſtolicum depoſitum, & verba Pauli in prima ad Corinthios, capite ſeptimo, & ipſa Apoſtolorum vita declarant, qui relictis vxoribus vni Chriſto cœlibatus authori, adhæſerunt: & ab Apoſtolorum temporibus nulli vnquam catholicorum ſacerdotum vxorem ducere licuit. Et ſiquis ſacerdotum habuerunt vxores, antè ſacerdotium duxerunt.

Tonſuræ eccleſiaſticæ vſum à Nazaræis exortum, ab Apoſtolis in Eccleſiam introductum eſſe, vt ij, qui in diuinis cultibus mancipati, Domino conſecrarentur, quaſi Nazaræi, id eſt, ſancti Dei crine præciſo, innouarentur: teſtis eſt Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in ſecundo de officijs eccleſiaſticis libro, capite quarto.

Pluralitas Sacerdotum, & Deo dicatorum virorum nunc falsò ab Hæreticis damnatur: cùm in lege naturæ omnes primogeniti gauderent priuilegio ſacerdotij. Accipiebat enim primogenitus benedictionem à patre, quæ erat loco conſecrationis, ex quò primogenitus habebat poteſtatem benedicendi veſtem, & ſpecialem in qua offerebat, necnon duplam in hæreditate, & in ferculis portionem: & in lege ſcripta loco primogenitorum ſucceſſit tota Tribus Leui. Nunc autem vbi ſunt tot ſacerdotes, & viri ſacri, quot erant in lege naturæ primogeniti? & quot erant Deo ſacrati viri in Tribu Leui? Quicunque igitur Euangelicum clerum imminuere conantur, Apoſtolicum depoſitum diſſipant, & Pharaones ſunt, qui populum Dei imminuere ſtuduit.

De uotis monaſticis, & de religioſorum inſtituto, eandem fuiſſe ſententiam ab initio naſcentis Eccleſiæ, Philo locupletiſsimum perhibet teſtimonium, in libro de uita contemplatiua ſupplicum.

Miſſam fuiſſe Dominicam & Apoſtolicam traditionem, Ignatij, qui uidit Chriſtum, & fuit Apoſtolorum diſcipulus

uerba ad Smirnenſes clarè oſtendunt: diuus quoque Chryſoſtomus idem inſinuare uidetur Homilia ſexageſimanona, earum quas Bernardus Brixianus latinitate donauit.

Ritus & cærimonias Miſſæ, quibus nunc utitur Eccleſia in altari, eſſe ex Apoſtolica diſciplina, teſtatur Clemens Pontifex & Martyr, epiſtola ſecunda ad fratrem Domini: & Dionyſius Areopagita Hierarchiæ eccleſiaſticæ capite tertio: & Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi quinta Myſtagogica.

Ab Apoſtolis quoque ſancitum fuit, ut in tremendis myſteriis defunctorum ageretur commemoratio, teſte Chryſoſtomo Homilia ſexageſimanona.

Chriſtum per ſacerdotes ſuos exercere perpetuò ſacerdotium ſecundũ ordinem Melchiſedec, affirmat pater Oecumenius in caput quintum Epiſtolæ diui Pauli ad Hebræos, ſuper uerba: Tu es ſacerdos in æternum &c.

Catholicæ Eccleſiæ de ſuffragijs viuorum pro mortuis, deque igne purgatorio, ſeu emendatorio ſententiam eandẽ ipſam eſſe nunc, quæ fuit in naſcentis Eccleſiæ exordio, apertè colligitur ex Dionyſio Areopagita de eccleſiaſtica Hierarchia capite ſeptimo.

Condonationes peccatorum, quas Pontificias indulgentias vocamus, ſemper fuiſſe in Eccleſia, & Gregorij Magni tempora, & tot Pauli ſententiæ atteſtantur, vt patet in prima ad Corinthios capite quarto, & in ſecunda, capite ſecundo. Idem ipſum quoque in Leuitici capite vigeſimo quinto non obſcurè inſinuatur: quamuis re vera nunquam ita celebres fuerunt indulgentiæ, vt ſunt nunc in Eccleſia. Etenim ex quò Canones pœnitentiarij charitate frigeſcente languere cœperunt: quippe quod à ſeptingentis annis fieri cœptum eſt: Nam à temporibus Clementis vſque ad Innocentium I. pœnitentiarij Canones ſummè in Eccleſia viguerunt, inualuit indulgentiarum vſus canonibus relaxatorijs, quibus peccatorũ vel pœnarum redemptiones fieri cœptæ ſunt, vndè & indulgentiarum nomen propriè deſcendit, ope

De indulgentiarum vſu, an fuerit in Eccleſia à tempore Apoſtolorum, conſule Dom. Soto. in 4. ſent. Diſt. 21. Queſt. 1. Art. 3. & ſequentibus.

raac

ra ac pœnas à canone pœnitentali indictas ſummis Pontifici bus paterno affectu in aliud pium opus ſic commutantibus & relaxantibus. Quamobrem, quid mirum ſi hac noſtra tempeſtate reiectis prorſus canonibus pœnitentiarijs, ac tam pia & honeſta Patrum in diluendis peccatis diſciplina poſthabita, vſque adeo Chriſti fidelibus ſit neceſſarius indulgentiarum theſaurus?

Sacrorum locorum, veſtium, & vaſorum vſum eſſe vetuſtiſſimum in Eccleſia, & eſſe ex Apoſtolico depoſito, teſtis eſt Philo in libro, quem ſupra citauimus de vita contemplatiua ſupplicum. Et beatus Clemens martyr & Pontifex, beati Petri in Romana Eccleſia ſucceſſor: & Euſebius Hiſtoria eccleſiaſtica libro ſecundo, capite decimoſeptimo.

Inſtitutio ſolemnis diuinorum officiorum à diuo Marco incœpit Alexandriæ, quæ poſtmodum ad alias defluxit Eccleſias, vt narrat idem Philo eodem libro: & Euſebius libro ſecundo, capite decimoſeptimo: quod profectò diui Marci inſtitutum à diuo Petro emanaſſe, neceſſum eſt, quēadmodum & ſuum Euangelium.

De ſcripturis & pſalmis canendis, & ipſius Domini, & Apoſtolorum habemus exempla, ait diuus Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij, & diuus Cyprianus teſtatur in expoſitione orationis Dominicæ, horas canonicas etiam in ueteri lege obſeruatas ex Daniele: ſed nobis Chriſtianis, præter horas antiquitus obſeruatas, orandi nunc, & ſpacia, & ſacramenta creuiſſe. Et Philo eodem libro, quo ſupra, affirmat eccleſiaſticos cantus fuiſſe ab ipſis Eccleſiæ incunabulis. Foret prætereà indecens atque turpe Eccleſiam tacere, canente Synagoga.

Celebrare pſalmis & canticis ſpiritualibus mortuorum funera, traditionem Chriſtianam, nimirùm à ſanctis Apoſtolis ad nos delatam, dicit eſſe Hieronymus in uita Pauli primi Eremitæ.

Ignatius, ut refert Socrates in Eccleſiaſtica Hiſtoria, libro ſexto, capite octauo, Antiochia Syriæ tertius ab Apo-

ſtolo Petro epiſcopus, unà cum Apoſtolis aliquando conuerſatus, uiſionē Angelorum per reſponſorios hymnos ſanctam Triadem laudantium, uidit,& modum uiſionis Antiochenæ eccleſiæ tradidit, unde & ad alias eccleſias iſta traditio emanauit. Concilium quoquè Toletanum dixit: De Hymnis canendis, & Ieſu Saluatoris & Apoſtolorum habemus exemplum. Hinc inſtar diuinarum mentium ſancta mater Eccleſia filios ſuos ad pſallendum Deo patri hortatur.

Aquæ benedictæ uſus in Eccleſia antiquiſſimus eſt, ut ſcribit beatus Alexander huius nominis primus, qui ſub Traiano Romanæ Eccleſiæ præfuit.

Sanctorum uenerationem, & inuocationem non eſſe recens Eccleſiæ inſtitutum, ſed Apoſtolicum depoſitum, ex Cyrillo contra Iulianum, & ex Dionyſio in eccleſiaſtica Hierarchia capite ſeptimo clarè colligi poteſt. Quamquàm Apoſtoli in primitiua Eccleſia non ſtatim hanc fidem gentibus iam tum ad fidem conuerſis inculcauerunt, ne in idololatriam,& in errorem de pluritate Deorum inciderent.

Euſebius in Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 18.
In Sozomeni Hiſto. Eccle. lib. 5. cap. 21.

Vſum diuinarum imaginum in Eccleſijs ab ipſis Apoſtolorum temporibus continuò ad hæc tempora decurſu ſeruatum fuiſſe Socrates & Euſebius locupletiſſimi teſtes ſunt eo loco, ubi de ui illa uiuifica, & ſalutari concepta attactu ſtatuæ Hæmorrhoiſſæ, quæ erat Cæſareæ, meminerunt. Quod etiam in ſecunda ſynodo Nicæna, quæ eſt ſeptima generalis tot Apoſtolicis hiſtoriis, & ſanctiſſimorum Patrum ſententiis & exemplis explicatur.

Dies feſtos, præcipuè autem quibus Redemptionis & ſalutis noſtræ annua celebritate myſteria recoluntur, Chriſti nimirùm Incarnationis, Natiuitatis, Paſsionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis in cælum, demiſsi in diſcipulos Spiritus ſancti: Diem prætereà Dominicum per hebdomadas ſingulas (ita uocantes primam ſabbathi) in memoriam Reſurrectionis dominicæ ex Apoſtolica traditione, quæ haud dubiè Spiritum ſanctum doctorem habuit, ab initio magna cum ueneratione religiosè obſeruatos fuiſſe ab uniuerſa Eccleſia

teſtes ſunt in primis ipſe Iohannes Euangeliſta, qui Dominicæ diei in Apocalypſi meminit: Deinde glorioſus ille martyr, & à beato Petro in Antiochena Eccleſia ſucceſſor conſtitutus Ignatius in Epiſtola ad Magneſianos. *Apoc. 1.*

Piorum hominum ad loca ſancta peregrinationes eſſe, ex diuinis & Apoſtolicis traditionibus, & Annæ matris Samuelis in Silo, & Eunuchi Candaces Reginæ Aethiopum in Hieruſalem, Apoſtolorum quoque per uniuerſum orbem religioſæ, & in ſcripturis uſqueadeò celebres profectiones oſtendunt.

Quòd ſacra ſcriptura in linguam uernaculam, & maximè ſine Maiorum authoritate, aut ſine magno Eccleſiæ emolumento, ut Diuum Hieronymum ſuo tempore rectè, & piè feciſſe ſcimus, qui grauiſſimis ex cauſis tunc ſacram Bibliam in linguam Dalmaticam uertit, transferri non debeat, Apoſtolicum depoſitum eſt. Etenim Apoſtoli, & apoſtolici ferè omnes diuinas reuelationes, & euangelica myſteria non uernaculis, ſed uel hebraicis, uel græcis, uel latinis literis mandauerunt: & ſic ubique & perpetuò catholica ſeruauit Eccleſia. *Dom. Soto 4. ſent. Diſt. 15. Art. 2.*

Cyprianus, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophilus Alexandrinus, & orthodoxorum Patrum cæteri omnes nobis Quadragenarium ieiunium cõmendauerunt, non tanquam ab hominibus conſtitutum, ſed ut diuinitus conſecratum, & Apoſtolorum ordinatione traditum.

Excõmunicationẽ fieri authoritate Chriſti, & eius uſum, à principio in Eccleſia fuiſſe, ingreſſus Sathanæ in Iudam poſt intinctum panem ei à Chriſto porrectum, quo Dominus proditorem ſuum declarauit, & Pauli in Hymenæum, & Alexandrum anathema, & execrationes oſtendunt; quod etiam ex Matthæi capite decimo octauo clariſſimè deducitur: & ex ſecunda ad Theſſalonicenſes ſecundo: & clarius ex ſcripturis ab Auguſtino deducitur in libro de fide & operibus, capite quinto. Et in Euangelium Iohan. tractatu ſexageſimo- *Conſule Origenẽ Hom. 2. Iudicũ. & Enchiridion Echij cap. 21. Et Dom. Soto. in 4. ſent. Diſt. 12. Quæſt. 2. Art. 2.*

geſimoſecundo.

Quòd Apoſtolicæ ſedis Hierarchia, & ſacer ac ſummus Vicariorum Chriſti, & Romanorum Pontificum principatus ſit Apoſtolicum depoſitum, & dominicum inſtitutum apud rectè de catholica doctrina ſentientes, demonſtratione non indiget: tametſi innumeris ferè ſacrarum literarum, & Apoſtolicorum Patrum ſententiis in fine tertij libri demonſtrabitur.

Denique conſtitutiones eccleſiaſticas omnes, & præcepta Maiorum, quæ ſeriò ſancita ſunt, & ſemper ſana in Eccleſia uiguerunt, ut leges diuinas, & naturalia, atque germana Apoſtolici depoſiti germina, ſeruanda, & ſuſpicienda eſſe tum ex diui Pauli ad Romanos capite tertiodecimo, & ad Titum capite tertio: tum etiam ex omnium Catholicorum conſenſu clariſſimum eſt.

Etenim hæc & eiuſdem generis reliqua, tametſi aliis atq. aliis tẽporibus, uel ab oecumenicis Conciliis illuſtrata, uel à ſummis Pontificibus inſtaurata fuerunt: attamen, ut dicebamus, & longius fortaſſe quàm oportebat probauimus, non ſunt præter Apoſtolicum depoſitum: nec ullo modo uerendum eſt, ut ille ter ſanctus Leo affirmat, quin omnis Chriſtianæ Eccleſiæ communis obſeruantia ſit eruditionis diuinæ, & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de Apoſtolica traditione, & de Spiritus ſancti prodiit diſciplina: de qua etiam re ille catholicæ Eccleſiæ per omnia conſentiens Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij dicit: Inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ reuocare in dubium, quæ tota per orbem frequentat Eccleſia: aut de his diſputare num facienda ſint. Illa enim quæ in canonicis ſcripturis non continentur, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, datur inquit, intelligi uel ab Apoſtolis ipſis, uel à plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri. Quamquam quæ ſupra exempli cauſa commemorauimus, omnia obſeruata citra ſcripturam ab uniuerſa

per

per orbem Eccleſia ex Apoſtolica traditione ab initio à primitiua Eccleſia, ueluti per manus ſuccedentium ſibi Patrum & Epiſcoporum ad nos tranſmiſſa ſunt. Quemadmodum, & cærimonias Eccleſiaſticas uniuerſas, & ritus quos in cultu diuino in eccleſiaſticis ſacramentis, cæterisq́. adhuc generaliter obſeruari uidemus in uniuerſa Chriſti Eccleſia, ab illo ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, ex ipſis Apoſtolicis fontibus, ante uniuerſalia Concilia omnia, quorum primum extitit Nicænū, Baſilij, Cypriani, Origenis, Tertulliani, Dionyſij & aliorum orthodoxorum Patrum teſtimonio ad nos defluxiſſe certum eſt. De quibus etiam Origenes, quamuis operta ac uelata ita ut eorum ex ſcripturis rationem ignoremus, dicit nos ea portare ſuper humeros, cùm ita ea implemus, & exequimur, ut à Pontifice magno Chriſto, & filijs eius tradita commendataq́ue ſuſcepimus; & Tertullianus affirmat, antiquas eiuſmodi catholicæ Eccleſiæ obſeruationes uniuerſas de traditione Apoſtolica emanaſſe: addiditq́. Cyprianus æquam his eſſe authoritatem, ut quæ dictãte Spiritu ſancto Eccleſiæ tradiderunt Apoſtoli, atque illis quæ ipſe immediatè ac per ſe inſtituit Chriſtus, & ab Euangeliſtis deſcripta leguntur.

CAPVT VIII.

NON ſunt igitur quæ nunc in Eccleſia obſeruantur nuper nata, & humanis artibus in Eccleſiam inuecta (ut authores Centuriarum, & recentes Euangelij adulteratores fallaciſſimè mentiuntur) ſed ſunt uetuſtiſſima omnia, & ab Apoſtolico magiſterio prodita. Athenienſes rebus nouis ſtuduerunt, nõ Catholici. Et Aphrica, ut aiunt, ſemper aliquid noui affert, non Eccleſia: quæ concreditam ſibi catholicam ueritatem cuſtodiens, id in primis curat, ut Apoſtolicæ fidei talentum purum, illibatumq́ue ſeruetur, & inuiolatũ conſignetur poſteris. Immo uerò non modò res nouas, ſed profanas uocum nouitates execratur Eccleſia, illas nimirum quæ nihil

Eccleſia nihil nouũ ingerit Catholicorũ auribus, tametſi noua, & iam nata quæ præcipit uideantur.

nihil ſacri, nihil religioſi habent, & quæ à catholicis penetralibus, & à templo Dei penitus extraneæ ſunt, & falſum nomen ſcientiæ ſortiuntur. Non enim, quemadmodum ait D. Baſilius, conuenit, ut is, qui diuino timore eruditus eſt, facile ad hoc proſiliat, quod ex uerborum conſequentia apparuerit: ſed ut contentus ſit nominibus in ſcriptura poſitis, inq. iis perſeueret, atque per ipſa glorificationem uelut Deo conuenit, abſoluat. Nam ſi ij qui ab initio Hebraicam linguam in græcam uerterunt, quorundam nominum interpretationem aggredi non ſunt auſi, ſed ipſam Hebraicam uocem tranſtulerunt, uelut Sabaoth, Adonai, Eloi, & ſiquid huiuſmodi eſt, non in diuinis ſolum nominibus, ſed etiam in aliis pluribus reuerentiam hanc oſtendentes, quantum conuenit nos in Domini nominibus timorem habere? At quando illi à ſe ipſis aliqua nomina fingere ſuſtinuiſſent, qui ne interpretationẽ quidem aliquorum tentare auſi ſunt? ut ne ſignificationis euidentiam incongruis ſignificationibus exoluerent. Quapropter conuenit Chriſti iudicium ob oculos habere, & noſſe quantum periculum eſt, auferre quid, aut addere ijs, quæ à Spiritu tradita ſunt, & non à ſe ipſo quicquam nouare conari, ſed ijs, quæ à Sanctis prodita ſunt acquieſcere. Quod igitur neque communis conſuetudo, neque ſcripturarum uſus ſuſcepit, id tentare audere, quomodo non extremæ dementiæ eſt? Hæc Diuus Baſilius.

D. Baſilius cõtra Apologeticũ Eunomij, Euerſorio lib. 2.

Qua in re non eſt ſilentio prætereundum, præclarum illud Spyridionis Cypri Epiſcopi exemplum, qui Triphylium Epiſcopum Ledranum, uirum alioqui & eloquentem, & in lege Domini non obſcurè uerſatum, publicè & grauiter ob unam ſacrorum nominum mutatam uocem, reprehẽdit: ſiquidem hic Triphylius cùm perficeretur collecta, multitudinem docere iuſſus, ubi in medium adducendus eſſet locus ille: Tolle grabbatum tuum, & ambula, pro grabbato, mutato nomine, Scimpoda dixit. Quamobrem Spyridion indignatus: Tu ne, inquit, melior illo es, qui grabbatum dixit, ut uerbis eius uti dedigneris? & cùm hoc dixiſſet à

In Sozomeni Hiſto. Eccl. lib. 1. cap. 11. & lib. 4. cap. 2.

ſede

ſede ſacerdotali exiliuit, populo uidente, atque ita eloquio ſuperbientem modeſtius agere docuit. Et homouſij in homiuſium mutata uox, an non totum chriſtianum orbẽ turbulentiſſimis illis concertationibus perturbauit? quo factũ eſt, ut pariter uniuerſus orbis (quemadmodũ affirmat Diuus Hieronymus) ingemiſcens miraretur, Concilium Ariminenſe effectum fuiſſe Arrianum. Eapropter in Concilio Conſtantinopolitano ſexto, actione duodecima, dixit ſancta ſynodus: Omnino neceſſe eſt, non ſolum ſecundum ſenſum ſequi ſanctorum Patrum dogmata, ſed & iiſdem uocibus uti cum illis, nihilque penitus innouari. Quid igitur? omnis nouitas in religione execranda eſt? omnis utique: quia ſacræ nihil addi conuenit uetuſtati, nec perſpicua maiorum fides eſt aliqua cœni permiſtione turbanda: Nec in rebus fidei cuiquam liberum eſſe debet, habere pro uoluntate ſermonem. Eccleſia enim eſt ſponſa Chriſti incorrupta, & pudica, quæ adulterari non poteſt. Et una non eſſet Eccleſia, ſi monſtra progigneret, & ſi transferret ſe in aliud Euangelium, quod non eſt aliud. Progreſſiones ſiquidem fidei, & profectus religionis, qui ſine nouitate fiunt, ab omnibus catholicis laudari, & ſuſpici debent, & in Eccleſia neceſſarij ſunt. Nouitas autem omnis in religione profana eſt: quia ſine permutatione, & rerum omnium conuerſione fieri non poteſt. Profectus uerò Religionis & fidei incrementa à uetuſtate non recedunt. Quemadmodum puerorum membra alia non ſunt à ſe ipſis, cùm in maturioris æui ætatem deuenerint, ſic & catholicum triticum non aliud eſt à ſuis primordiis, cùm ad maturitatem peruenerit: licèt enim excreuerit, & dilatatum ſit, nihil tamen in eo de germinis proprietate mutatum eſt, ſed in eadem ſui generis natura permanſit. Addita eſt ei ſpecies, forma, diſtinctio, non natura mutata eſt. Accipiens lucem, euidentiam, diſtinctionem, non amiſit plenitudinem, integritatem, proprietatem. Floruit, excultum eſt, germinauit, non degenerauit. Adiectus eſt ei ſplendor, gratia, uenuſtas, copia, non à germana ueri-

Nota, quòd ὁμοιούσιον eſt ſimilis, ὁμοούσιον einſdem eſſentiæ. illud eſt Arriana infidelitas, hæc catholica fides.

In uita Damaſi Papæ.

Obſerua lector.

na ueritate frumenti in ſubdititium & adulterinum zizaniorum ſemen, aut in alterius generis extraneam naturam conuerſum eſt. Huncque in modum non alligauit Deus ſacrorum librorum intelligentiam priſcorum Patrum explanationibus, & ueterum Doctorum ſenſibus. Hunc quoque in modum non eſt abbreuiata manus Domini, nec tollitur facultas, aut ſpes poſteris ſacras literas interpretandi. Poſſumus enim uetuſtis nouitatem dare, abſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam ſuam, & naturæ ſuæ omnia, ut doctiſſimus ſimul, & elegantiſſimus Vincentius Lirinenſis his aureis uerbis affir-
Exod. 36. mat. Eſto, inquit, ò doctor quaſi Beſeleel, & pretioſas diuini dogmatis gemmas exculpe: fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, uenuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod anteà obſcurius credebatur: eadem tamen quæ didiciſti, doce, ut cùm dicas nouè, non dicas noua. Sed forſitan dicet aliquis, Nullus ne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur intelligentiæ? habeatur planè & maximus: ſed ita tamen, ut uerè profectus ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa unaquæque res amplificetur. Ad permutationem uerò, ut aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Imitetur animarum ratio, rationem corporum, quæ licèt annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicét, eadem tamen quæ erant, permanent. Parua lactentium mẽbra, magna iuuenum, eadem ipſa ſunt tamen. Quot paruulorum artus, tot uirorum: & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariũtur, iam in ſeminis ratione præſerta ſunt, ut nihil noui poſteà præferatur in ſenibus, quod non in pueris iam antè latitauerit. Quòd ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis uertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, uel detrahatur, neceſſe eſt ut totum corpus, uel prodigioſum fiat, uel etiam intercidat, uel certè debilitetur. Ita etiam ſacrarum literarum intelligentia, ſequatur has decet progreſſuum leges, ut an-

nis

nis ſcilicet, conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorrupta tamen illibataque permaneat. Et paulò poſt. Quodcunque igitur, ait, in Eccleſiæ paradiſo Dei agricultura, Patrum labore ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria colatur, floreat, matureſcat, proficiat, perficiatur. Et priſca illa cæleſtis philoſophiæ dogmata, à poſteris excurentur, limentur, poliantur: Sed nefas eſt ut commutentur, detruncentur, mutilentur, humanorumque ingeniorum, quaſi extranea additamenta recipiant: accipiant licèt euidentiam, lucem, diſtinctionem, ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Et idem in eodem libello: Neceſſe eſt, inquit, omnibus catholicis, qui ſe ſe Eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, ut ſanctæ ſanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur: profanas uerò profanorum nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur. Hinc Concilio Epheſino diuinitus placuit, nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacrata ſibi conſentiens ſanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas. Idem quoque in principio eiuſdẽ libelli, inquit, Hic forſitan requirat aliquis: Cùm ſit perfectus ſcripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas? Quia, uidelicet, ſcripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine non vno eodemq. ſenſu uniuerſi accipiũt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atq. alius interpretatur: ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſentẽtiæ erui poſſe uideantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius: aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus: aliter Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius: aliter poſtremo Neſtorius: atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam uarij erroris anfractus, ut propheticæ, & apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundum eccleſiaſtici, & catholici ſenſus normam dirigatur. Hæc ille. Et certè, ſi cuilibet pro uoto ſuo liceret ſacras tabulas interpretari, ac Patrum ſancita

K 2 reſcindere,

reſcindere, nullum profectò ſtabile perſiſteret catholicæ Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper (ut ſcripſit Diuus Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ) iiſdem erroribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur: nec ullus eſſet in dogmatibus fidei quærendi aut dubitandi finis, certaq́. ueritatis cognitione deſtitueremur. Propterea optimè & ſapientiſſimè ſancta Tridentina ſynodus ad coercenda petulantia ingenia decreuit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentiũ, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, aut contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de uero ſenſu & interpretatione ſcripturarũ ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucẽ edendæ forent: Et qui contrafecerint, ut per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure ſtatutis puniantur. Cur autem hæc ſancta ſynodus in dubiis fidei cauſis ad Eccleſiam nos mittat, nulla alia ratio eſt perquirenda, niſi quia Eccleſia habet Apoſtolicum ſanæ doctrinæ depoſitum, atque non diuinando de ſcripturarum ſenſu iudicat: ſed eas interpretatur ex Apoſtolica & paterna traditione, ex Maiorum authoritate & regula, atque ex canone catholicorum Patrum. Iudicium enim eccleſiaſticum in fidei quæſtionibus, nihil noui chriſtianis auribus infert: ſed ſequitur ueſtigia Patrum, ac permanet in iis, quæ didicit & tradita ſunt ei, & à cenſura ueteri non recedit. Illudque in controuerſiis Religionis decernit, quod fuit ſemper catholicorum Patrum communis ſenſus, eadem conſtitutio, atque ſententia. Nec aliud tradit Chriſti fidelibus, niſi quod ex arca Euangelica, & ex promptuario Apoſtolico legitimorum miniſtrorum opera depromitur.

Concilium Tridentinũ, ſeſſ. 4.

CAPVT

CAPVT IX.

HOCQVE nimirũ optimè Socrates in Hiſtoria Tripartita animaduertens, refert de quodam Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, qui ab exilio, in quod à Conſtantio miſſus fuerat, Iuliani iuſſione reuocatus, conſultò Alexandriam ueniens, ut collapſa Eccleſiæ dogmata repararet, cũq; ibi conciliũ cum Diuus Athanaſio congregaret, ac Spiritum ſanctum intra diuinã conſubſtantialitatem decerneret ſancta ſynodus comprehendendum: inſuper & uerbum carnem, & animam aſſumpſiſſe declaraſſet, dicit. Non enim nouam religionem in chriſtianam rempublicam introduxerunt, ſed quam ab initio eccleſiaſtica traditio docuit Chriſtianos. Optimè etiam hoc ipſum animaduertit Religioſiſſimus Hiſpaniarum Rex Siſenandus: hic namque in Concilio Toletano quarto, ſub Honorio I. celebrato, cùm in Baſilica beatiſſimæ & ſanctiſſimæ martyris Leocadiæ omnium Patrum cœtus adeſſet, pro merito fidei ſuæ, cum ſuis proceribus magnificentiſſimo comitatu ingreſſus, primùm coràm ſacerdotibus Dei humi proſtratus, cum lachrymis pro ſe, ut Dominum orarent, poſtulauit: Deinde ſynodum exhortatus eſt, ut paternorum decretorum memores, ad conſeruanda in populo Dei iura eccleſiaſtica, omnem curam & operam præberent, & illa corrigerent, quæ dum per negligentiam in uſum uenerunt, licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt. Et diuus Innocentius I. cùm quædam ad chriſtianam pietatem, & Dei cultum pertinentia fidelibus commendaret, ſe non nouorum dogmatum aſſertorem, ſed ueterum exactorẽ eſſe his uerbis denuntiat. Non, inquit, curamus quòd noua præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiã aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupimus, quæ tamen Apoſtolica Patrum traditione ſunt conſtituta. Et in Concilio Epheſino primo, quod in Aſia apud Epheſum ſancti Cæleſtini, tempore ſub Theodoſio iuniore celebratum eſt, uiris clariſſimis Baſſo, Antiochoque Conſulibus, ubi

Multis œcumenicorum Conciliorum & catholicorum Patrũ ſententijs, Eccleſiam ſanctè et caſtè ſemper uetuſtatẽ coluiſſe probatur.

Socrates in Hiſt. trip. lib 6. cap. 19. & 20.

Sozomenus in Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 12 & 13.

Ruffini Hiſt. Eccle. lib. 1. cap 28.

Socrates Hiſt. Eccle. Lib. 3 cap. 24

Theodoritus Hiſto. Eccleſ. lib. 1. cap. 13.

(ut

(ut Vincentij Lirenenſis uerbis dicam) cùm de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan profana nouitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet, uniuerſis Sacerdotibus, qui illuc ducenti ferè numero conuenerunt, hoc catholiciſſimum, fideliſſimum, atq. optimum factu uiſum eſt, ut in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, quorum alios Martyres, aut Confeſſores, omnes uerò catholicos Sacerdotes fuiſſe & permanſiſſe conſtaret, ut ſcilicet, ritè atq. ſolemniter ex eorum conſenſu atq. decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur. Quod cùm ita factum foret, iurè meritoq. impius ille Neſtorius catholicæ ueritati contrarius, beatus uerò Cyrillus ſacroſanctæ antiquitati cõſentaneus iudicatus eſt & c. In eodem quoque Concilio Epheſino primo in ea epiſtola, quæ ad Neſtorium miſſa eſt, ſic habetur: Sequentes igitur omnium ſanctorum Patrum confeſſiones, quas loquente in eis Spiritu ſancto protulerũt, & intentioni, quæ eſt eorum intellectibus, æquis ueſtigiis inhærentes, atque iter tenentes Regium, profitemur &c. Et in Concilio Conſtantinopolitano ſexto in ea, quam Agatho Papa ad Cæſarem, & ad ſynodum dederat, Epiſtola, ſic ſcriptum eſt; Vt autem ueſtræ pietati, quid Apoſtolicæ noſtræ fidei uigor contineat, breuiter intimemus, quam percepimus per Apoſtolicam, Apoſtolicorumq. Pontificum traditionem, & ſanctarum quinque generalium ſynodorum, per quas fundamenta catholicæ Chriſti Eccleſiæ firmata ſunt. Hic igitur ſtatus eſt Euangelicæ atque Apoſtolicæ fidei regularisq. traditionis, ut confitentes &c. Huic quoque ſentẽtiæ adſtipulatur canon decimus nonus Trullanæ ſynodi: Oportet eos, inquiens, qui præſunt Eccleſiis, clerum & populum docere, ex diuina ſcriptura colligentes intelligentias, & iudicia ueritatis, & non tranſgredientes iam poſitos terminos, uel diuinorum Patrum traditionem. Sed etſi ad ſcripturam pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria, & Do-

ctores

ctores ſuis ſcriptis expoſuerunt: & maiorẽ ex his laudem aſſequentur, quàm ſi ea quæ à ſe dicuntur, componant: nedũ quandoq. ad id hæſitant, ab eo quod conuenit, excidant. Et in actione tertia Concilij Chalcedonenſis hæc uerba leguntur: Ceſſet iam profana contentio. Nam uerè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit. Extremæ quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid vlterius diſcutit, mendacium quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuſlibet conditionis de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis & audientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata, & rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contendit: Cùm ea quæ nunc de chriſtiana fide ſtatuta ſunt, iuxta Apoſtolicas expoſitiones, & ſtatuta ſanctorum Patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta definita eſſe noſcuntur. Et Leo Magnus in epiſtola quadrageſima tertia ad Martianum Auguſtum: Obteſtor, inquit, & obſecro clementiam veſtram, vt in præſenti ſynodo fidem, quam beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicauerunt, non patiamini quaſi dubiam retractari: & quæ olim maiorum ſunt Patrum authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari: Illudq. potiùs iubeatis, vt antiquæ Nicenæ ſynodi conſtituta, remota Hæreticorum interpretatione, permaneant. Et diuus Auguſtinus libro primo contra Iulianum Pelagianum, capite ſecundo, adducturus teſtimonia ſanctorum Patrum de originali peccato, ſic ait: Sed tu, qui tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei catholicæ defenſores tam execrabili criminatione appetere audeas, ſi euigilas, intuere: non quidem omnium de hac re ſententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturũ eſſe polliceor, quia

nimis

nimis longum eſt, & neceſſe eſſe non arbitror: ſed ponam pauca paucorum, quibus tamen noſtri contradictores cogantur erubeſcere, & cedere ſi vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicaciæ ſuperauerit. Et poſteà in eodem capite: Abſit, inquit, ut Conſtantinopolitanus Iohannes de baptiſmate paruulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum, tot ac tantis Coëpiſcopis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazanzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit, & verius: hoc autem de quo nunc agimus, ad ipſa fidei perninet fundamenta. Et idem aduerſus eundem libro ſecundo in epilogo ipſius libri: Certè, ait, ipſe dixiſti, quòd omnes Iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos eſſe deceat, pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambroſium aliosque collegas eius, quos cum illo commemoraui; tales fuiſſe credendum eſt. Verùm etſi tales non fuerunt, in his cauſis, quas ad ſe delatas, & inter partes cognitas, cùm hic viuerent, ſuo iudicio definierunt: ad hanc tamen cauſam tales erant, quando de illa ſententias protulerunt, nullas nobiſcum vel vobiſcum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Neque nobis, neque vobis irati ſunt: Neque nos, neque vos miſerati ſunt. Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderũt. Non dum vobiſcum apud iſtos Iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus. Non dum vobiſcum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus. Et paulò poſt: Et addis ad aliquid inueniendum, multitudinem nihil prodeſſe cœcorũ: etiam iſtos cœcos dicere audebis? Et vſqueadeò permiſcuit imis ſumma longus dies, vſqueadeò tenebræ lux, & lux

tenebræ

tenebræ eſſe dicuntur, vt videant Pelagius, Cælestius, Iulianus, & cœci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius: ſed qualiſcunque homo ſis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam: ſi tamen non in te ſpes eſt omnis emortua ſanitatis. Et quomodo audio uocem tuam, reſpondes: abſit, vt audeam cœcos, iſtos viros vel cogitare vel dicere. Et ſub finem: Talibus, poſt Apoſtolos, ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit: ideo profanas voces veſtræ nouitatis expauit. Hactenus ille.

Hodie bene andes quidam.

CAPVT X.

CVM igitur profanas voces hæreticæ nouitatis & prauitatis expaueſcat Eccleſia: hinc certè factum eſt, vt eadem catholica Eccleſia nullo vnquam tempore priuatis doctoribus, qui noua dogmata præter id quod traditum erat, profeſſi ſunt, acquieuerit. Etiam ſi ſanctum Dei Spiritum, etiam ſi in nomine Domini ſe euangelizare dicerent, etiam ſi prodigijs & ſignis ſua placita confirmare auderent: ſemper illarum diuinarum vocum memor, O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. Item: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerūt Patres tui. Et itē: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. Denique: Si ſurrexerit in medio tui prophetes &c. non audies verba prophetæ illius, quia tentat vos Dominus Deus veſter. Se, vt diuino & angelico oraculo admonitum, Apoſtolicas traditiones impugnare iactabat Cherinthus: Simon Samaritanus Dei virtutem ſe eſſe dicebat. Alij ſe Apoſtolicos, id eſt, veros Apoſtolorum ſucceſſores & ſectatores: Alij Catharos, id eſt, mundos: Alij Oratores, id eſt, ſemper orantes: Alij Thaboritas, id eſt, Dei gloriam videntes: Alij Adamianos, id eſt, Adæ innocentiam imitantes: & alij alijs præclariſſimis eulogijs ſuas factiones nominare & inſignire auſi ſunt. Imò etiam

Quòd Eccleſia non modò Hæreticis non parcit, ſed ne Catholicis quidem, ſi à priſca Patrum religione deſciuerint.

1. Timot. 6.

Prouerb. 22.

Galat. 1.

Deut. 13.

Maximilla & Montanus ſe ſe Apoſtolis præferebant: illiſq́. longè abundantiorē Chriſti ſpiritum ſortitos fuiſſe prædicabant: quod etiam ſignis atque portentis oſtendere nitebantur. Sed quid? Num ideò profanis eorum nouitatibus acquieuit Eccleſia? Num eorum prodigia ſuſpexit? Num iter regium dereliquit, & ad eorum diuerticula declinauit? Nō utique. Immò uerò non modò horum turbulentorum hominum uana machinamenta deſpexit, uerùm etiam nonnullorum catholicorum & præſtantiſſimorum Patrum reiecit placita, quæ eccleſiaſticæ traditioni, & ſacræ uetuſtati aduerſabantur. Nemini enim parcit Eccleſia in cuſtodiendo fideliter Apoſtolico depoſito. Reiecit Eccleſia Apollinarē, quo (ut ait lucidiſſimus doctor Vincentius Lirenenſis) nemo fuit præſtantior acumine, exercitatione, doctrina: qui multas hæreſes multis uoluminibus oppreſſit. Qui magna probationum mole, triginta nimirùm librorum uoluminibus nobiliſſimis inſanas Porphyrij calumnias cōfutauit. Qui profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuit, niſi profana illa hæreticæ nouitatis libidine, nouum quid adinueniſſet, quo & cunctos labores ſuos uelut cuiuſdam lepræ admixtione fœdaret, & doctrina eius non tam ædificatio, quàm tentatio potius eccleſiaſtica diceretur. Reiecit magnum illum Tertullianum, nouellas Montani furias, & inſana nouitij dogmatis ſomnia probantem: qui inter latinos doctores facilè princeps, cùm priùs tot aſſertores ſectarum multis, ac magnis uoluminum ſuorum molibus, uelut quibuſdam fulminibus euertiſſet: attamen, ut dixi, reiecit illum Eccleſia, utpotè, qui catholici dogmatis, ac uetuſtæ fidei parum tenax, ac diſertior multò, quàm felicior, mutata deinceps ſententia, fecit ad extremum quod de eo beatus confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit. Sequenti, inquit, errore, detraxit ſcriptis probabilibus authoritatem: & fuit ipſe quoque in Eccleſia magna tentatio. Reiecit Origenem, uel eos, qui Origenis libros corruperunt: de quo Hieronymus dixit. Se cum Origene errare malle, quàm cum aliis

Nota lector.

uera

uera ſentire. Reiecit martyrem beatiſſimum & doctorem præclariſſimum Cyprianum, totumq́. Carthaginenſe Concilium de rebaptizatione præter paternum canonem noua quædam ſentientes. Lactantij quoque Firmiani, ac Magiſtri ſententiarum, reliquorumq́ue catholicorum noua dogmata non probauit Eccleſia: tametſi prophetæ, tametſi Patres, tametſi Doctores præſtantiſſimi extiterint, ut diſcant omnes in explicandis ſcripturis eſſe modeſti, Dei gratia inſolentius non abuti, ſuo ingenio nimium non indulgere, non paruipendere antiquam chriſtianæ religionis ſimplicitatem. Denique, ut non præſumant ſe plus cunctis ſapere, eccleſiaſticas traditiones & ueterum magiſteria contemnere, ſacras literas exploſis Patrum, & Maiorum ſuorum ſententiis & explanationibus, nouo modo interpretari, & ueterum religionem in nouam profanitatem ſenſim, paulatimq́ue deducere. Nam (ut eiuſdem incomparabilis doctoris Vincentij Lirenenſis uerbis loquar) Placet enim catholicorum & eruditiſſimorum uirorum non ſenſa modò, ſed uerba etiam ipſa, quæ ſanam ſapiunt doctrinam ſæpe ac ſæpius uſurpare: ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum excindendæ atque abolendæ religionis periculum conſequatur. Abdicata namque qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia, & alia iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porro autem ſingulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum ſequetur, niſi ut totum pariter repudietur? Sed contrà, ſi nouitia ueteribus, extranea domeſticis, & profana ſacratis admiſceri cœperint, proſerpat hic mos in uniuerſum neceſſe eſt, ut nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum: ſed ſit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat anteà caſtæ & incorruptæ ſacrarium ueritatis. Sed auertat hoc à ſuorum mentibus nefas diuina pietas, ſitq́ue hic potius impiorum furor. Chriſti uerò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil

Authoris inſtitutum obſerua lector.

in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat aliena: ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, ut uetera ſapienter, fideliterque tractando, ſiqua illa ſunt antiquitus informata, & inchoata accuret, & poliat: ſi qua iã expreſſa, & enucleata conſolidet, firmet: ſi qua iam confirmata & definita cuſtodiat. Hæc ille.

CAPVT XI.

Hæreticorum fallaciæ atq. præſtigiæ uſquequaque deteguntur, & reijciuntur.

EX quibus profectò uerbis iam ijdem ipſi recenſiores Eccleſiæ aduerſarij dijudicent, quanta ſit adinuentionum ſuarum authoritas, perpetuitas, conſtantia, fides. Etenim ſi ueterum ſcita repudiant, ſi nouitia ueteribus, extranea domeſticis, & profana ſacratis admiſcent, ſi in domo Dei nihil relinquunt intactum, illibatum, integrum, immaculatum: ſi apud ipſos caſtæ & incorruptæ ueritatis ſacrarium, in impiorum ac turpium errorum lupanar commutatum eſt, ſi Apoſtolicum depoſitum diſſipant, ſi omnia permutant, minuunt, addunt, ſi amputant neceſſaria, apponũt ſuperflua, ſi amittunt ſua, uſurpant aliena, ſi uetera inſipienter & infideliter tractant: quæ apud ipſos eſſe poteſt doctrina ueritatis, & pura Apoſtolicæ prædicationis traditio? Spiritus Chriſti non eſt ſpiritus uolubilitatis, & inconſtãtiæ: ſed eſt ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus, qui ſuper electos ſuos requieſcit: nec eſt uelut malignus ille, qui quærens requiẽ, non inuenit, & cùm ipſe non quieſcat, ſuos quoque quieſcere non permittit. Et quidem in quo unquam quieuit delirus, furens, atque fanaticus Hæreticorum ſpiritus, ſi in dies rebus nouis ſtudent, & ſemper catholicorum Patrum decreta infirmare conati ſunt? Recenſeat ſucceſſiones Hæreticorum, quiſquis diſcipulorum ſuorum diſſenſiones à ſuis magiſtris cognoſcere cupit: ut intelligat pius lector in quas errorum, & inconſtantiæ tenebras inciderunt, quicunq. ab unione catholica ſeparati, iuerũt in adinuentionibus ſuis.

Nam

Nam (ut ueterum Hæreſiarcharum genealogiam prætermittam) an non Anabaptiſticæ ſex : Zuuinglianæ, hoc eſt, ſacramentariorum octo : & Homologiſticæ, hoc eſt, Confeſſionariæ ſectæ bis decem, ab immani & fœdiſſima illa uerè multorum capitum bellua Luthero, hoc noſtro ſemiſeculo prodierunt? Quod malum, ſi longius ſerpere licebit, breui profectò erunt longè plures ſectæ, quàm homines. Pulchrum enim eſt apud Hæreticos ſuperſeminare zizania in agro Domini, & prodere luxuriantia & malè nata mẽtis ſuæ germina, atque poſthabita ueteri religione, conculcataque diſciplina Maiorum, nouam aliquam ſectam auſpicari. In hoc enim uno, ceu mechanici artifices, gloriantur Hæretici: Nempe, ſe nouum aliquod (quamuis humano generi perniciosiſſimum) edidiſſe. Sunt enim omnes Hæretici nouitatis amatores, & uetuſtatis hoſtes. Hinc ſcioli & uerboſi homines, atque factioſi & importuni Logodædali, audent ſe uetuſtiſſimis illis uiris, magno uidelicet Athanaſio, Hilario, Origeni, Gregorio Nazanzeno, Baſilio, Chryſoſtomo, Cyrillo, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, & cæteris catholicis, & eruditiſſimis Patribus in explicandis ſacris libris non conferre modò, ſed præferre. Cum græculi & grãmaticuli homunciones uix Aeſopi fabulas pueris exponere nouerint. Hinc etiam peſtilentiori quadam audacia ſacrorum & canonicorum librorum quàmplurimos in Eccleſia catholica ſemper receptos, reiiciunt, & uerſa uice ſemper reiectos, recipiunt. Hinc quoque, quod multo peius eſt, eorum nonnulli (ut ſunt furentes Anabaptiſtæ) totum diuinæ ſcripturæ corpus, ceu undequaque corruptum, repudiant. Hinc pariter catholicas editiones, ut maiori ex parte malè uerſas, & multis in locis deprauatas ſacrilega uoce criminantur. Hinc tot iuris Pontificij & ſcholaſticæ Theologiæ uolumina è ſacris bibliothecis tamquàm tyrannica, barbara & ſophiſtica turpiter eijciunt. Hinc tot impudentiſſimæ temeritatis parerga, præfationes, argumenta, ſcholia, caſtigationes, obſeruationes, antidota, cenſuras, argu-

menta,

menta, coronides, appendices, corollaria, ſummaria, gloſſemata, annotamenta, & id genus alia, grauiſſimis, & ſacratis catholicorum Patrum ſcriptis permiſcent. Hinc in labores orthodoxorum Patrum irruentes, ſibi in eos tyrannicam quandam poteſtatem uſurpant, iudicandi, in dubium reuocandi, repudiandi, mutilandi, reſcindendi, & pro animi libidine ſubmouendi, ac penitus abolendi quæcunque ſuperbo ac factioſo eorum animo non arrident. Hinc ſuis nefariæ doctrinæ libris, præclara catholicorum Patrum nomina, atque cognomina imponunt, ut eiuſmodi impoſturis auidos & incautos lectores allicientes, eorum animis pro ſalutiferis antidotis, lethifera uenena propinent. Hinc multa ſuis perditiſſimis inuentis conſentanea catholicos Patres dixiſſe referunt, quæ penitus falſiſſima ſunt, & quæ nec unquam ſanctiſſimi illi uiri ſomniauere. Hinc impudentiori quodam fuco tot ſpurios partus, tot nothos, ſuppoſititios, & adulterinos librorum fœtus emittunt: ut falſis illuſtrium uirorum inſcriptionibus, ſua pro alienis, hoc eſt, falſa pro ueris uenditent. Hinc denique ludunt in ſcripturæ campo, laſciuiunt ſchematis, uariant lectiones, luxuriantur copia & loquacitate, & ita inuoluunt & permiſcent omnia, ut nulla nūc ſit apud eos ſacræ illius priſcæ religionis facies: nullum catholicæ antiquitatis ueſtigium: nullum eccleſiaſticum cæleſtis ſapientiæ peculium: nullus caſtæ & incontaminatæ Apoſtolicæ illius traditionis theſaurus: nulla paternorum reuerentia decretorum: nullus denique nec diuorum, nec hominum metus. Cupiunt enim Hæreticorum furores memoriā uetuſtatis prorſus extinctam. Siquidem Hæretici omnes ex ouibus conuertuntur in lupos, & gregem Domini lacerare non ceſſant. Nec, miſerrimi & infeliciſſimi, iam iam terra abſorbēdi homunculi, animaduertunt, quòd, Qui talia agūt, ex Deo non ſunt: quia ſoluunt Ieſum, & Antichriſti ſunt. Omnis enim, qui ſoluit Ieſum, Antichriſtus eſt. Soluunt autem Ieſum, qui Chriſti corpus Eccleſiam diſcindūt. Qui chriſtianam diſciplinam commutant, atque diſſoluunt. Qui

1. Ioan. 4.

ſunt

ſunt ſatellites & adminiſtri Sathanæ. Qui maiorum inſtituta conuellunt. Qui inanem, nugatoriam, & commentitiam Eccleſiam non abſimilem illi Ciuitatis Platonicæ introducunt. Qui Eccleſiam catholicam terrarum orbis angulo incluſam & abditam eſſe cenſent: cùm tot ſanctiſſimorũ Vatum oracula eam toto orbe terrarũ diffuſam & ſparſam fore toties cecinerint. Qui conuenticulis ſuis Eccleſiæ audent catholicæ nomen imponere. Qui illudunt mundo ſpecioſis nominibus ueritatis & doctrinæ Euangelicæ. Qui Eccleſiam Romanam impietatis & inueteratæ ſuperſtitionis inſimulãt, criminantur, arguunt. Qui ſumma cum pertinacia ſuorum dogmatum impietatem tuentur, atque defendunt. Qui ueteres ſcriptores & doctrina illuſtres, & uitæ ſanctitate excellentes, in ſacris explicandis literis, ac diiudicandis fidei controuerſiis, hallucinatos eſſe contendunt. Qui Conciliorum authoritatẽ repudiant. Qui perpetuum totius Eccleſiæ conſenſum pro nihilo putant. Qui uniuerſam toto terrarum orbe Eccleſiam audent ſimulachrorum cultus, ac ſummæ ſuperſtitionis arguere. Qui Sedem Apoſtolicam, hoc eſt, fundamenta Eccleſiæ labefactare atque euertere conantur. Qui omnem Romanorum Pontificum, & illius Auguſtæ ſedis dignitatem, maieſtatemq́. uiolant, atque imminuunt. Qui ſacerdotum inuidiam inflammant, & augent. Qui ſacerdotium peruulgant, hoc eſt, cum omnibus omnino profanis hominibus, etiam pueris mulieribusq́ue communicãt. Qui cùm à Chriſto defecerint, eius tamen Apoſtolos ſe, & ſpiritus diuini interpretes eſſe ementiuntur. Qui ſunt captioſi interpretes fictæ, adumbratæq́ue religionis. Qui cùm ſint è ſinu ſanctiſſimæ parentis Eccleſiæ auulſi, in illam bellũ quoddam inteſtinum religionis excitant. Qui in eam fraudem Reipublicæ delapſi ſunt, ut conentur non modò omnem Eccleſiæ ſplendorem cõtagione diſciplinæ peſtilentis obſcurare, uerùm etiam ipſam Eccleſiam funditus conuellere, atque in ſempiternum delere, ſublata penitus (quantũ in ipſis eſt) religione, euerſiſq́ue moribus, ſine quibus duabus rebus

nulla

nulla exiſtere poteſt Reſpublica. Qui ſunt uniuerſalis Eccleſiæ deſertores, & commentitiæ neſcio cuius Eccleſiæ Præſules. Qui noua opinionum portenta commentantur. Qui contumaciter morem patrium repudiant. Qui ſunt adſtipulatores & defenſores nouarum ſententiarum, authores commentitiorum dogmatum, magiſtri prauarum diſciplinarum, Pontificiæ poteſtatis, ueteris diſciplinæ, & millies præiudicatarum ſententiarum euerſores, ueræ religionis hoſtes acerrimi, pertinaces obtrectatores ueritatis, leues & ſeditioſi homines, impiorum & turbulentorum hominum ſectatores. Qui denique diuina & humana omnia miſcent, perturbant, confundunt: Et ij Antichriſti ſunt, & ſoluunt Ieſum, Qui eſt omnia in omnibus: & cui vniuerſa miro quodam modo connexa ſunt. Nam portat Deus omnia verbo virtutis ſuæ: quemadmodum per verbum quoquè fecit omnia.

Hebræ. 1.
Sap. 9.

CAPVT XII.

Catholicorũ mores & inſtituta exprimuntur.

QVOD profectò de ijs, qui in ſententia catholicorum Patrum conſtanter manent, dici nullo modo poteſt. Pij enim & catholici homines inuenerunt, & tenent dilectum, & in eius caſtiſſimis amplexibus conquieſcunt: nec vllo modo dimittunt quem diligit anima eorum, hoc eſt, illud idem de religione ſentiunt, quod ſponſa Chriſti, & communis parens Eccleſia profitetur, ac de dogmatibus fidei cum orthodoxis Patribus vna mente & vna voce conſentiunt: Atque pretioſiſſimam margaritam, id eſt, veram ſcripturarum intelligentiam pedibus, id eſt, corruptis affectibus non conculcant: Nequè ſanctiſſimorum virorum, vetuſtiſſimorumque authorum eleuant teſtimonia, Aut nouam Eccleſiam, nouos ritus, nouas cærimonias, noua ſacra, nouum ſacerdotum genus introducunt. Neque etiam dogmata aliorum, impietatis iampridem conuicta, & exploſa, renouant, Aut noua ipſi, ac poſt hominum memoriam inaudita portenta confingunt. Denique non ſunt falſi euange-

Cant. 3.

licæ

licæ libertatis aſſertores, aut profanarum authores nouitatum: Quia diligunt & cupiunt infantem uiuum, & Chriſtũ diuidi meretricijs auſis, & ſacrilega temeritate non permittunt. Immò ſemper cum de fide, & intelligentia ſacrarum ſcripturarum agitur, tenent Sanctorum communẽ ſenſum tanquàm Theſei filium, & illos ut duces, & magiſtros ueræ intelligentiæ ſequuntur, memores illarum ſacrarum uocum: Nolite tranſgredi terminos, quos poſuerunt uobis Patres ueſtri. Et item: State & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Hæc fuit ſemper Catholicorum amuſsis, hæc norma & regula orthodoxorum Patrum. Idcirco in omnibus ritè ac legitimè coactis Concilijs, ſemper catholici Patres antequàm aliquid aliud molirentur, in primis præteritorum Conciliorum, & Maiorum ſuorum decreta in memoriam reuocanda, & publicè recitanda curauerunt: ne omiſſis Apoſtolicis & eccleſiaſticis traditionibus, noua ex proprio & adulterino ſenſu promulgarentur. Omneſque huiuſmodi publici de religione Conuentus, qui hanc paternarum traditionum regulam ſeruauerunt, non modò non errauerunt: ſed ne in uno quidem iota, aut in uno apice errare potuerunt. Siqui autẽ prolapſi ſunt, ea ratione defecerunt: quia non ex paternis regulis, ſed ex ſuo ſenſu noua pro ueteribus cuderunt: ſine perpendiculo diuinarum inſtitutionum, & ſine paternarum traditionum funiculo in domo Domini fabricauerũt. Odio, aut amore, non ueritate aut præſcripto iudicauerunt. Nam ſi ad diuinam & paternam normam ſua decreta direxiſſent, & diligenter perpendiſſent, neque in ipſis etiam erroribus potuiſſent unquam aliquo modo decipi: vt de ſynodo Ariminenſi atque Mediolanenſi aduerſus acerrimum fidei propugnatorem Athanaſium, iuſſu Conſtantij Imperatoris Arriani celebrata, atque de Concilio Epheſino profano, cui præſedit Dioſcorus, de Syrmienſi, de Antiocheno, deque reliquis Arrianorum ſacrilegis conuenticulis, & conciliabulis, literis proditum eſt. Quamobrem catholici doctores, &

Prouerb. 22.
2. Theſſ. 2.

Si quæ Concilia errauerunt, ideo errauerũt, quia paternas traditiones omiſerunt.

M Patres

Semper catholici uiri uſque ad ſanguinem pro paternis traditionibus pugnauerũt.

Patres inter uarias rerum concuſſiones in difficillimis Eccleſiæ temporibus, ut maiorum & ueterum inſtituta integra & inuiolata ſeruarentur, ſæpe ac ſæpius tyrannis & turbulentis hominibus uſque ad ſanguinem reſtiterunt: nefas & ſcelus maximum exiſtimantes veterum inſtituta conuelli, & à maioribus definita, denuò in dubium reuocari. Exquò Liberius, Dionyſius, Euſebius, Paulus, Hilarius, & alij nonnulli catholici Epiſcopi, eò quod noluerũt ſubſcribere damnationi Athanaſij, in exilium ſunt pulſi, ut refert Hiſtoria Tripartita, libro quinto, capite quintodecimo, & ſequentibus. Et de diuo Baſilio teſtatur Hiſtoria Theodoriti libro quarto, capite decimonono, quod cùm Cæſariæ, Præfectus imperatoris eum placidè allocutus, hortaretur, ut tempori cederet, neque tot Eccleſias in diſcrimen adducere uellet, tenui dogmatis exquiſitione, multa Cæſaris uerbis promittens, ſi nomen Homouſij reliquiſſet, reſpondit uir ille ſanctus: Adoleſcentulis tales ſermones congruere. nam hos, & iis ſimiles huiuſmodi rebus inhiare. Qui uerò eſſent diuinis literis innutriti, nullam eos illarum ſyllabam in diſcrimen uenire pati poſſe: ſolereque, ſi res ita poſtulet, nullum genus mortis pro illis ſubeundum, recuſare. Et rectè quidem. Nam ſi Moyſes falſos doctores lapidare iuſſit. Et ſi Rex Babylonis in igni frixit eos, qui in nomine Domini prophetabant mendaciter, quod eis mandatum non erat. Et ſi ex diui Pauli decreto, hæreticum hominem poſt unam atq. alteram admonitionem uitare debemus: quanto magis non audiendi ſunt ij, qui cùm ſint pluſquàm Hæretici, ſunt Deo, hominibusq. rebelles? quique ſanctorum Martyrum de catholica ueritate teſtimonia eleuantes, aduerſus communem ſenſum totius Eccleſiæ inſurgunt? atque tot ſanctiſſimorum, ac doctiſſimorum Patrum magiſteria contemnentes, exploſis legitimis euangelicæ ueritatis præfectis, angulares quoſdam nouarum Sectarum miniſtros in Chriſtianam Eccleſiã introducunt? Et qui fieri poteſt, ut quis credat ſanctam Eccleſiam catholicam, qui ſanctæ catholicæ Eccleſiæ decretis

Leuit. 14. Hierem. 29. Tit. 3.

non

non acquieſcit? Aut quæ eſſet chriſtianæ fidei certitudo, aut religio, ſi reſciſſis prioribus, ſemper noua decreta intercederent? Aut quibus in procellis hominum conſcientiæ non fluctuarent, ſi, ut ait Apoſtolus, ſemper dicentes, nunquam ad ſcientiam ueritatis peruenirent? præſertim cùm hoc fuerit ſemper omnium Hæreticorum præcipuum ſtudium, & peculiare poſtulatum, nempe, ut præcedentium temporum traditio controuerſaretur, & ad nouitias fabulas, & humana commenta traduceretur diſciplina maiorum? ut ſancita Patrum in dubium reuocata, daretur profanis eorum nouitatibus amplior ſubrependi atque ſerpendi locus. Quod à catholica pietate, in qua eſt conſtans & perpetua uoluntas, fuit ſemper alienum. Nam, ut inquit ſanctiſſimus Leo Pontifex, quæ patefacta ſunt, quærere: quæ perfecta ſunt, retractare, & quæ ſunt definita, conuellere: quid aliud eſt, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos mortiferæ cupiditatis appetitus extendere? Quòd ſi priora Concilia, ut ait diuus Auguſtinus, poſterioribus emendantur, hoc certè non fit in cauſa fidei, uel in Concilijs ritè congregatis: uel ſi fit, non alia ratione fit, (ut idem diuus Pater eodem loco paulò poſt infert, & nos latius ſupra explicauimus, & deinceps etiam ſuo loco dicemus) niſi quia cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, aut clara luce percipitur, quod priùs nutu tantùm uidebatur: ſalua ſemper priſcæ religionis ſubſtantia. Nam quod ſemel in quæſtionibus fidei ſtatutum eſt in una aliqua oecumenica ſynodo, id in altera prorſus retractari poſteà nullo modo licebit, niſi decreta illa ad poſitiuum ius ſpectare uideantur: quod pro perſonarum, locorum, & temporum ratione mutari poſſe rectè ſanctiſſimi Patres noſtri iudicauerunt. Etenim eiuſmodi poſitiui canones, cùm fortè ab Eccleſia reiiciuntur, aut temperantur, fundamenta religionis non labefactant, & catholicæ fidei columnas non infirmant, nec aliquo modo diuinis præceptis aduerſantur: ſed uel ad ex-

2. Tim. 3.

Leo epiſt. 78.

D. Aug. lib. 2. contra Donatiſtas, cap. 3.

In 3. lib. in fine, cap. 7.

D. Thomas 4. ſen 18. diſt. 27. q. 3. 3. 2m.

ternum aliquem ritum, uel ad eccleſiaſticam pertinent diſciplinam: uel ſi ad ſubſtantiam fidei quoquo pacto ſpectare uidentur, Deo diſpenſante, mutantur: non tamen per quoslibet adulterinos, & intruſos magiſtros prurientes auribus: ſed per legitimos tantùm uerbi Dei miniſtros, qui uni ea diuina poteſtate præditi ſunt, ut in proximo libro declarabimus.

2. Tim. 4.

CAPVT XIII.

Quòd nulla ratione à Catholicis ſit cum Hæreticis diſputandũ probat author, niſi magnam ijdem de catholica ueritate propaganda ſpem habuerint.

HINC nimirum illorum ſententiæ nullo pacto aſſentiendum eſſe iudico, qui Catholicorum cum Hæreticis publica colloquia laudant, & cum eis ſermonem de rebus diuinis, & de dogmatibus fidei diſputationem habendã eſſe arbitrantur: cum omnino eorum aditus, ſermo, atque congreſſus fugiendus ſit, nec unquam in eorum colloquium aut conſpectum ueniendum, niſi certi ſimus, eos ad cor, & ad ſanitatem redire uelle: quod planè raró eiuſmodi ſectarijs contingere ſolet. Ea namque eſt noſtri temporis, & fuit ſemper Hæreticorum obſtinatio & peruicacia, ut nunquam ipſi à catholicis diſputando uinci poſſe arbitrentur, nec ullis demonſtrationibus adduci poſſunt, ut uicti, uictos ſe eſſe fateantur: immò cum re uera deuicti ſunt, tunc multis mẽdacijs, & inſidijs ſe uictores iactant. Affectant enim uulgi fauorem, turbarum acclamationes, plebis & infimæ multitudinis applauſum, & aura populari delectantur: atque confundunt omnia potius, quàm illuſtrant. Quòd ſi Chriſtum cum Phariſæis: Stephanum cum Alexandrinis, & Cyrenenſibus: Paulum cum Græcis, cum Iudæis, cum Idololatris, & cum Epheſinis: Athanaſium cum Arrio coram Probo iudice gentili: Auguſtinum cum Donatiſtis, Emerito, Maximino, Feliciano, Fulgentio, & alijs diſputaſſe obiecerit quiſpiam: eidem illud Apoſtoli faciat ſatis. O Timothee, noli uerbis contendere, ſed ſtultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita: ſciens quia generant lites, & ad nihil aliud conducunt,

2. Tim. 2.
Tit. 3.

ducunt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Reiiciunt enim Hæretici idoneos Iudices, & millies præiudicata retractant. Nam euertere cupiunt, non erigere: deſtruere, non extruere: perdere, non ſeruare: atque ut ignaui galli antequàm uicerint, cantant. Errare, inquit Hieronymus, exiſtimant corrigentem eos, lucrifacere uolunt eum à quo docentur. Idcirco Chryſoſtomus, Origenes, Tertullianus contentiones & pugnas legis deuitandas eſſe contendunt, ac de rebus ſacris congreſſum Catholicorum cum Hæreticis, improbāt. Quid promouebis, inquit Tertullianus, exercitatiſſime ſcripturarum, cùm ſi quid defenderis, negatur: è diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur: & tu quidem nihil perdes, niſi uocem in contentione: nihil conſequeris, niſi uilem de blaſphematione laudem. Ille uerò ſiquis eſt, cuius cauſa in cōgreſſum deſcendis ſcripturarum, ut eum dubitantem confirmes ad ueritatem, iam magis ad Hæreſes diuerget hoc ipſo motus. Quod ut uideat nihil promouiſſe, æquo gradu negandi & defendendi, diuerſa parte ſtatutum, certè & pari altercatione incertior diſcedat, neſciens quam hæreſim iudicet. Hæc utique, & ipſi in nos habent retorquere. Neceſſe eſt enim, & illos dicere nobis potius adulteria ſcripturarum, & expoſitionum mēdacia inferri, qui proinde ſibi defendāt ueritatem. Ergo non ad ſcripturas prouocandū eſt, nec in ijs conſiſtēdum certamen, quibus aut nulla, aut incerta uictoria eſt, aut parum certa. Hæc, & alia multa in eandem hanc ſententiā Tertullianus: quæ re ipſa hac noſtra tempeſtate experti ſumus. Creuerunt enim hæreſes contentioſis Hæreticorū diſputationibus, apud imperitam multitudinē habitis: quæ utinam nunquam habitæ fuiſſent. Nam nunc pacatior eſſet Eccleſia, & Hæreticorum cancer non tam latius in ſimplicium hominum præcordia irrepſiſſet. Cum Phariſæis, cum Hæreticis, & cū Idololatris diſputare iam olim non fuit inutile, cùm Eccleſia erat adhuc paruula, & decreta Patrum de controuerſijs religionis non erant edita: nec ita, ut modò, apud omnes chriſtiana ueritas erat illuſtris. Nunc autē poſt

D. Hieron. in epiſto. ad Pāmach. & Oceanum.

Chryſoſtomus cū affert Phariſæos cum Domino diſputantes.

Origenes ſuper Matth. 22.

Tertullianus de præſcriptionibus Hæreticorum.

tot publicos Conuentus habitos, poſt tot ſententias de religione pōtificio & imperatorio edicto promulgatas, poſt tot præclara Catholicorum Patrum toto orbe uulgata uolumina, poſt oecumenicum totius Eccleſiæ cōſenſum, poſt communem chriſtiani Populi uſum tam longa uetuſtate firmatū: quid eſt aliud de iiſdem rebus ſerio diſputare, quàm certa in dubium reuocare? quàm Apoſtolicæ Eccleſiæ ab Hæreticis inflicta uulnera, & iam obductam atque opertam chriſtianæ Reipublicæ cicatricem refricare? quàm Patrum ſuorum ſtatuta cōtemnere? quàm diuina & humana omnia retractare? quàm populorum mentes confundere? quàm dubitare de uniuerſa religione, & nouas factiones inſtituere? Maiores noſtri, inquit diuus Gelaſius, diuina inſpiratione cernentes, neceſſariò præcauerunt, ut quod contrà unamquanque hæreſim coacta ſemel ſynodus pro fide, communione, & ueritate catholica, atque Apoſtolica promulgaſſet, non ſineret nouis poſthac retractationibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta, pulſandi &c. Et Martianus Imperator aiebat: Iniuriam facit iudicio reuerendiſſimæ Synodi, ſiquis ſemel iudicata, ac rectè diſpoſita reuoluerit, & publicè diſputare contenderit. Et idem religioſiſſimus Princeps in ſeptima actione Chalcedonenſis Cōcilij hæc ſacra uerba protulit: Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam, exemplo religioſiſſimi principis Conſtantini, ſynodo intereſſe uoluimus: ut ueritate inuenta, non ultra multitudo doctrinis prauis attrectanda diſcordet. Hæc Imperator. De qua quidem re illuſtre in ſacris literis extat exemplum, quod cùm ab authore Bibliothecæ ſanctæ ſatis aptè atque eleganter poſitum atque explicatum ſit, illius uerba huic loco ſubnectam. Verba eius ſunt hæc: Sennacherib, ſiue Sancherib, Aſſyriorum Rex, cùm Ezecchiam Iudæorum Regem, intra Hieroſolymitanæ urbis mœnia ualidiſſimo obſediſſet exercitu, miſit ad eum epiſtolam, in qua ſtultum eum dicebat, quod fretus inani ſpe Dei ſui, putaret ſe poſſe ſeruitutem effugere eius, qui tā multas

Cap. Maiores 24. q. 1.

Author bibliothecæ ſanctæ lib. 2. in uerbo Sennacherib.

gentes perdomuiſſet : minabaturque internecionem omnibus, niſi ſponte, patefactis portis, exercitum in vrbem reciperet. Hac epiſtola Ezechias occultè lecta, aſcendit in templum, & expandens eam antè Dominum, ſuam, atque vrbis ſalutem multis ſupplicationibus illi commendauit. Obſeruanda eſt hoc loco Regis prudentia, qui blaſphemias epiſtolarum nemini legit, ne fidem promiſsis diuinis apud ſuos pauore conſternatos imminueret : ſed ſoli Deo expoſuit, quem ſciebat eſſe populi protectorem. Eodem conſilio idem Rex per legatos ſuos rogauit Rabſacen ducem Syriaci exercitus, ne loqueretur iudaicè : veritus ne tumultum populi oratione ſua excitaret. Populus enim audiens Rabſacen de induſtria exprobrantem Regi, quòd excelſa & altaria, quæ Maiores in honorem Dei erexerant, deſtruxiſſet, paruo momento vacillare poterat. Sed cùm Rabſaces ſatis intelligens, quid Ezechias metueret, maiore etiam voce, multoq́. vehementius hebraicè loqui pergeret, præceptum eſt, vt nemo reſponderet. Quo exemplo monemur, Hæreticorum libros, ſcripta, ſermones, & colloquia non eſſe audienda : etſi cogamur ipſorum blaſphemias etiam inuitis auribus audire, non oportet illis dare reſponſum, neque cum eis diſputare : porci enim ſunt, & canes, ante quos non oportet proiicere margaritas. Hactenus ille. At ſi quis dixerit, Catholicos ex Apoſtoli ſententia ſemper paratos eſſe debere, vt ſatisfaciant omni poſcenti rationem de ea, quæ in ipſis eſt ſpe & fide. Reſpondemus : hæc verè ita ſe habere, ſi ij, qui poſtulant, in ſpe & fide poſtulent, id eſt, ſi interrogauerint veritatis ſtudio, vt addiſcant, vt rectius intelligant, vt ædificent : at ſi captioſè & peruersè interrogauerint, populorum ſynceram fidem deprauare ſtudentes, cum eiuſmodi ſeditioſis hominibus non modò nulla de rebus diuinis diſputatio, ſed ne colloquium quidem aliquod habendum eſt. Si quis enim, inquit diuus Iohannes, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis : qui enim dicit illi aue, communicat

1. Petri 3.

Diſt. 36. Qui Eccleſiaſticis.

Fabianus Papa in prima ſua Decretali.

Ioan 2. cap 1.

nicant cum operibus eius malignis. Et diuus Chryſoſtomus in caput Geneſeos tertium, Homilia ſexta decima, omnem deprauatæ poſteritatis culpam atque ruinam ex pernicioſo illo colloquio, mulieris nimirum cum ſerpente, exortam fuiſſe teſtatur. Nam ſi mulier ſtatim ſerpentis impoſturam animaduertiſſet, & illius verba nugacia eſſet auerſata, neque illius familiaritatem & conſuetudinem tuliſſet, ſed protinus illum eſſet abominata, cùm ſuam linguam contra diuinum præceptum acuere audebat: certè nec ſeipſam, nec cum ipſa ab eĉto Dei mandato protoplaſtum quoque in tot miſeriarum & ærumnarum barathrum præcipitaſſet: tantum malum eſt, inquit, ſine delectu cuiuis diuina myſteria detegere, & margaritas porcis conculcanda proponere, atque ſine diſcrimine ſimpliciter de diuinis eloquijs cum omnibus colloqui. Et rectè quidem, nam qui verè Catholici ſunt, non ſedent cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeunt: neque enim orthodoxos viros cum ijs, qui pollutam habent communionem, & permixtam cum impijs, decet habere conuentum. Etenim nunc Hæreticorum placita notiſſima ſunt: de quibus, vt aduerſus Fauſtum ait Auguſtinus, apud doctos & graues viros ſeditioſi homines diſputare non audent. Sed impudentiſſima quadam pertinacia apud plebeios & inſcios congregare ſtudent (vt vanæ & contentioſæ perdices) quæ non pepererunt, hoc eſt, ſuis fucis ſeducere ſimplicium corda adnituntur, & illos, quos Chriſto Eccleſia ſancta peperit, eorum perfida Synagoga in perditorum numerum aggregare non ceſſat. Tunc gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei, & diuinis oraculis cum Hæreticis eſt agendum, cùm in conſeſſu piorum, eruditiſſimorumque hominum congreſſu diſputandum eſt: nec alia ratione, niſi vt ſimplices à pſeudoprophetis ſeducti, reſipiſcant, vt præuaricatores ad cor redeant, vt congregentur diſperſi. Quod ſi aliò tendit diſputatio, intermittenda eſt, & in illud omnino reijcienda tempus, in quo ſublatum erit ab oculis impiorum velamen, & aures ſurdorum audire cœperint,

perint,

perint, ut audiant uocem Domini, ut uideant, & teneant iter regium, ut ambulent cum conſenſu, & unanimes habitent in domo Domini, atque dulces capiant cibos in Eccleſia Dei.

CAPVT XIIII.

IMMO uerò, ſiqui fuerint in ſuis prauis ſententijs pertinaciter obſirmati, non modò poſt unam & ſecundam correptionem deuitandi ſunt, ut ait Apoſtolus, ſcientes eiuſmodi homines ſubuerſos eſſe, & proprio iudicio condemnatos: ſed etiam exerendus eſt in eos Eccleſiæ gladius, ut tamquàm putrida membra ex eius corpore reſecti, totum ſaluum & incolume reddatur. Vel ipſi etiam inuiti ad ſanitatem cogendi ſunt: quemadmodum magna phreneſi laborãtibus accidere ſolet, quibus aliquando iniiciuntur etiã uincula à peritis medicis, & acrioribus uti remediis coguntur, ut ſanitatem recuperent. Vtinam abſcindantur, qui uos conturbant, inquit diuus Paulus in ea, quam ad Galatas ſcripſit, epiſtola. Cuius ſententiæ rationem reddens diuus Hieronymus eodem loco dixit. Reſecandæ ſunt enim putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne totum putreſcat, & intereat. Et alibi idem ſanctiſſimus Pater dixerat. Quæ eſt iſta miſericordia uni parcere, & omnes in diſcrimen adduçere? Præſertim cùm non mortem, ut ait diuus Auguſtinus, ſed conuerſionem & ſalutem Hæreticorum exoptet Eccleſia. quæ ſalus, ſi reiecta fuerit à pertinacibus, illis ipſis eadem pia mater Eccleſia, ut communi bono conſulatur, mortem infligere non extimeſcit. Aliter enim, inquit idem diuus Pater, non meruit habere pacem domus Dauid, niſi inobediens eius filius Abſalon in bello eſſet extinctus. Cogunt namque multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum. Iam olim catholica duntaxat communione priuabantur Hæretici, quando nulla ſacris Principibus poteſtas erat animaduertendi in corpora: nunc autem cùm

Contumaces Hæretici, ut humanæ et diuinæ Maieſtatis rei ſeueriſsimè plectendi ſunt, & ceu putrida membra ex Eccleſiaſtico corpore reſecanda.

Gal. 5.

Hieron. ſuper Gal. 5. & 3.

Aug. contra ſecundam Epiſtolam Gaudentij, lib. 4. cap. 51.

Aug. ſup Iohã.

Auguſt. de pœna Hæreticorum.

Pelagius primus, Pontifex LX. qui incidit in tempora Narſetis & Atila, cognomento flagellũ Dei, Primus Hæreticos atque ſchiſmaticos haud paruo catholicorum leuamine ſeculari poteſtate coercendos indulſit. uide in decretis Pelagij. in fine Concilij Auernenſis.

Deut. 17.

2. Cor. 10.

Lib. 2. contra epiſto. Gaudentij, fuſius uerò ſuper Iohan.

C. de Hæret.

Leg. Arriani.

Leg. Manichæos.

Leg. Quicũque.

Euſebius.

in prouectiorem ætatem peruenit Eccleſia, & per ſe utrũq. gladium exerere poſſit: quid mirum, ſi in contumaces poteſtatem illam exercet, quam cumulatè & plenè accepit à Chriſto? quamque non pro diuinis tantùm, ſed pro humanis etiam legibus omnes pij legum cuſtodes & uindices ſemper exercere conſueuerunt? Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur, inquit diuinus ille legiſlator. In promptu habentes ulciſci omnem inobedientiã, ait Apoſtolus. Hæreſis uelut quædam hydra fabularum uulneribus ſuis creuit, & dum ſæpe reciditur, pullulauit. Igni debitè incendioq. peritura, affirmat diuus Ambroſius. Hæreticorum genus per Imperatoriam curam corrigi debere, non uno in loco aſſerit diuus Auguſtinus. Quod etiam ſemper à catholicis principibus factitatum fuiſſe legimus, ut Cõſtantinum Imperatorem in Arrium: Theodoſium maiorem in Manichæos: Valentinianum & Martianũ, & cæteros omnes catholicos Cæſares & principes in ſui temporis Hæreticos feciſſe, literis proditum eſt. Et meritò quidem. nam ſi Regij numiſmatis adulteratores ſeueriſſimè plectũtur: quãto ſeuerius diuinæ legis deprauatores puniendi ſunt? qui tanta cum animarum iactura, ſanctiſſimum Chriſti regnum euacuant: & impiam Sathanæ tyrannidem fouent. Mea primitus erat ſententia, ait diuus Auguſtinus ad Vincentium Rogatianæ Hæreſeos defenſorem, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum: uerbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione uincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium uerbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donatiſtarum, ad unitatem catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt: quam nunc uidemus ita huius perniciem deteſtari, ut in ea nunquam fuiſſe credatur. Ita & aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipſis rebus agnoſcerem, etiam

D. Aug. in epiſt. 48. ad Vincentiũ Rogatianũ.

in hac

in hac cauſa rectè poſſe intelligi quod ſcriptum eſt: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Et idem diuus Auguſtinus in libro contra epiſtolam Parmeniani, explicans mentem Chriſti dicentis: Sinite utraque ſimul creſcere uſque ad meſſem, ait, hæc uerba in eo tantùm caſu ſeruanda eſſe, quando zizania ſine extirpatione tritici extirpari non poſſunt, id eſt, quando Hæretici occidi & extingui nequeunt, niſi etiam cum eis catholici trucidentur: ſed cùm metus iſte non ſubeſt, & crimen eorum notum eſt, & execrabile, nec tales habent defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, tunc aduerſus eos ſeueritas exercenda eſt. Nam ſi Imperatores puniunt furta & homicidia, cur non punient hæreſes, & ſacrilegia? Hæc Auguſtinus. Quibus etiam præclara illa uetuſtatis exempla addi poſſent. Nam ſi Socrates uir innocentiſſimus philoſophiæ parens, & philoſophorum princeps, Athenienſium iuſſu ueneno extinctus eſt, quòd nouæ cuiuſdam religionis author eſſe uidebatur. Præterea ſi Athenienſium Senatus Phidiam ſculptorem præclariſſimum de Mineruæ, quam omnium bonarum artium Deam putabant, ſimulacro faciundo non ſatis honorificè in curia locutum, ab eorum conſpectu magna cum ignominia repulerũt. Demùm ſi Locrenſes, ut author eſt Demoſthenes, nouam legem, quæ omnium ordinum non erat firmata conſenſu, legislatoris ſanguine abrogandam eſſe ſtatuerunt: qua ignominia, aut quo ſupplicio in chriſtiana republica, non afficiendi ſunt ij, qui ſuis pernicioſiſſimis diſſenſionibus, & nouitatibus, à recta fide, atque à priſca & uera religione Chriſti fideles tanto ſtudio, tantaq́. impietate remouere conantur? Quamobrẽ ea tantùm ratione parcendum eſt zizaniis, quouſque unà cum frumento in agro ſunt: aut quia poſſunt in frumenti ſtatum commutari, aut quia extirpari ſine frumenti iactura nequeunt. At ſi uſqueadeò pullulaſcere, atq. ſuccreſcere cœperint, ut frumentum ipſum ſuffocatura uideãtur, & tolli ſine frumenti damno poſſunt, neque ulla ſpes ineſt de commutanda in meliorem ſtatum zizaniorum prauitate,

Prouerb. 9.

Math. 13.

Valerius Max. lib. 1. *De Religione.*

tate; dic quæſo, cur parcendum eſt zizanijs? cur eadem non ſunt extirpanda funditus, atque tollenda & extrahenda radicitus? cur non in ignem mittenda & comburenda? Etenim quæ iniuria infertur zizaniis, ſi illam, quam frumento machinabantur perniciem, patiuntur? Et certè non habent, cur de catholicis conquerantur Hæretici, ſi ab illis cædes & incendia patiuntur, cùm illud ipſum Hæretici in Catholicos ſemper exercere conſueuerunt. Quid non moliti ſunt Arriani in Catholicos, quos per contemptionem & deriſum Homouſianos, &, ut ait diuus Baſilius, Coëſſentialiſtas appellabant? quid non Donatiſtæ? quid non cæteri Hæretici omnes? qui cùm ipſis opportunum fuit, etiam Regum & Imperatorum auxilium aduerſus orthodoxos implorauerũt. Hinc Conſtantij Imperatoris, Valentis, Eudoxiæ, Zenonis, Anaſtaſij, Philippi, Tyberij III. Conſtantini III. & V. Leonis II. III. & IIII. Genſerici Vuandalorum, & Theodorici Gothorum Regis, & aliorum perditorum principum impietas & furor, in Hæreticorum gratiam aduerſus Catholicos exarſit: ita ut tot piorum hominum ſanguinem effundẽtes, innumerabiles ſua tyrannide martyres effecerint. Qua longè omnium impia, & ſæuiſſima rabie, etiam noſtri temporis Hæretici non caruerunt: Quemadmodum tot in Apoſtolicos Patres perfidiorum principum in Germania & Britannia ſeditiones, & motus bellici oſtendunt, teſtanturq́. tot Regulorum tuorum in Gallia defectiones, & in tuum chriſtianiſſimum caput, atque ſublime decus pernicioſiſſimi tumultus. Quibus ne in minimo quidem cedendum eſt, Rex Conſtantiſſime: quandoquidem uictoria in manibus eſt, & fortibus trophæa debentur. Nec ullo pacto de profligandis hoſtibus uerendum eſt, cùm cauſam habeant perditiſſimã, & ſint utriuſque humanæ uidelicet, & diuinæ Maieſtatis læſæ rei, & perduelles. Quodque hac in re caput eſt, & à Maieſtate tua ſummoperè animaduertendum. Hæreticorum uita, mors Caroli: & ſalus Caroli, Hæreticorum interitus. Non exercet tyrannidem, qui tyrannidem diſſoluit. Non agit

D. Baſilius ad Patrophilũ Epiſcopũ, Epiſt. 82.

Quemadmodum Hæreſiarchæ ſemper principũ perditorum odiũ cõcitauerunt, ita etiam orthodoxi Patres catholicorum principum pietate & opera in Hæreticos uti debent.

agit tyrannum, qui tyrannos diſſipat: non eſt mercenarius, ſed paſtor bonus, qui lupos propulſat, aut interficit. Non frangit leges, qui pro legibus certat, & qui ius ſuum repetens bello, legum tranſgreſſores perſequitur. Deniq. non eſt impius, qui impios, & ſuperum contemptores exterminat, diſperdit, obtruncat; incendit: atque illos ad ſanitatem redire cogit, qui Pſeudoprophetarum mendacijs faſcinati, peruerſè de fide catholica, & de uera religione ſentiebant. Coactum à Chriſto Paulum legimus ad ueram fidem, cùm ſupra multos coëtaneos ſuos æmulator exiſtens, paternarum ſuarum traditionum inani, & cæco quodam ſtudio naſcentem Chriſti Eccleſiam perſequebatur. Et tamen Paulus, qui pœna corporis coactus ad Euangelium intrauit, plus illis omnibus laborauit in Euangelio, qui ſolo uerbo fuerant uocati. Ad magnam cœnam ſuam priùs uocari & adduci iuſſit conuiuas Euangelicus ille pater familias, poſteà cogi: & tamen ex coactis plures fuerunt electi, quàm ex uocatis. Niniuitæ compulſi à Rege pœnitentiam egerunt: & tamen fructifera & ſalutaris fuit Niniuitarum pœnitudo. Coacta, ut modò dicebamus, Imperatorijs iuſſis ad unitatem Catholicam rediit Auguſtini Ciuitas, quæ priùs mordicus Donatiſtarum partes tuebatur: & tamen poſt conuerſionem ſuam, atque poſt ſibi reconciliatam catholicæ Eccleſiæ gratiam, ſuprà omnes Aphricanas ciuitates, Donatiſtarum perniciẽ deteſtata eſt. Felices igitur impulſus, & uis ſaluberrima, qua cum Deo in gratiam redeunt, qui à Deo auerſi, ex illius diuina familia atq. fauore infauſtè, & miſerè exciderãt: præſertim cùm ſalutaris ſeueritas uicerit ſemper inanem ſpeciẽ clementiæ: & in illos maximè, qui ad chriſtianæ fidei præcepta ſeruanda iureiurando in lauacro regenerationis obſtricti erant. Nam non ſemper coacta ſeruitus eſt miſerabilis, cùm ſemper felix & beata ſit neceſſitas illa, quæ impellit ad bonum. Illi ergo, ut ait diuus Auguſtinus, qui inueniuntur in uijs, & in ſepibus, id eſt, hæreſibus, & ſchiſmatibus, ſi coguntur intrare, non quia coguntur reprehẽdant, ſed quò

Pulcherrimis rationibus & exemplis author hortatur Regem ut pertinaces Hæreticos perdat: cæteros uerò, qui Chriſto nomẽ dederunt, etiam nolẽtes & inuitos, ad colendam catholicam religionem coerceat.

Act. 9.

Luc. 14.

Ione. 3.

Aug. in Epiſto. 48. ad Vincentium Rogatianæ Hæreſeos defenſorem.

D. Aug. ad Bonifacium cap. 16. & contra Gaudentium, lib. 2. cap. 17.

cogantur

cogantur attendant. Nonnullis enim dum coguntur ad ſalutem præſtatur occaſio, qui & ſi uiolenter adducũtur ad euãgelicam cœnam, & compelluntur intrare, intus tamen inueniunt unde ſe lætentur intraſſe. Et quemadmodum Niniuitæ pœnitentiam non egerunt inuiti, quia illam eorum Rege compellente fecerunt: ita Deus uolentes facit dum cogit inuitos, & dum nolentibus uim affert, atque dum piorũ Principum minis & ſalutaribus pœnis prodigos & auerſos filios ad patrem, & ad promiſſam fidem ſeruandam redire compellit. Quin etiam ſi inter beatos numerãtur qui uocati ſunt ad cœnam agni: an non maiorem beatitudinem cõſequentur, & longè beatiſſimi erunt, qui ad eãdem diuini agni cœnam fruendam adducũtur, detinentur, coguntur, & ne ab ea diſcedant, coërcentur? Catholici, & quotquot in catholica Eccleſia renaſcuntur, ſunt beati illi conuiuæ, quibus uim afferre oportet, ne cœnam agni derelinquant: ne diſcedant à cœnaculo Domini: ne tam regio conuiuio ſe indignos reddant: ne tãto patrifamiliàs, qui eos gratis & tam benignè uocauit, ſint iniurij: denique ne uotum, & promiſſum quo tenebantur interuertant, & ad aliud transferant.

Apoc. 19. Matt. 22. Luc. 14.

Cõſule Conciliũ Toletanũ. 4. & diſt. 45. can. De Iudæis, & Innocentium cap. Maiores, De Baptiſmo.

CAPVT XV.

HINC certè magna ratione ſacrorum Procerum decretis cautum eſt, non omnibus impunè licere, illorum ſcripta legere, qui ſuis mendacijs & blaſphemijs importunè & impiè ab hac Dominica cœna conuiuas auertere, & reuocare conarentur: cuiuſmodi quidem ſunt omnes Hæreticorum ſcriptiones, quæ ne uocatis, & electis ſint offendiculo, iure magiſtra catholicæ ueritatis Eccleſia illarum lectionem interdixit, & ab omnibus Hæreticis ſcriptis cenſuit, atque ſub anathematis animaduerſione iuſſit omnino abſtinẽdum. Deliteſcunt enim ſemper ſub Hæreticorum ſcriptis inſidiæ, quemadmodũ aliquando latitat ſub melle uenenum. Quòd ſi Hæreticorum lucubrationes uariam multarum rerum eruditionem

Hæreticorũ ſcripta iniuſſu Maiorũ legere nefas, immo eadẽ quantumuis licèt excellant à pijs & catholicis omnibus, ut damnatæ ſectæ uolumina, eſſe prorſus reijcienda atque exurenda, demonſtratur.

ditionem ſapiunt, & ad multorum ſacrarum literarum loco rum intelligentiam non parum conducere videntur: quò factum eſt, vt à nonnullis etiam grauiſſimis Eccleſiæ Patribus, quandoque lectitatæ ſint, & in manibus habitæ. Vt diui Hieronymi, Theophili Alexandriæ Epiſcopi, & Dionyſij martyris eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ antiſtitis exemplis conſtat. Hi enim Hæreticorum librorum lectionem nunquàm intermiſerunt, neque intermittendam putauerunt, vt commodius Eccleſiarum præſules eſſent (quemadmodum ait Apoſtolus) probati diſpenſatores: Non tamen inde neceſſariò deducendum eſt, omnibus ſine vllo diſcrimine, aut delectu datum eſſe, Hæreticorum volumina euoluere. Quod enim a paucis, & illis quidem eruditiſſimis, & ſanctiſſimis viris, atque non ſine magna ratione, & grauiſſimis cauſis factum eſt, idem illud non eſt continuò ab omnibus vſurpandum, & in communem vſum, & conſuetudinem reuocandum: quod Carthaginenſis quarta Synodus canone decimo ſeptimo indubiè teſtatum reliquit. Conceſſit enim hæc ſancta Synodus, non promiſcuè & communiter omnibus, ſed tantùm Epiſcopis eruditione & fide conſpicuis, lectionem Hæreticorum voluminum, quò facilius poſſent illorum inſidias agnoſcere, & validius confutare. Erant prætereà tunc alia tempora: Etenim ſi qui olim in Hæreticorum librorum lectione verſabantur, ijdem erant viri præſtantes, & vndequaquè eruditi, atque in catholica fide conſtantiſſimi, vt Dionyſij, Theophili, & Hieronymi exempla demonſtrant. Neque vlla vel generalis ſynodi, vel ſummorum Pontificum ſanctione, ab Hæreticorum librorum lectione arcebantur. Eccleſia prætereà non æquè, ac hodie tot Catholicorum interpretum pijs & doctiſſimis commentationibus affluebat: demum Hæreticorum placita non erant, vt modò ſunt, nota & peruulgata. Quamobrem quod priſcis temporibus ſine vlla culpa fieri poterat, idem nunc ſine maximo ſcelere, & ſine nota Hæreſeos fieri non poteſt, & maximè ſi id quispiã iniuſſu Maiorum attentare præſumpſerit. Nam quandoque

Hieron. in epiſt. ad Mineriũ & Alexan.
Socrat. lib. 6. hiſto. eccl. cap. 17.
Diony. martyr in epiſt. ad Philemonem Romanũ presbyterum.
Euſebius lib. 7. cap. 7.
1. Petri. 4.

ſummorum

ſummorum Pontificum conceſſu & poteſtate, aliqua graui cauſa huiuſmodi munus pijs & eruditis Theologis permitti, aut demandari ſolet, quò melius Eccleſiæ aduerſariorum calumniæ detegantur, & coërceantur: quo caſu damnatorum librorum lectione non modò ſine crimine, ſed magna etiam cum laude, & meritò vtimur. Cæterùm hac ratione ſublata, nullo pacto à Catholicis viris Hæreticorum commentaria conſulenda ſunt: ſed potius explodenda prorſus, & vt nefariæ doctrinæ codices, exurenda. Etenim ſi Diagoræ, & Protagoræ libri, qui nullos Deos eſſe docebant, publicè ab Athenienſibus combuſti ſunt: Itidem, ſi libros Numæ in agro Petilij repertos, Romani in ignem proiecerunt, quod Romanorum Numinum cultus diſſoluere videbantur: quanto magis reijcienda & comburenda ſunt Hæreticorum ſcripta, vt pote quibus non vana gentilitatis religio, ſed verus Dei cultus opinionum prauitate inficitur: & ſacra ſalutaris ſapientiæ, & catholicæ veritatis cognitio profanis & pollutis quorumdam ſeditioſorum aſſertionibus violatur?

CAPVT XVI.

Non modò ſententia, ſed etiam voces Hæreticorum in Concilijs generalibus ſemper exibilatæ fuerũt ab orthodoxis.

PRæclarè igitur in Concilio Nicæno ſancti, & præſtantiſſimi illi Patres, neq. etiam legi, aut recitari paſſi ſunt noua Arrianorum figmenta: ſed omni prorſus diſputatione interdicta, eos exibilatos, exploſos, & damnatos, vt publicos ſacræ vetuſtatis, & veræ religionis hoſtes reiecerunt, atque non modo impiam illorum ſectam, ſed verba etiam profana, & ſine Deo nomina, quibus aduerſus catholicam fidem vtebantur, execrantes publico decreto improbauerunt: quod etiam in Chalcedonenſi Concilio obſeruatum fuiſſe legimus, in quo nullo pacto permiſſum eſt, iterum in decreta Nicænæ ſynodi inquiri. Quin his verè diuinis vocibus vſa eſt ſancta illa ſynodus: Si quis retractat, anathema ſit: ſi quis ſuper iſta inquirit, anathema ſit: maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui innouat. Tantum

Theodoricus. in Hiſtoria. Tripar. lib. 2. cap. 12.

tum

tùm apud orthodoxos Patres,& apud rectè de chriſtiana fide ſentiētes valuit ſemper maiorum ſuorum veneranda authoritas,in qua vim quandam diuinam,& præcipuam quandam rerum diuinarum intelligentiam repoſitam eſſe intelligebant. Siquidem diuino ſpiritu edocti,ſciebant viuas Apoſtolicarum inſtitutionum aquas, & limpidiſsimos ſacerdotalium & oecumenicorum Conciliorum, atque paternarum traditionum torrentes, quibus ab infantia Eccleſiæ ad præſens vſque ſenium perpetuo quodam diuini Numinis ductu, tanta cum cæli & terræ lætitia, & humanarum animarum ſalute, vniuerſus chriſtianus orbis irrigatus eſt, & ſemper quoque vſque ad mundi conſumptionem,ſummo Deo fauente,irrigabitur, ex myſtica illa petra deſerti fluxiſſe, de qua ſcriptum eſt: Percuſſit petram, fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. *Pſal. 77.* Et alio in loco: Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit vobis aquas. *Num. 20.* Et certè cùm ſine ſcripto verbo euangelico, ſed ſola traditione tot annos in ſuis primordijs Eccleſia floruerit, immo cùm nihil ſcribi præceperit Chriſtus, ſed in primis prædicari iuſſerit, quæ noſtrorum eſt temporum tam miſera conditio, vt à nonnullis illud vndè ſacri codices, & ipſum Euangelium ad eos emanauit, tanta pertinacia & impudentia reijciatur? *Ex traditione ſcriptura, non ex ſcriptura traditio emanauit.* Pluſquàm viginti annos ſine ſcripto Euangelio fuit Eccleſia,& tamen quando magis uiguit Chriſtiana religio? non priùs literis conſignatum, & deinde traditum: ſed priùs traditum, deinde literis conſignatum fuit Euangelium, cuius occulta intelligentia,& declaratio non ſtatim publicis monumentis, ſed viuæ vocis oraculo viuenti Eccleſiæ tradita eſt: vt non ex literis, ſed ex abdita quadam diuina vi, & ex latente quadam ſancti Spiritus energia, præſertim regi Eccleſiam pij omnes intelligerent. *Irenæus lib. 3. aduerſus Valēt.* Nunc autem huiuſce tempeſtatis homines tantorum myſteriorum obliti, omiſſo atque amiſſo etiam ſpiritu quæritant literam: atque, vt improbi & perfidi debitores promiſſam fidem frangentes, ſcripturam & chirographum exigunt: quibus oſtenſis, rurſus ad iurgia & calumnias conuer- *Hæretici improbis & perfidis debitoribus comparantur.*

tuntur, ſcriptorumque rectam intelligentiam peruertere, aut Iudicis authoritatem & integritatem minuere, aut teſtes, tametſi graues & incorruptos, vt leues & coniuratos arguere, & reijcere conantur. Quò fit vt propè omnia, quæ ad veram pietatem attinebant, & pio ſilentio coli debebant, non modò paſſim in ore omnium ſint, hominumq́. perditiſſimorum inuentis, & cupiditatibus ſint expoſita: verùm etiam eadem ipſa vera religio, & grauiſſimæ illæ toties præiudicatæ Patrum ſententiæ, tanta cum perturbatione, & euerſione omnium rerum denuò in controuerſiam reuocentur.

CAPVT XVII.

Quòd ſuperueniente ſcriptura euacuari & abrogari non poteſt traditio, vt falſo aſſerũt Hæretici.

QVOD ſi adueniente ſcriptura, traditionem abrogatam eſſe quis dixerit, & ſcripto tantùm Dei verbo credendum eſſe aſſeuerauerit, longè fallitur: quia Spiritus ſancti magiſterium, à cœtu fidelium aufert, & quid ſit vera Eccleſia, quodue ſit eius præcipuum munus, atque præcipua poteſtas non intelligit. Neque enim de lege, ſed de intelligentia legis controuerſia eſt. Lex enim Dei, & ſcriptum Dei verbum, omnibus etiam Hæreticis, atque Dæmonibus communia ſunt: illorum autem vera intelligentia & interpretatio non niſi penes Apoſtolorum ſucceſſores, & apud catholicam Eccleſiam eſſe poteſt. Nam ſola catholica & Apoſtolica Eccleſia eſt incorruptæ veritatis ſacrarium, vt pote quæ non modò à ſponſo Chriſto omnem veritatem edocetur, & perenni quodam diuini numinis afflatu regitur & gubernatur, ſed etiam quia ſuſceptæ ſemel religionis integritatẽ tanta pietate, & conſtantia tot ſæculis ſola coluit, & ſeruauit. Quin non modò ſuperueniens ſcriptura non abrogauit traditiones, ſed etiam firmauit & roborauit: paſſim enim teſtatur ſcriptura, Traditiones arctè accurateque ſeruandas, atque etiam mordicus tenendas eſſe. State enim, inquit Apoſtolus, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et Cætera diuinæ authoritatis teſtimonia,

2. Theſſ. 2.

ſtimonia, quæ in eruditiſſima Caniſij Summa uidere poteris. Colligit enim hic Pater uenerabilis, ſanctitate & eruditione præſtantiſſimus, uir certè de Chriſtiana republica optimè meritus, cui apoſtolica Eccleſia & pij omnes plurimum debēt, Colligit, inquam, hic tantus doctor in ſingulis Eccleſiæ dogmatibus, ex ipſis ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum limpidiſſimis fontibus, firmiſſimas, & lucidiſſimas authoritates, quibus omnes Hæreticorum ambages, & tenebræ, certa quadam methodo apertiſſimè diſſiparentur. Opus certè tanto authore dignum. Quamquàm, ut ad noſtras aures peruenit, nunc etiam nonnulli ex eodem Societatis Ieſu nobiliſſimo, & (ut ſacroſancti Concilij Tridentini uerbo utar) pio inſtituto clariſſimi Theologi, neſcio quid magni pro eadem ueritate catholica moliantur: quemadmodum ſemper ijdē optimi Patres, & doctrina & moribus per totum ferè chriſtianum orbem moliti ſunt: ex quò cælitus nobis ad inſtaurandam, & propagandam labentem Eccleſiam aduenerunt.

Venerabilis Caniſius, de præceptis Eccleſiæ par te prima.

Nobiliſſima & ſanctiſſima Societatis Ieſu emerita præconia, & laudes innumer.

Concilium Tridentinum, ſeſſione 25. cap. 16.

CAPVT XVIII.

PATET igitur ex ijs, quæ dicta ſunt, quòd ſcriptura non abrogat traditionem. Nam quemadmodum ex traditione ſcriptura emanauit, ita traditio ſcriptura roboratur. Hæc enim duo mutuò ſe fouent: quia diuina ueritas, diuinæ ueritati non aduerſatur, & lux luci contraria non eſt. Præterea ſi omnia quæ ad Dei cultum, & animarum ſalutē neceſſaria ſunt, ſcriptura nobis apertè & copioſè ſuppeditaret, traditio utique neceſſaria non eſſet. Sed cùm nihil à Chriſto, & pauca admodum ab Apoſtolis ſcripta ſint, multa uerò ex ore in os uiuenti Eccleſiæ tradita, idcirco legitimam abijciendæ traditionis cauſam non uideo. Qui enim traditionem abiicit, depoſitum non cuſtodit: ſiquidem ſcriptura non eſt uerè depoſitū. Etenim ſcriptura ab Hæreticis quoque uſurpatur, & communis eſt omnibus: quamquàm cū uſurpatur ab Hæreticis, eo modo quo profertur ab eis,

Qui traditionē reijcit, Apoſtoli cum Depoſitum non cuſtodit.

non Dei, ſed Diaboli uerbum eſt: Traditio autem Orthodoxorum eſt, & à Catholicis tantùm cuſtoditur. Scriptura quoque nouas aliquando interpretationes, & diſputationes admittit. Traditio autem uetuſtate commendatur, & ſua dũtaxat ſimplicitate gaudet. Scripturæ itidem interpretationes quandoque reiiciuntur: Traditionis autem ſimplicitas ſine religionis ruina reijci non poteſt. Scriptura denique teſtium officio fungitur: Traditio uerò Iudicis perſonam gerit: quia quod ex traditione eſt, aut millies præiudicatum eſt, aut Apoſtolicum depoſitum eſt, quod uiolari nullo modo licet.

Quæ ſint traditionis & ſcripturæ differentiæ declaratur.

CAPVT XIX.

Citantur nõnullæ catholicorum Patrum pro ſcriptura aduerſus paternas traditiones teſtimonia, & eadẽ illa unica reſpõſione ſoluuntur.

At dices: Si hæc ita ſe habent, cur in Nicæna Synodo Conſtantinus Auguſtus nemine refragante, dixit, quod in diſputationibus rerũ diuinarum habetur ſancti Spiritus doctrina præſcripta? Euangelici enim, & Apoſtolici libri, cum Prophetarum antiquorum oraculis, plenè nobis oſtendunt ſenſum Numinis. Et concludens, ſubinfert, quòd ex dictis diuini Spiritus quæſtionum explicationes ſumendæ ſunt. Cur etiam Auguſtinus dixit, multa quidem Dominum & feciſſe & dixiſſe, quæ ſcripta non ſunt: electa uerò eſſe quæ ſciberentur, quæ credentium ſaluti ſufficerent? Et alibi idem ſanctiſſimus Pater dixit, quòd ubi de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuuantibus diuinarum ſcripturarum certis, clariſq. documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in alteram partem declinando: apertè affirmans, nihil creditu neceſſarium extra ſacras literas eſſe. Cur Theophilus Alexandrinus ſcripſit, Dæmoniaci ſpiritus eſſe, aliquid extra ſcripturarum authoritatem putare diuinum? Cur Hieronymus dogmata cõdemnauit, quæ abſque authoritate & teſtimoniis ſcripturarum ex traditione Apoſtolica proferũtur? Cur idem alibi dixit, quod abſq. authoritate & teſtimoniis ſcripturarum garrulitas non habet fidem?

Theodoritus. lib. 1. hiſt. ſua Eccle. cap. 7.
Aug. in Iohan. tract. 49. lib. 2. de peccat. meri. et remiſ. cap ult.
Idem in epiſt. ad Optatũ de orig. anima.
Theophilus Alexã. lib. Paſch 2.
Hieron. in Aggæum, cap. 1.
Idem in Epiſt. ad Titum, cap. 1.
Origenes Homil. 26. in Matth.

fidem? Cur Origenes aſſeuerauit, quòd neceſſe eſt nobis ſcripturas ſanctas in teſtimonium uocare, affirmans ſenſus noſtros & enarrationes ſine his teſtibus non habere fidem? Cur Paulus ſcripturam idoneam eſſe docet, ut per eam perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus? Cur idem ipſe Dominus dixit: Scrutamini ſcripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me? Cur, inquam, tot diuina & humana teſtimonia in dubiis fidei quæſtionibus tantoperè ſcripturas ſacras nobis commendauerunt, nulla prorſus paternarum traditionum mentione habita, ſi traditiones paternæ in controuerſiis religionis & in doctrina fidei, atque in Chriſtiana republica adeò neceſſariæ ſunt? Si hæc dixeris: Reſpondens peto, quid per ſcripturas iam dicta teſtimonia intellexerunt, Num mortuos tantùm literæ characteres, an uiuam & ueram ſcripturæ intelligentiam? Si uiuam & ueram ſcripturæ intelligentiam, traditionem utiq. non excluſerunt. Nam uera traditio ex uera ſacrarum literarum intelligentia pendet, & à diuinis, & Apoſtolicis inſtitutis non eſt aliena, ut ſupra capite ſeptimo demonſtrauimus. Omnis enim uera traditio in diuinis ſcripturis latitat, tum quia ei diuinæ ſcripturæ non contradicunt: tum etiam quia de ea diuinæ ſcripturæ aliquod teſtimonium perhibent. Quippe quod diuinum teſtimonium poſteà eccleſiaſtica authoritate latius explicatur, & omnibus obſeruandum proponitur: ut in duodecim fidei articulis, in ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, & in cæteris omnibus ſacroſanctis Chriſtianæ religionis myſterijs clarè dignoſci poteſt: quæ cùm priùs in diuinis ſcripturis magna ex parte deliteſcerent, ſacra Apoſtolorum & Patrum authoritate, & interpretatione patefacta, in publicum Eccleſiæ Theatrum prodiere. Si qua uerò ex ſcripturis nullo modo elici potuerunt, Catholica conſuetudine, & Eccleſiaſtica authoritate firmiſſima ſunt, & rata habentur. Commendatur enim nobis diuino oraculo Eccleſiæ authoritas in ſcripturis: ita ut qui Eccleſiæ non obtemperauerit, præcipitur nobis à Domino, ut tamquam Ethnicus

2. Tim. 3. *Iohan. 5.* *Matth. 18.*

D. Augu. lib. 1. contra Creſcon. cap. 33.

cus & publicanus habeatur. Hucque tendit illa diui Auguſtini præclara ſententia aduerſus Creſconium Grammaticum, de baptiſmo Hæreticorum, & iteratione baptiſmi ſermonem habens: Proinde, inquit, quamuis huius rei certum de ſcripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam in hac re à nobis tenetur ueritas, cùm hoc facimus, quod uniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat authoritas. Et quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli huius obſcuritate quæſtionis metuit, eãdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat. Hæc Auguſtinus.

CAPVT XX.

Quòd non tenetur Eccleſia omne id quod definit, authoritate ſcripturæ cõprobare, quòdque ſcriptura obſcura ſit, & paucis peruia demonſtratur.

ET certè ſi teneretur Eccleſia omne id quod definit authoritate ſcripturæ comprobare, Spiritus ſancti magiſterium non eſſet in Eccleſia, neque haberet Eccleſia authoritatem aliquam in adminiſtranda Chriſtiana republica, ſi in omnibus ſcripturarum teſtimonio indigeret: præſertim cùm dubia ſcripturarum teſtimonia ad dogma aliquod ſtatuendũ contra authoritatem, & interpretationem Eccleſiæ nullius certè ponderis ſint. Eccleſia enim eſt ſupremum Chriſti tribunal in terris, in quo quicquid egerit ſeruus, ratum habet dominus in cælo: & quæcunque pudica & caſta, cùm extra Eccleſiam fiunt, adulterina atque profana ſunt: quia Spiritus ſanctus, qui uiuificat, & perficit omnia, non eſt extra Eccleſiam. Quamobrem fit, ut diuinæ ſcripturæ non niſi à catholicis Patribus uerè intelligantur. Nam quæ Dei ſunt, nemo nouit niſi ſpiritus Dei, atque ibi eſt uera chriſtianæ religionis doctrina, ubi eſt legitimum Spiritus ſancti magiſteriũ, & inuiolata Euangelicæ ueritatis, & Apoſtolicæ prædicationis traditio: tametſi præclara illa uitæ innocentia deſit. Vtinã diuina ſcriptura in omnibus ita perſpicua eſſet, ut uel per ſe ipſam intelligi, uel ipſa ſe ipſam exponere poſſet. Verùm

cũ multis in locis ſit tenebricoſa & obſcurior, egeatq́. paſſim ueræ intelligentiæ lumine, à quibus clarius illuminari poterit, quàm à legitimis illis, & fidiſſimis interpretibus, quibus Dominus dixit: Vos eſtis lux mundi. Et alibi: Vobis datum *Marc.4.* eſt noſſe myſterium Regni Dei. Cæteris autẽ qui foris ſunt, *Luc.8.* in parabolis omnia fiunt, ut uidentes, non uideant: & audiẽtes non intelligant? Præclarè igitur inquit diuus Iſidorus, *D. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono.* quòd ratio, per quam fit hæreſis, obſcuritas eſt diuinarum ſcripturarum, in qua caligantes Hæretici, aliud quàm ſe res habebat, intelligunt. Et utiq. non eſſent hæreſes in Eccleſia, neq. ulla in ſacris literis exponendis inter catholicos doctores diſſenſio, ſi in omnibus ſacrarũ literarum liber eſſet apertus. Neq. nunc tot perplexis, & inter ſe pugnantibus Hæreticorum doctrinis Chriſtiana reſpublica laboraret, ſi apud omnes eſſet cor unum, & labium unum, & eadem de rebus diuinis intelligentia, atque idem ſenſus. Ideo Maiores noſtri tot regulas atque præcepta ad ueram ſacrarum literarum intelligentiam aſſequendam præſcripſerunt: quia diuini agni, & ſacerdotalis libri ſignacula nõ omnibus ſoluere datum erat. *Apoc. 5.* Id propter etiam Dominus aperuit diſcipulis ſuis ſenſum ut *Luc 24.* intelligerent ſcripturas, eiſdemq́ue ſcripturas ſcrutãdas eſſe *Ioan. 5.* edixit: quia ſcripturæ ſcrutinio indigebant, & in omnibus non erant omnibus peruiæ. Deſinat igitur humana temeritas plus ſapere, quàm oportet ſapere. Etenim ſi in ſole caligant humanæ mentes, quanto magis in luce illa inacceſſibili caligabunt? Et ſi in arcanis naturæ plerumq́. cæcutimus, quo pacto tam facilè ſenſum Domini cognoſcemus, & illius conſiliarij erimus? aut per nos ipſos intelligemus arcana uerba, quæ humanos captus prorſus excedunt? Legendas & intelligendas eſſe ſacras literas eodem ſpiritu, quo dictatæ ſunt, *D. Bernardus ad fratres de monte Dei.* inquit diuus Bernardus. Deſudandum eſſe in lectione ſacrarum ſcripturarum, ſi diuinorum ſecretorum intelligentia digni fieri cupimus, ait Origenes. *Origenes ſuper cantica canticorum.* Non ſtudium modo à nobis adhibendum ad diſcendas ſacras literas, ſed etiam ſupplici *Idem Homil. 12. ſuper Exodum.* obſecratione ſemper à Domino petendũ, ut ueniat Agnus

Idem ſuper pſalmū primum, ad Ambroſium.

ex tribu Iuda, & ipſe accipiens librum ſignatum dignetur aperire, idem alio quodam loco teſtatur. Et alibi idem dixit: Concluſas & obſignatas eſſe diuinas literas claue Dauid, & ſigillo illius qui ipſas dedit. Non hominum eſſe, etiam ſi idiomata calleant, de diuinis oraculis diſſerere, ſed eorum, qui inter multos habito delectu ad tantum munus uidentur idonei, inquit Gregorius Nazanzenus. Non literas tantùm callentibus, ſed Spiritu ſancto plenis ſcrutinium ſacrarum literarum committit Epiphanius. In qualibet ſyllaba ſacrarum literarum theſaurum magnum latitare, ait diuus Chryſoſtomus. Non ſolum rudibus, & mediocri ingenio præditis, ſed etiam ſanctis & doctis uiris plenam diuinæ ſcripturæ intelligentiam denegat Cyrillus: multaque in ſacris literis intelligentiam noſtram ſuperare, quæ Deo ſeruanda ſunt, & diuino igni comburēda, idem irrefragabilis doctor affirmat. Non uſqueadeò uilis eſt, inquit diuus Baſilius, ſacræ ſcripturæ ſermo, ut uulgo indocili & per terram adhuc repentibus hominibus pateat. Et idem uir ſanctiſſimus coram Valente Imperatore fidei ſuæ rationem reddens, ſeueriſſimè coercuit inſolentiam cuiuſdam Coci, qui tunc aderat: eo quod homo rudis, atque carnalis de rebus diuinis auſus eſſet petulanter diſſerere. Tuum eſt, inquiens, curare iuſculorum condimenta: nequis enim cum ita ſordidatis auribus exaudire tractationes dogmatum diuinorum. Exemplo nobiliſſimi illius Eunuchi euangelici oſtendit Hieronymus ad Paulinum ſcribens, neminem per ſe ipſum poſſe arcana ſcripturæ rimari. Summam eſſe profunditatem ſacrarum literarum teſtatur diuus Auguſtinus, & in eis ſemper proficere poſſe nobiliſſima ingenia affirmat. Et idem alibi dixit, obſcuritatem ſacrarum ſcripturarum à Spiritu ſancto procuratam fuiſſe, ne patefierent diuina arcana indignis, & à nobis ſuperbiam, & earum faſtidium remoueret. In ſpirituales Corinthiorum reiecit curam intelligendi ea, quæ in epiſtola ſua ad omnes Corinthios ſcribebat Apoſtolus. Diuus Petrus teſtatur in Paulinis epiſtolis eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indoctos

Gregorius Nazanzenus primo ſua Theologiæ libro.

Epiphanius in compendiaria de fide doctrina quam edidit.

D. Chryſoſt. Homil. 21. in Geneſim.

Cyrillus, lib. 5. ſuper Leuiticū.

D. Baſilius in Theodoriti Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 19.

D. Aug. Epiſt. 3. ad Voluſianum. Idem in lib. de doctrina Chriſtiana.

1. Cor. 14.

2. Pet. 3.

doctos & inſtabiles deprauare dicit, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Ex traditione ſcripturæ ſenſum intelligi debere, autumat diuus Clemens. Ex traditione & ſanctorum Patrum magiſterio omnes catholici doctores ſacrarum literarum myſteria didicere. A Petro Marcus, Dionyſius, Clemens, Linus, & Anacletus. A Paulo Timotheus, Titus, & Lucas. A Iohanne Ignatius, Policarpus, Papias. A Papia Tertullianus. A Tertulliano Cyprianus. A Panteno Origenes. Ab Origene Dionyſius Alexandrinus. A Dionyſio Athenienſi Timotheus. A Dorotheo Antiocheno Antiſtite Euſebius. A Didimo, & Gregorio Nazanzeno Hieronymus. A Theophilo Cyrillus. Ab Ambroſio Auguſtinus. Ab Auguſtino Oroſius, & Primaſius, & cæteri Patres omnes, qui in catholica ſucceſſione permãſerunt, Eccleſiaſtica dogmata, & Euangelicam ſapientiam edocti ſunt, atque ueram Apoſtolici depoſiti intelligentiam ſuſceperunt.

CAPVT XXI.

Quòd cohibere ſe debent petulãtia ingenia in ſtudijs ſacrarum literarũ, nec aliud poſteris tradere debent, niſi quod à maioribus acceperunt.

ADDISCANT igitur in ſacrarum literarum ſtudio humana ingenia, innatam petulantiam cohibere, necnon Chriſtianam pietatem atque modeſtiam colere, & in paternis decretis acquieſcere: nec aliud credere in rebus fidei, aut aſſerere, niſi quod traditum eſt, atque quod ex Apoſtolico depoſito per ſacras Patrum & maiorum ſuorum manus acceperunt. Etenim quid aliud eſt depoſitum cuſtodire, niſi in cauſa religionis rebus nouis non ſtudere, & Apoſtolicorum dicto audientem eſſe? Quod ne nouum fortaſſe, & à nobis uoluntariè dictum uideatur Hæreticis, audiant uetuſtiſſimum & grauiſſimum authorem illum Vincentium Lirinenſem, uerba illa Pauli interpretantem: O Timothee, depoſitum cuſtodi &c. Depoſitum, inquit, cuſtodi, id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: Rem non ingenij, ſed do- *1. Tim. 6.*

ctrinæ: non priuatæ uſurpationis, ſed traditionis publicæ: Rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua nō author eſſe debes, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non ducens, ſed ſequens. Aurum accepiſti, aurū redde: nolo mihi pro alijs alia ſubijcias. Cuſtodi propter inimicos, propter fures. Cuſtodi etiam diligenter, ſedulóq; fideliter; & ſuo tempore, cùm oportuerit, quibus oportuerit, reddas. Deuitās profanas uocum nouitates, ideſt, ſententiarū, dogmatum, rerum quæ ſunt uetuſtati contrariæ. Nulla quippe hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore emerſit. Nec quiſquam hæreſim inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſiæ catholicæ, & antiquitatis communione diſcreuerit. Hoc ergo apud omnes hæreſes legitimum fuit, atque ſolenne, ut profanis nouitatibus gaudeant: antiquitatis ſcita faſtidiant. Contrà uerò, Catholicorum hoc proprium, depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſeruare, damnareq. profanas nouitates. Ita enim in Concilio Epheſino omnium Patrum una fuit uox, ut quod erat antiquitus traditum, teneretur: quod adinuentum, nuper, exploderetur. Hucuſque Vincentius. Damnauit ergo ſcriptura diuina, & reiecerunt catholici Patres otioſas quaſdā & uanas Phariſæorum & profanorum hominum traditiones, quæ ad uera Chriſtianæ diſciplinæ myſteria nihil faciunt, & expreſſo Dei mandato, atque euangelico Chriſti inſtituto repugnant: de quibus profectò Dominus dixit: Quare & uos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones ueſtras? Et item: Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mādata hominum. Has, & huiuſmodi aniles & ſuperſtitioſas traditiones, ſanctiſſimi Patres noſtri execrati ſunt, & deteſtandas eſſe iure affirmāt: nō illas quæ ab Apoſtolica, & Eccleſiaſtica authoritate emanauerunt, nec illas, quæ licèt humanæ ſint, diuino tamen iure firmantur. Etenim ſi humanis magiſtratibus & profanis Principibus ex diuino præcepto obtemperandum eſt: quanto magis ſacrorum procerum dicto audientes eſſe debemus, de quibus etiam Plato in Timæo dixit, fieri non poſſe, ut

Matth. 15.
D. Baſilius in ſuis moralibus, partia 32.

Deorum

Deorum filijs fides non habeatur, etiam ſi abſque neceſſariis dicant demonſtrationibus?

CAPVT XXII.

Quòd non moribus, ſed unctione & ſacramẽtis ſacerdotes miniſtri Dei conſtituuntur.

QVOD ſi Sacerdotes, & Eccleſiæ miniſtri hoc tempore non rite ſuo munere fungi, atque non parum à priſca illa Patrum ſanctitate deſciuiſſe uideantur: hoc profectò non Eccleſiam, neque eius ſacerdotium, aut miniſterium, ſed eos tantùm damnat, qui ſuæ uocationis & ſalutis obliti, tanta authoritate & tanto munere abutuntur. Nam quemadmodum non probitate, aut improbitate, ſed dignitate & poteſtate Reges in populos ius & imperium exercent: ita ſacerdotes non moribus, ſed ſacramentis, & ea quæ præditi ſunt ui diuina, nobis cæli aditum aperiunt, & alimenta ſalutis adminiſtrant. Talis eſt, inquit diuus Auguſtinus, baptiſmus, qualis ille, in cuius poteſtate datur, non qualis ille per cuius datur miniſterium. Quid enim eſt Paulus, quid Apollo, quid alius ſacerdos quilibet, niſi miniſtri eius qui intus lauat? qui intus incrementũ donat? Neque enim qui plantat aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quapropter non in homine, ſed in eo, de quo dicitur: Hic eſt qui baptizat, ſpes omnis noſtra collocanda eſt: Nam non qui miniſtrat, ſed qui efficit in miniſterio ſacerdotali attendendus eſt, ut ſpem noſtram, quemadmodũ ait Auguſtinus, non in ſeruo, ſed in ipſo domino collocemus, cuius ope, & opera iuſtificamur: ſiquidem miniſtri probitas in moribus non ad eſſentiam, ſed ad decentiã pertinet ſacramenti. Hinc non eſt melius ſacramentum, quod per meliorem, neque deterius, quod per deteriorem miniſtrum confertur: quia ſacramentorum uis à Deo, non ab hominibus pendet. Quamobrem etiam in malis miniſtris Spiritus ſancti dona, & miniſteria ueneranda ſunt: neque deſerenda eſt fides Eccleſiæ ob mores hominum, aut traducendi ſunt Patres propter quoſdam ſuos lapſus: neque, ut

D. Aug. in cap. 1. Euangelij Iohan. Tractatu 5. Tom. 9.

1. Cor. 3.

inquit ſanctiſſimus Cyprianus; turbanda eſt fides noſtra, etiam ſi uideamus in Eccleſia Dei nigere zizania. Siquidem Eccleſia dum militat, non poteſt eſſe ſine ruga & macula, quando in Angelis ſuis Deus etiam reperit prauitatem, & ſtellæ in conſpectu eius non ſunt mundæ: præſertim cum unitas Catholicæ Eccleſiæ non in uinculo tantùm charitatis & gratiæ, ſed in uinculo etiam fidei & doctrinæ conſiſtat: etenim peccatores quoque ſunt membra Eccleſiæ, cū in agro & uinea Domini ſit triticum & zizania, ſint palmites uirentes & aridi: & in magna domo Dei ſint uaſa quædam in honorem, quædam uerò in contumeliam: & aliqui habentes ueſtem nuptialem, & aliqui non habentes. Erat improbiſſimus Caiphas Moſaycæ legis Simoniacus Pontifex, & tamen de humana redemptione uera enunciauit, cùm inquit: Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem quo ſpiritu, qua uirtute factum eſt? non humana quidem, ſed diuina, ut teſtatur diuus Iohãnes, nimirùm, qui erat Pontifex anni illius; quia ſedebat ſuper cathedram Moyſi, quia non humanis tantùm artibus, ſed diuina præſertim uirtute ſalus paratur: quia aliud eſt eſſe Caipham, aliud eſſe ſacerdotem. Et quidem incerta eſſet humana ſalus, ſi ex ſanctitate docentium aut miniſtrantium, ſacramenta penderet. Nam (ut præclarè inquit magnus ille Tertullianus, quem à ſancto Cypriano magiſtrum appellatum fuiſſe teſtatur Hieronymus) non ex perſonis probamus fidem, ſed ex fide perſonas: neque enim perſonas, aut perſonarum merita, ſed perſonarum nomina & miniſteria eſſe ſuſcipienda, atque ſuſpicienda edocuit Chriſtus. Nobis ſatis eſſe debet, quòd qui nobis diuina myſteria diſpenſat, pro Chriſto legatione fungatur: ſiquidem (ut doctiſſimè diuus Auguſtinus inquit) in ſacerdotibus Dei nequaquam uitæ ſanctitas, à qua propter miſeram humanæ fragilitatis conditionem aliquando, & ſæpe excidere contingit: ſed ſanctitas unctionis, & ſacramenti, qua nunquam carere poſſunt, attendenda eſt. Satis eſt, quòd ſit ritè initiatus,

Iob. 4. & 25. 2. Pet. 2. Iſaie. 38. De Pœni. diſt. 2. cap. ſi enim circa ſinem.

Iohan. 11.

Matth. 23.

D. Aug. in cap. 1. Euangelij Iohan. Tracta. 5. & 6.

quòd ſit unctus Domini, & Angelus Domini exercituum: quòd ſit diuina illa nota inuſtus, & ſacratis illis characteribus & faſcibus inſignitus, quibus ſacerdotes & miniſtri Dei conſtituuntur. Quæ dicunt facite, ait Chriſtus, de præpoſitis malis ſermonem habens: quæ autem faciunt, facere nolite. Cur quæ dicunt facite? quia ſedent in cathedra: quia dicunt bona ex Cathedra Chriſti, quamuis faciant mala ex peſtilentia ſua: quia uirtus Cathedræ non permittit eos errare. Id quod à principio naſcentis Chriſtianæ reipublicæ, ad hunc uſque diem perpetuò ratum fuiſſe (oblatrent tametſi aliter ſeditioſi homines) experti ſumus, & inuiolatum quoque fore, Deo opitulante, ſperamus. Quandoquidem, quamuis alijs peccatorum maculis fortaſſe illorum nonnulli fuerunt aſperſi: quis tamen eorum, qui in beata illa Cathedra ſederunt, unquam inuentus eſt, qui à uera Chriſtianæ fidei agnitione aliquando deſciuerit? qui impiũ aliquod dogma, aut profanam aliquam nouitatem ex animo, aut perſeueranter ſit profeſſus? Immo ſi quis malis artibus celſiſſimam, & diuinam illam Imperij & dignitatis ſedem conſcendit, uix pedem in ſacro illo ſolio fixit, quin cæleſti quadam ui latente, & diuina quadam metamorphoſi, actutum in alium uirum eſt mutatus: ut Vigilij Papæ exemplo abundè edocemur, qui per ſcelus Pontificatũ adeptus, dum à Theodora Auguſta de reuocando Anthemio Patriarcha (quemadmodum anteà promiſerat) in ſedem Conſtantinopolitanam, de qua propter Eutychis hæreſim per Agapetum, & Syluerium Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos iure fuerat deiectus, ſolicitatur: tanta fuit Apoſtolicæ ſedis diuina uis, ut priùs extrema quæque ſe paſſurum, mortemq́. ſubiturum reſponderit, quàm quod impiè promiſerat, præſtaturum: alienum ab Apoſtolico Pontifice, & indignum Petri ſucceſſore iudicans, Hæreticorum hominum partes tueri, aut aliquod impium de religione ſtatuere. Probè enim norat ſanctiſſimus Pontifex (qui nõ ſecus ac unctus Saul mutatus erat in uirum alium, & ſuper eum quoque factus erat

Matth. 23.

1. Reg. 10.

ſpiritus

ſpiritus Domini, necnon quodammodo prophetare, atque diuina præſentire, & effari cœperat) quod nam eſſet Apoſtolicæ Sedis priuilegium: ſiquidem pro eâ Chriſtus patrē rogauerat, ut nunquam aduerſus eam portæ inferi ualerent, neq. in illius throno uera rerum diuinarum cognitio & intelligentia ullo unquam tempore deficeret.

Math. 16. Luc. 22.

CAPVT XXIII.

Lapſus perſonalis ſiue in fide, ſiue in moribus in Romano Pontifice ſine præiudicio Catholicæ Eccleſiæ eſſe poteſt. Idem dicendum eſt de cæteris ſacerdotibus. Hilarius in commentarÿs pſalmorum. Et Ambroſius lib. 10. commētariorum in Lucam. Gal. 2.

QVAMOBREM (ut rectè præclariſſimi quidam Doctores aſſerunt) licèt Petrus & Marcellinus peccauerint in fidem, actum fidei amittentes: non tamen perdiderunt fidem, quia fidei habitum retinuerunt. Quin etiam ſi aliqui Romanorum Pontificum admitterentur Hæretici, nihil præterea ſummo Pontificatui detraheretur: ſed lapſus concederetur perſonæ. Quod planè ſine ſummæ Sedis præiudicio contingere poſſe, apertiſſimum eſt. Etenim perſonalis Romani Pontificis error, & maximè à fratribus agnitus, non poteſt conuincere Romanam Eccleſiam de hæreſi. Immo rectam illius fidem oſtendit: quia agnitum capitis errorem damnauit, ut patet de eodem Petro, in cuius faciem reſtitit corā fratribus Paulus, eò quòd reprehenſibilis erat: & de eodem Marcellino in Concilio Sinueſſano, ubi agnito eius errore congregati ſunt Patres, & proſtratum Pontificē erigentes, ei dixerunt, ut idem ipſe in cauſa ſua eſſet Iudex, & reus: quia prima Sedes, & primæ Sedis antiſtes ob ſingularis prærogatiuæ priuilegiū in terris à nullo iudicatur. Quamobrem Apoſtolica Eccleſia omnium Eccleſiarum mater & magiſtra dicta eſt, utpote quæ (quemadmodum Lucius Papa in Epiſtola prima ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniarū affirmat) à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur: nec unquam Hæreticis prauitatibus deprauata ſuccubuit. Idcirco nihil eſt, quòd cordatos & pios homines mouere debeat, ſi forte eorum nonnulli, qui Chriſtianæ reipublicæ gubernacula tractant, aliquando prauis moribus,

qui

qui nimirum ad perſonam, non ad officium pertinent, fuerint imbuti: nam, vt ait diuus Auguſtinus, euangelium fuit quoque Iudas ſine detrimento fidelium prædicauit: ac quicunque non recipit illum, Chriſtum ipſum non recipit, qui æque Iudæ dixerat, atque Petro uel Iohanni: Qui uos reijcit, me reijcit: ſi uerò Petrus eſt, aut Iohannes, qui eadem legatione fungitur, & dictis pareto, & facta imitare. Quam ſententiam diuus quoque Ambroſius paulo priùs ſua authoritate roborauerat; dixit enim: In loco ordinis officij eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet qualis uir ſit, non utique propriam, ſed ordinis per efficaciam Spiritus ſancti: ac ſi diceret, Non eſt ſacramentorum dignitas & poteſtas ex miniſtrorum uirtute metienda, quia Domini eſt ſalus, & uana ſalus hominis: immo maledictus eſt omnis qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuũ: ſed tantùm diuinum munus, quo ipſi funguntur, attendendum eſt, vt ſit ſolus Deus benedictus in ſecula, qui ſua præpotenti uirtute etiam per improbos miniſtros ſalutem in nobis operatur. Nam quẽadmodum parum refert, quòd vel aureum, uel ferreum ſit ſigillum, dummodo optatam immaginem reddat, & per illud quod cupimus imprimatur: & quemadmodum neque multum intereſt, ſi aut literis aureis, aut nigro & uili atramento lex Dei ſcripta ſit, dummodo ſit lex Dei, & uolũtas eius in ea: ita nobis ſatis eſſe debet, quòd miniſtri gratiæ, quales ipſicunque fuerint, ea poteſtate ſint prædití, qua nos Deo conciliare poſſint, & ſuo ſacro miniſterio diuinos cæleſtis gratiæ characteres in nobis ualeãt imprimere: quodq́. ſint Angeli Domini exercituum, & Chriſti legati inter Deũ & eius populum conſtituti ad interpellandum pro nobis. Non quid ſint, ſed quid pro ſalute noſtra ſatagant, attendẽdum eſt. ſatis ſit nobis, quòd ij, qui res ſacras tractant, ſint in Apoſtolica ſucceſſione, & Apoſtolicam doctrinam profiteantur: tametſi non parum ab Apoſtolica morum integritate, & innocentia vitæ defecerint. Quis enim humanũ genus unquam odio habebit, eò quòd ex humano genere

D. Aug. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 11.

Luc. 10.

multi

multi flagitioſi, atque perditi ſint? Quis vniuerſum Apoſto lorum collegium contemnet ob unius Apoſtoli perditiſſimum facinus? Quis omnem Chriſtianā rempublicam damnabit, eò quòd quàmplurimi, qui Chriſto nomen dederunt, Chriſtiana profeſſione abutantur? Aut quis medicamenta & ualetudinis curationem aſpernetur, quia multi medicinæ profeſſores uenefici euaſerunt, & ut homines tollerent, uenena ſparſerunt? Quis denique unquam nauigandi artem penitus ex humano uſu tollendam iudicabit, ob id quod multi omnium fortunarum ſuarum naufragium, & miſerrimam iacturam fecerunt? Quocirca ſacerdotium ſacroſanctum eſt, etiam ſi eorum nonnulli, qui ſacerdotio funguntur, non modò mali, ſed etiam peſſimi ſint: nam ſanctitas vnctionis
1. Reg. 26. etiam in malis hominibus eſt ſacroſancta. Hinc Regem Saulem, quamuis conſilijs omnibus deuium, quamuis malo ſpiritu agitatum, quamuis omni & humano, & diuino fauore deſtitutum: eum tamen magna ueneratione proſequitur Dauid, ſibique multis modis inſidias parantem, ſingulari patientia ſuſtinet: cumque Dominus ſæpe, ac ſæpius tradidiſſet illum in manus ſuas, nihil hoſtile in eum moliri audet, ſed tantùm ut Dominum obſecrat, & commonefacit vt reſipiſcat, vt intelligentiam ſuam excutiat, ne ſeditioſis hominibus aures præbeat. Huius autem tam magnæ in Saulem Dauidis obſeruantiæ & longanimitatis, quid nam aliud fuit cauſæ, niſi quia Saules erat ſacro oleo inunctus, & regiam perſonam gerens, erat diuina quadam nota iniuſtus, qua omnes Reges tum boni, tum mali pari dignitate & ueneratione præditi ſunt? Sanctitas enim unctionis & ſacramenti omnibus eadem eſt: tametſi innocentia uitæ, & actionum merita non omnibus ſint eadem. Idcirco Dauid, qui fuit uir ſecundum cor Dei, æque fuit Rex, ac Saules, qui ob ſua ſcelera fuerat à Deo reiectus. Immo idem Saules ſic, ut erat à Deo reprobatus, in populo Dei regnare non deſiit, nec quiſquam auſus eſt illum, dum uixit, de ſolio de-
1. Pet. 2. turbare, ut diſcamus Principibus ſiue bonis, ſiue diſcolis

obedire,

obedire, & ſubiectos eſſe oportere, propter eum, qui dedit illos nobis in ſacerdotes & Reges. Etenim, ut ait diuus Auguſtinus, ſacramentis Dei mores malorum hominum obeſſe non poſſunt, quò illa uel omninò non ſint, uel minus ſancta ſint, tametſi à malis in teſtimonium damnationis, non ſalutis poſſideantur. Nam ſicut claues perſonæ, non charitati ſunt datæ, quemadmodum & perſonæ (tibi enim dixit dabo, & non charitati) ſunt claues promiſſæ: ita dignitas & iuriſdictio non peccat, etſi in ea reſidens homo peccare ualeat. Corrupti enim ſacerdotum mores non officiunt Cathedræ. Hinc licèt non ſemper in manibus, ſemper tamen in ore ſacerdotum præſidentium Cathedræ, fuit lex ueritatis. Nam quæ diuina ordinatione ſancta ſunt, ab hominibus coinquinari non poſſunt. Quamobrem mala Prælatorum uita eccleſiaſticum magiſterium non impedit, aut tollit: Et bonæ leges haudquaquam ſunt ob malos hominum mores abrogandæ.

D. Aug. contra literas Petiliani Donatiſtæ, lib. 2. cap. 47. To. 7. Item Cōtra Creſconiū Grammaticum, lib. 4. cap. 20. Tom. 7.

Matth. 16.

CAPVT XXIIII.

ETENIM (ut præclarè inquit quidam ex purpuratis doctrina & pietate inſignis Anglicus) ſi quotieſcunq. Principes mali ſunt, bonum tamen eorum ſtatum mutare oporteret, quis principatus iam ſtaret? quod Regnum, aut quæ ciuitas, & familia nunc maneret? cum ſemper in conuerſione rerum ſimus, & bonis Principibus ſuccedant mali, omniaque à ſuis principiis degenerare uideantur? nec quiſquam ſucceſſor eſt, qui aliquid non immutet de inſtitutis priorum. Semper autem in ſtatus mutatione uerſari, nulli unquam Regno, aut Reipublicæ, neque etiam priuatæ familiæ utile fuit. Eadem ratione multò minùs Eccleſiæ utile erit, nouam quotidie uiuendi normam inſtituere, nouamq. in dies ſacrorum rationem fidelibus præſcribere, atque legitimo principatu reiecto, ſemper ſeditioſis hominibus, & rerum nouarum cupidis obedire: præſertim cùm præſens Ec-

Quòd nullo pacto Regnorū ſtatus, qui tamē bonus ſit, ſiue ſacer, ſiue profanus ille fuerit, propter malos principes mutandus eſt.

Reginaldi Poli ſententia.

cleſiæ ſtatus uetuſtiſſimus ſit, & non ab hominibus, ſed à Deo ſit conſtitutus. Quapropter quo iure ſoluetur ab hominibus eccleſiaſticus principatus, cùm illius homines non fuerint authores? Immo uerò omnium Regnorum conſenſus tollere non poſſunt, aut imminuere ſacerdotum authoritatem, quæ non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Bene ſacerdotes in publicis comitijs, & per ſe ſacerdotum principes, non modò reliquum christianum orbem ſuis decretis obligare poſſunt, uerum etiam ſi chriſtianæ Reipublicæ intererit, & ratio pietatis expoſtulauerit, chriſtianos Reges & Regna optimo iure ſoluere & immutare poſſunt: quemadmodum ſæpe alias ſoluiſſe & immutauiſſe ſcimus. Etenim (ut quæ Bibliothecæ ſanctæ author eruditus, & uenerabilis collegit, huic loco attexam) Innocentius Pontifex huius nominis primus, ob iniuſtam Iohannis Chryſoſtomi expulſionem, anathemate notauit Archadium Auguſtum, cuius patrem Theodoſium magnum Auguſtum diuus Ambroſius ob patratam aliquot innocentium Chriſtianorum cædem, non multò priùs Eccleſia expulerat. Gelaſius primus Anaſtaſium Imperatorem non rectè de religione ſentientem excommunicationis nexu obſtrinxit. Zaccharias primus Carolomanum Francorum Regem, quòd adminiſtrando Regno eſſet inutilis, regia dignitate deiecit: ſuffecto in eius locum Pipino eius fratre, & Caroli Magni patre. Hadrianus primus Deſiderium Longobardorum Regem ad direptionem Romanæ urbis properantem, edicto pontificio in Inſubriam reuerti coëgit, accitoque Carolo Magno Francorum Rege Longobardicum iugum ab Italiæ ceruice excuſſit. Gregorius III. Leonem III. Imperatorem, quòd omnes ſacras imagines è templis eijci curaſſet, communione fidelium interdixit. Leo III. Pontifex cùm cerneret Chriſtianæ reipublicæ curam à Græcis Imperatoribus negligi, tranſtulit Romani Imperij iura à Conſtantino Irenes filio, ad Carolum Magnum Francorum Regem, eique Auguſti titulum, & Imperatoris inſignia contulit. Leo VIII. rurſus ob iuſtas cauſas ex Franchis,

Bibliotheca ſancta, lib. 6. annot. 72.

Romanorũ Pontificum authoritas & imperium in Chriſtianos Principes.

ad Germanos imperium tranſtulit, & Othonem Saxonum ducem primum ex Germania Imperatorem appellauit. Nec longè poſt Gregorius V. cõceſſit Germanis principibus perpetuum ius eligendi Cæſares: reſeruata tamen ſibi & ſucceſſoribus ſuis authoritate confirmandi quos ipſi eligiſſent. Gregorius VII. Henricum III. Imperatorem Apoſtolicæ Sedi rebellantem ſacris omnibus interdixit, & Imperio depoſuit: neque illum in priſtinam dignitatem reſtituit, niſi ueniam errorum exorantem. Alexander III. Federicum Ahenobarbum Imperatorẽ, quòd Romanam Eccleſiam iniuſto bello oppugnaret, anathemate irretitum, & Imperatoria Maieſtate deiectum, non priùs ad Imperium reuocari permiſit, quàm ille ſupplex culpã ſibi ignoſci precaretur. Prætereo breuitatis ſtudio Vrbanum II. cuius edicto, vexilloq; ac teſſera ſacrum illud, ac memorabile bellum aduerſus Sarracenos confectum eſt: quo Hieroſolymorũ & Syriæ Regna iterum à Chriſtianis recepta ſunt, comitto Gregoriũ IIII. Leonẽ IIII. Nicolaum I. Iohannem VIII. a pleroſq. alios Pontifices, qui bellicis expeditionibus Italiã, Siciliam, uariasq́. Hiſpaniæ oras à ſeruitute Sarracenorum ereptas, in libertatem uindicarunt. Hæc ille. Ex quibus clare percipi poteſt, quæ fuerit ſemper ſacerdotum & ſummorum Pontificum authoritas: tametſi non eadem, aut par fuerit omnibus ſanctitas & innocentia vitæ. Et quamuis inficias certè iri non poſſit ad propagandam Chriſti fidem, & excitandam pietatem, atque ad confirmandos infirmorum animos non parum eorum, qui præſunt, exempla ualere: tamen non debemus iuris ſacerdotalis ita eſſe immemores, ut putemus ex hominũ moribus uim ſacerdotij pendere, aut ſine iudicio Dei fieri ſacerdotem: Quin potius, ſi noſtris meritis & prauis facinoribus, ita Deo permittente fiet, ut in ſuis miniſtris obdormiente Chriſto, in minus probatos Paſtores incidamus: precemur Deum, ut in eis excitetur à ſomno, atque ut in melius eorum uita commutetur, & exemplo Sem, & Iaphet auerſi, Patrum noſtrorum uerenda tegamus, hoc eſt, Patres, & Præpoſitos

Quòd iuuandi ſunt precibus apud Deum Eccleſiæ præfecti pro

calumnijs & cõtumelijs apud imperitam plebem uexandi.
Gen. 9.

Præpoſitos noſtros, etiam cùm diſplicent, ueneremur: & quæ in eis uitia nõ probamus, irreuerenter & temere prodere non debemus. Neq. enim (ut præclarè inquit magnus ille Conſtantinus in Concilio Nicæno) paſtores ab ouibus, ſed oues à Paſtoribus regi, & dijudicari fas eſt. Id quod etiã, diuo Athanaſio teſte, pietas ſuadet, ut bene de patribus illis ſentiamus, à quibus rectè uiuendi inſtituta, & pietatis doctrinam accepimus: niſi nos adulterinos eſſe filios declarare uelimus.

CAPVT XXV.

Quòd uſurpatæ diuinæ iuriſdictionis rei cõſendi ſunt, quicũq. ſacerdotes & miniſtros Dei iudicare, aut traducere audent.
Pſal. 104.
Iohan. 2.
Anacletus in Epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ.
Cyprianus in Cõcilio Carthaginenſi.
In Decretis Nicolas Papa. 1. q. 1. Non quales.
Matth. 23.

EO QVE maximè, quòd diuino oraculo admonemur, non eſſe tangendos Chriſtos domini, neque aliquo pacto Dei prophetis calumniam aut crimen obiectandum. Nefas eſt enim à profanis hominibus in aliquod uitæ, uel famæ diſcrimen adduci illos, quos Deus ſuo iudicio reſeruauit. Hinc Chriſtus non läicorum hominum miniſterio, ſed proprio flagello è templo peccantes ſacerdotes eiecit: ut addiſcerent fideles, & poſteri, quanta eſſet ſacerdotij Maieſtas, nempe, ut qui eo ſacro munere fungerentur, ceu homines diuino miniſterio mancipati, & idcirco humanæ conditionis ſtatum ſuperãtes, non alio quàm diuino iudicio ſubderentur. Quamobrem ſi qui ea quæ diuino iudicio reſeruata ſunt, ad humanum tribunal deducere & retrahere conantur, non ſecus ac uſurpatæ diuinæ iuriſdictionis rei, diuini iudicij uindictam non effugient. Illis namque quibus Deus ſacra ſacerdotij unctione benedixit, maledicere auſi ſunt, cùm nullo pacto ab hominibus contemnendi ſunt ij, quos in ſuos miniſtros elegit Dominus, etiam ſi contemnendos eſſe illorum malefacta atteſtarentur. Non quales ſacerdotes Domini ſunt, ait ſummus ille Pontifex, ſed quid de Deo loquantur, eſt nobis magnopere prouidendum: nec in Vicariis beati Petri Apoſtoli nobis eſt attendendum, quid ſint: ſed quid pro correctione Eccleſiarum, quid pro ſalute noſtra ſatagant.

gant. Neque enim illos dicetis inferiores Scribis & Phariſæis ſedentibus ſuper cathedram Moyſi, de quibus Dominus *Matth. 23.* præcepit, dicens. Quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite &c. Quandoquidem, ut diximus, quibus à Deo eſt benedictum, ab hominibus non eſt maledicendum. Exemplo *Gen. 9.* ſit magnus ille Patriarcha humani generis conſeruator Noe, qui nuditatem ſuam irridẽti Cham non auſus eſt maledicere: illi namque Dominus benedixerat, cùm è naui & Arca illa egrederetur. Sed maledixit Canaam eius filio, ut diſcamus, ſacerdotes, quos oleo ſancto ſuo unxit Deus, eſſe ſacroſanctos, & ſacerdotium ſemper magna in ueneratione habendum: tametſi ſacerdotum filij, hoc eſt, praua ſacerdotum opera maledictione non careant, & animaduerſione atque ſupplicio digna ſint: cuius quidem rei cauſa potiſſimũ ea eſt. Nam quamuis ſacerdotum ſcelera auferant ſacerdotalis miniſterij merita, attamen diuinum, & ideo indelebilẽ & æternum ſacerdotij characterem prorſus tollere & delere non ualent. Nam ita firmiter inhæret, ut niſi anima in nihilum redacta non pereat: ſiquidem ſacerdotalis character nõ ex humana, quæ infirma & mutabilis eſt, ſed ex æterna Dei uoluntate, atque ex ſumma Chriſti poteſtate pendet. Cuius rei in ueteri lege, quæ erat, ut ait Apoſtolus, Euangelicæ ueritatis figura, non obſcurum habemus exemplum. Peccauit Aaron cùm populum idolatrare permiſit, uerùmtamen amiſſa ſacerdotalis uitæ innocentia, ſacerdotij dignitatem non amiſit: ſed non minus pòſt culpam quàm antè, ſacerdotali munere functus eſt: tametſi digna commiſſi errati pœna tandem affectus ſit. Nam terram tantis uotis exoptatam attingere, & uidere nõ potuit. Immo certè tanta uult Deus ut ſit miniſtrorum ſuorum apud homines exiſtimatio, & authoritas, ut tabulas legis digito ſuo ſcriptas in terram projici & confringi non grauiter tulit: Moyſis autem miniſtri ſui tabulas ne minima quidem in parte uiolari, aut contemni numquam ſit paſſus. Hinc Oza ſubitò à Domino percuſſus, interiit: quia cadentem Dei arcam, in qua tabulæ illæ aſſeruabantur,

D. Aug. lib. 2. contra Parmenianum.

Dominicus Soto in 4 ſent. diſt. 1. quæſt. 4. art. 5.

1. Cor. 10.

Gen. 32.

2. Reg. 6.

D.Chryſoſt.in caput Geneſeos ſexta Homil. 21. uabantur, duntaxat tangere auſus eſt. Præpotens enim Deus etiam per indignos (ut in Caipha, Balaam, & Lamech maníſeſtum eſt) ſæpe magna & mirabilia operatur, & miniſtrorum ſuorum lapſibus irridentes, non minus quàm Ozam implacabili furore diſperdit: idcirco rectè & piè Paulus, tãetſi Ananiæ ſacerdotum Principis iuſſu iniuſtè percuſſus, cùm in illum Dei uindictam precaretur, admonitus illicò *Act. 23.* palinodiam cecinit, dicens: Neſciebam, fratres, quia Princeps eſt ſacerdotum. ſcriptum eſt enim: Principi populi nõ *Exod. 22.* maledices. Quæ omnia ſi hoc tempore à ſeditioſis, & ideo nothis & adulterinis Eccleſiæ filijs æquo animo expenderentur, utiq́ue ſe à tot in proceres ſacros maledictis & probris abſtinerent. Sed turbulentorum hominum in Principes populi conuicia, atque impiorum in ſacros uiros contumeliæ, ut longo tot præteritorum temporum uſu didicimus, tãdem ſummo Deo ſic permittente, non ſecus ac maledictiones & *Num. 23.* execrationes Balaam, in beneficia & merita, atque in laudes & præconia æterna commutantur.

CAPVT XXVI.

Maledictis inſequuntur Eccleſiaſticum ordinẽ Hæretici, ut prorſus immutata religione ipſi in catholicorum locũ ſubrogentur.

QVAMOBREM, ut ad id, undè digreſſi ſumus, reuertamur, ò Rex, ex eorum oraculo, etiam ſi corruptiſſimè uiuerent, uoluntas Dei petenda eſt, quibus & templi eius cuſtodia commiſſa eſt, & omnium ſacrorum librorum, atque myſteriorum arcana concredita ſunt. Hocq́ue nimirum eſt, quòd omnibus ſeculis, ſed hac noſtra tempeſtate præſertim tantoperè enitantur Hæretici, eccleſiaſticum ordinem maledictis inceſſere, totq́ue confictis criminibus commaculare, & in maleuolentiſſimam hominum inuidiam adducere: nempè, ut legitimis ſacerdotibus ex arce religionis expulſis, ipſi in locum eorum ſubrogẽtur, atque ut uera traditione ſublata, omnis Chriſtiana inſtitutio, & diſciplina corruat. Quod ita eis proſperè ceſſit, uel noſtrorum Paſtorum & Principum incuria, uel malorum

geniorum

geniorum inſtinctu, uel (quod mihi magis perſuadeo) ſummo Deo ad maiorem catholicæ Eccleſiæ frugem ſic permittente: ut nullus ſit Chriſtianæ reipublicæ angulus,quem ſuæ impietatis incendium aliqua ex parte non attigerit, uſque adeò ut Arrianis & Donatiſtis longè deteriores, perfractis undequaque omnibus Patrum ſuorum limitibus, nõ modò Germaniam ferè uniuerſam, & Britaniam omnem, ſed ſanctiſſimum etiam Regnum tuum inuaſerint: ita ut ubi uera pietas tot annorum centurijs tutiſſimum domicilium habebat, ibidem nunc turbulentorum hominum impietas magna ex parte dominetur. Cui teterrimo & peſtilẽtiſſimo morbo, quæ nam alia medicina, Rex ſapientiſſime, facienda eſt,niſi ut ad Patrum tuorum exempla confugiens, illam tantùm(ut ſingulari conſtantia facis) fidem tuearis, quam ipſi tam lõgo annorum curriculo, tanta pietate & conſtantia coluerunt,& Maieſtati tuæ hæreditariam tradiderunt.Siquidem fuit ſemper Gallorum Regum præcipuũ munus, & perpetuus mos, catholicam Eccleſiam tueri, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem defendere: turbulẽtorum hominum audaciam perfringere: controuerſias, ſi quæ circa Religionem inoleuiſſent, extirpare: Eccleſiaſticas denique conſuetudines omnes, & illas præſertim, quæ multorum annorum ſpatio, & longa uetuſtate muniũtur,cõſtantiſſimè retinere. Quare, ut ſuprà memorauimus, inter omnes chriſtianos Reges miro omnium populorum cõſenſu atq. applauſu Chriſtianiſſimi dicti ſunt. Cùm igitur tot præclaros titulos & auguſtiſſima nomina Maieſtati tuæ cum Regni hæreditate reliquerint, tuum erit nunc,Vigilantiſſime & religioſiſſime Rex, in eam curam noctes & dies incumbere, ut à Patribus tuis tibi parta & tradita tuearis, utq́ue poſteris tuis eadem, atque maiora quoq́ue & ampliora enitaris tradere. Neque enim ad otium, ſed ad negotium, necnon ad gloriam, & immortalitatem naſcuntur Reges, & ij maximè, qui ab ijs Parẽtibus, Auis, & Atauis deſcenderunt, qui præclariſſimis rebus gerendis ad ſuæ præſtantis uirtutis memoriam ſempiternã glorioſiſſima elogia

Recentiorũ Hæreſicorum incendium uſquequaque omnia uaſtat, & per totũ ferè Chriſtianũ orbem eorum cõtagiones ſerpũt, & diffundũtur.

Commonefacit Regem quo pacto Hæreticorum laqueos declinare poſſit.

Hortatur Regẽ ut iuxta uetuſtiſſimum, & ſanctiſſimum Gallorum Regum morem in tutela religionis perſiſtat.

gia adepti ſunt. Nempè, ut ſuis heroicis geſtis, atque diuinis & immortalibus meritis, non tantùm ad ſuæ laudis imitationem, & æmulationem, uerùm etiam ad hæreditatem & ſucceſſionem eorum nepotes excitarent. Qua in re haud uerēdum eſt, Rex generoſiſſime, Maieſtatē tuam à tanta maiorum tuorum uirtute nullo modo fore degenerem, cùm omnium, qui te norunt, conſenſu, in te celerior atque celſior fuerit ſemper regiarum uirtutum curſus, quàm ætatis: tuaq́. præſtantiſſima indoles eos regios ſpiritus, idq́ue ſingularis uirtutis ſpecimen, & illam animi magnitudinem ſemper præ ſe tulerit, ut illa maior, & ſupra nihil potuerit exoptari. Hoc, inquam, non eſt timendum: ſed illud maximè pertimeſcendum eſt, ne aliquo iniquo caſu in eos conſiliarios,& miniſtros regios incidas, qui ſua authoritate,aut dolo, uelut ſub ouina pelle Lupi, tantam uirtutis & animi præſtantiam deprauare conētur: in tanto præſertim totius Galliæ tumultu, in quo ſeditioſorum, & ſceleratorum hominum perditiſſimis inuentis, ita nonnullorum mentes immutatæ atque peruerſæ ſunt,ut apud non paucos etiam Regni tui proceres quid ipſi de religione ſentiant,& quam in ſententiam eant, incertum ſit: ut omittam eos, quorum infinitus eſt numerus, qui in eiuſdem Regni tui uiſceribus, apertè catholicam de rebus diuinis ueritatem oppugnāt. Quamquam neq. hoc magnoperè formidandum erit, ſi in conſiliarijs tuis non qui, ſed quid loquantur,attenderis. Neq. enim in conſilijs capiendis perſonas, ſed ſentētias ipſas diſcutiēdas,& ſpectandas eſſe iudico: hoc enim modo turbulētis hominibus nullus erit tui decipiendi locus, nulla ſpes tibi inſidias parandi. Siquidē cùm Regni tui proceres, & aulici, quicúque illi fuerint, rogati de aliqua re, ſententiam dixerint: ſi illorum oratio eò tēdit, ut res nouas moliri, & præter inſtituta Maiorum, nouum morem (in ijs maximè rebus, quæ ad ſummi Dei ſpectāt cultum) in Rēpublicam inducere uideantur, protinus ad illam tutiſſimam Euangelicæ ueritatis arcem confugiens, atque ad unicum illud & intemeratum ueræ religionis Aſylū

recurrens,

recurrens, te ipſum per temetipſum ab eorum inſidijs explicare, & incolumen reddere poteris, conſiderans num illa, quæ ab ipſis Maieſtati tuæ tamquàm ſalutaria proponuntur, ſint Catholicæ Eccleſiæ: & num Patres tui ita ſenſerint. Quòd ſi ea eiuſmodi non fuerint, ſtatim reijcienda ſunt eorum conſilia, & hoſtium loco habendi quicunque talia perſuadere conati fuerint. Quiſquis enim res nouas, & præſertim circa ſacra molitur, aut impius, aut ſeditioſus eſt, aut utrumque, & ob id meritò regia familiaritate indignus, ac prorſus ab hominum cœtu exterminandus. Tua ueritas, Domine, nec mea eſt, nec huius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionem publicè uocas, ait Diuus Auguſtinus Deum alloquens: Terribiliter nos admonens (ut ad Regem Suetiæ, eadem hæc aurea & diuina Auguſtini uerba explicans, ſcribit magnus Hoſius) Terribiliter, inquit, nos admonens, ut nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis id quod eſt omnium, & quod ad fruendum omnibus à Deo propoſitum eſt, ſibi proprium eſſe uult, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à ueritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur: quandoquidem, ut modo ſanctus ille Pater aiebat, ueritas non eſt huius, aut illius, ſed omnium. Nam omnes ad eius communionem Deus publicè uocat. Quiſquis igitur quod publicum eſt, facit priuatum: quiſquis quod omnium eſt per charitatem, id ſibi tãquam proprium uendicat, & ſuum eſſe uult per contentionem, eum priuari ueritate, de ſuo loqui, mendacium loqui, dicit. Veritas enim orthodoxæ fidei alibi non eſt, quàm apud omnes, hoc eſt, in Eccleſia catholica. Quamobrem quiſquis in explicandis ſcripturis ſingulares intellectus exquirit, inſolitos & hactenus inauditos ſenſus excogitat, nouas & ſolitarias opiniones adfert, etiam ſi ſexcenta proferat ſcripturarum teſtimonia: quandoquidem ea non omnium, hoc eſt, non eo qui receptus eſt ab Eccleſia, ſenſu profert, ſed ſuũ illis proprium ſenſum aſtruit, de ſuo loquitur, atque ideo menda-

Quòd præcipua ueritatis nota eſt, ut ſit catholica, & oecumenica, hoc eſt, communis et uniuerſalis: contra uerò præcipuũ mẽdacij ſignum eſt, ut ſit huius, aut illius, hoc eſt, ſingulare, & proprium.

cium loquitur. Veritas enim non eſt apud aliquem ſeorſum colligentem, uel quod collectum eſt ſpargentem potius: ſed apud omnes, hoc eſt, in Eccleſia catholica, quam conciliũ oecumenicum repræſentat. Huic ſanæ ſcripturarum intelligentiæ lux à Deo promiſſa eſt: nullum ut certius argumentum eſſe queat, aliquem de ſuo, hoc eſt, mendacium loqui, quàm ſi ab huius unanimi ſenſu & conſenſu receſſerit, quãlibet is multa diuinæ legis oracula recitet, expreſſum Dei uerbum proferre non poteſt: nam de intelligentia hæreſis eſt, non de ſcriptura. Senſus, non ſermo, fit crimen. Et hoc eſt quod etiam in ſymbolo profitemur nos credere ſanctam Eccleſiam catholicam, extra quam ſcripturæ poſſunt eſſe Dei uerbum, hoc eſt, uera uerbi Dei intelligentia, & catholica ueritas eſſe non poteſt. Ab Eccleſia ſcripturas habemus: ab Eccleſia, non ab uno aliquo ſeorſum colligente ſcripturarum ſenſum petere debemus: quod cùm factum fuerit, errare numquàm poterimus. illi enim eſt miſſus, & promiſſus Spiritus ſanctus, qui doceat eam, qui gubernet eam, qui maneat cum ea in æternum. Hinc Eccleſia catholica eſt terra unius labij, & eorundem ſermonum: quia ædificata eſt ut Hieruſalem, cuius participatio in idipſum: in qua multitudinis credentium cor unum, & anima una: in qua idipſum dicunt, idipſum ſentiunt, idem ſapiũt, unanimes uno ore glorificant omnes Deum, & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti. Contra uerò, qui de ſuo loquuntur, in uaſta quadam Babylone uerſantur, in qua tanta eſt confuſio linguarum, ut unus alterum non intelligat, unus alterum pluſquàm hæreticum pronunciet: in qua tot ſunt fides, quot uoluntates: tot Papæ, quot hæreſeon doctores: in qua quiſquis degit, cùm extra Apoſtolicum collegium ſit, cum Thoma ueram fidem non habet: in qua quotquot reperiuntur, omnes non ſecus ac filius ille prodigus, à paterna domo, & à fraterna unione & charitate diuiſi, ac temerè in regionem longinquam profecti, uiuendo luxurioſè, omnem ſubſtantiam ſuam indignè conſumunt, & ſenſim in ſumma omnium cæleſtium

bonorum

bonorum egeſtate miſerrimi uileſcunt atque deficiunt. De cuius medio nos fugere diuina ſcriptura monet. Et hoc eſt profectò (ut idem ſanctiſſimus Pater aſſerit) illud, quòd Omnes qui in circuitu eius ſunt, offerent munera, id eſt, omnes qui intelligunt communem eſſe omnibus ueritatem, & non illam faciunt quaſi ſuam, ſuperbiendo de illa, ipſi offerent munera: quia humilitatem habent. Qui autem quaſi ſuum faciunt, quod omnibus commune eſt, tamquam in medio poſitum, ad partem deducere conantur, non offerent hi munera: quia non habent ueritatem, in mendacio, atque in diſſidio degunt. Nam Dei filius, qui eſt author ueritatis, & ipſa ueritas, non eſt, nec inuenitur in angulis: quia palàm locutus eſt mundo, & in occulto locutus eſt nihil, ſed in templo, in conſpectu omnium, in Aſylo & in arce ueritatis, in domo Patris, in medio doctorum, audiens illos, & interrogans. In medio, ut in circuitu eius ſint omnes qui diligunt ueritatem, ut ſit communis omnibus, ut omnes qui ueniunt, percipiant, illuminentur. Doctorum, quia non omnes promiſcuè ſine delectu in Eccleſia magiſterium exercere debent, ſed tantùm illi, quibus conceditur, & qui uocantur à Deo, uel à legatis Dei tamquam Aaron. Audiens illos, & interrogans: ut catholici Doctores, etiam præſtantiſſimi, nō dedignentur in dubiis fidei quæſtionibus audire, & interrogare Seniores in templo, hoc eſt, diuina oracula, & patrias leges non ſuo, ſed patrum ſuorum ſenſu atque conſenſu interpretari: & eadem ipſa deinceps eodem modo, eodem eccleſiaſtico ritu, eodem patrio more illibata & inuiolata rite & competenter aſſerere, & quaſi per manus tradere poſteris. Quandoquidem à publico & communi Eccleſiæ ſpiritu recedere, & ad priuata & adulterina dogmata declinare, quid aliud eſt, quàm à ueritate ad mendacium, à Chriſto ad Sathanam deſciſcere, & falſo noui cuiuſdam Euangelij titulo perfidè & impiè gloriari? Nouos euangeliſtas nō admittit Eccleſia: quia non eſt aliud Euangeliū præter id, quod

Gen. 12. & 19.

D. Aug. in enarratione Pſal. 75. prope finem.

accepimus: & euangelizare præter id, quod euangelizatum eſt, anathema eſt, ait Apoſtolus. Quinetiam idẽ Apoſtolus tanti fecit communem Eccleſiæ ſpiritum, ut non contentus ſpiritu, quo Deus ipſum ſignauerat, apertè uas electionis eum appellans, nec contentus iis, quæ ſuper æthera raptus in cæleſti gymnaſio didicerat, nec ſatis eſſe arbitrãs, quod tantorum arcanorum in tertio cælo factus fuiſſet particeps, utpotè quæ cùm humanum captum ſuperabant, erant mortalibus obticenda: his, inquam, non contentus, ne proprio arbitratu & priuato ſuo ſenſu euangelizare uideretur, ex reuelatione, hoc eſt, iubente Deo, aſcendit cum collegis ſuis, Barnaba nimirum & Tito, Hieroſolymam, ut propria reuelatione interim ſepoſita, conferret cum Eccleſiæ primoribus, & ſeorſum cum iis, qui uidebantur eſſe columnæ, Iacobo uidelicet, Petro, atque Iohanne Euangelium, & doctrinam quam prædicabat, ne forte, ut idem ipſe Apoſtolus ait, in uacuum curreret, aut cucurriſſet. His uerbis oſtendens Apoſtolus (ut ad Diuum Auguſtinum ſcribit Diuus Hieronymus) ſe non habuiſſe ſecuritatem Euangelij prædicandi, niſi Petri, & eorum qui cum Petro erant, fuiſſet ſententia roboratum. Quapropter (ut etiam eſt apud Tertullianum) Paulus Hieroſolymam aſcendit ad cognoſcẽdos & conſulendos Apoſtolos, ne forte in uacuum cucurriſſet: id eſt, ne, non ſecundum illos crediſiſſet, & euangelizaſſet. Hocq́ue fuiſſe præcipuum Origenis erratum affirmat Theophilus ille Alexandrinus Patriarcha, nempè, quod non contulit, ut fecit Paulus, fidem ſuam cum Eccleſiæ præfectis: ſed in aſſerendis fidei dogmatibus ſuperbiæ ſpiritu agitatus, contempſit publicum & commune Eccleſiæ magiſterium. Ex quò in multis non habuit, ut in omnibus habuit Paulus, ab Eccleſia dexteras ſocietatis: quas neque nunc habent, neque unquam habituri ſunt, quotquot publicum & communem Eccleſiæ ſpiritum non agnoſcentes, ſuo priuato, & idcirco mendaci & adulterino ſpiritu ducti, profanas noui-

tates

Gal. 1.

Gal. 2.

D. Hieron. epiſt. 11. ad D. Aug.

Tertullianus aduerſus Martionem.

Theophilus 2. lib. De Paſchate.

tates aſſerere non uerentur, ac ſpurios quoſdam & portentuoſos in Eccleſia partus ſuo polluto & blaſphemo ore ad tot animarum perniciem euomere non erubeſcunt.

CAPVT XXVII.

STANDVM eſt uniuerſitati, ſtandum eſt antiquitati, ſtandum eſt perpetuitati, ſtãdum eſt catholicæ confeſſioni, Rex conſtantiſſime, ſi in Catholica & Apoſtolica fide eſſe uolumus: ac nullius cuiuſuis præſtantiſſimi uiri authoritas, tantum apud nos ualere debet, ut ob eam à catholica & uera Eccleſia deſciſcamus. Tutius eſt pluribus, quàm uni credere: immo neque pluribus credendũ eſt, ſi ab antiqua & perpetua Patrum inſtitutione defecerint: ſiquidem hoc eſt uerè catholicum eſſe, id uidelicet tenere, quod ab omnibus, quod antiquitus, quod ſemper creditum eſt. Quod ſi quis id tenuerit, quod ab omnibus, ſed non antiquitus: uel quod ab omnibus, & antiquitus, ſed non ſemper creditum eſt, non eſt catholicus. Hinc profectò toties intermortuæ, & iterum toties ab inferis reuocatæ hæreſes ad fidem catho licam non pertinent: quia neque apud omnes, neque antiquitus, neq. ſemper in Eccleſia floruerunt. Quapropter dum noui magiſtri, atque dum noua opinionum portenta in Eccleſiam inſurgunt (inſurgent autẽ ſæpe: ſemper enim ſponſa Chriſti, dum militat, huiuſmodi malis genijs & fœdiſſimis monſtris infeſtabitur) ſi tuti in uera fide, tamquam in ſumma & inuictiſſima arce eſſe cupimus, ſingularitati uniuerſitas, uniuerſitati antiquitas, antiquitati perpetuitas opponenda eſt: ita ut ſi quid nobis ab aliquo etiam catholico & præſtãtiſſimo doctore proponatur, quod uniuerſitati repugnet, reijciendum eſt: quia catholica Eccleſia talem conſuetudinem non habet, & Patres noſtri non ita ſenſerunt. Quòd ſi idem illud antiquitus obſeruatum fuit, ſed ut parum approbatum à Patribus in deſuetudinẽ abijt, id quoque nullo modo

Ponitur documẽtum pulcherrimum, quod qui tenuerint, nũquã à recta fide deſiſcere poterunt.

do (niſi decreta fuerint eiuſmodi, ut neceſſarijs & maximis cauſis primo conſenſui ſtandũ ſit) tenendum eſt. Non enim habet perpetuũ totius Eccleſiæ cõſenſum, & fuit quandoq; reiectum, aut præciſum ab inuiolata Patrum traditione, ut de clericorum coniugio, & laicorum communione ſub utraque ſpecie manifeſtiſſimum eſt: quorum utrumq́ue fuit aliquando in Eccleſia permiſſum, cùm modò ſit utrumq́ue grauiſſimis cauſis, & magna ratione ab Eccleſia abrogatũ, atque præciſum. Quãquam ab Apoſtolorum temporibus huc uſque ſemper nefas eſt habitum, ut ſacerdotes uxores ducerent. Verùm, ut quod dicimus, clariori modo illuſtretur, cur Arrius non eſt catholicus, niſi quod dogma, quod unus aſſerebat, Eccleſiæ catholicæ aduerſabatur? At dices: Poſteà, quàmplurimos habuit conſectatores. Fateor equidem; ſed quia illud quod eius fautores cum eo tuebantur, non erat ex Patribus, propterea neque ipſi, neque eorum Dux fuit catholicus. Quid, ſi dogma illud fuiſſet ex Patribus? Dicendum eſt, quòd eodem modo explodendũ erat: quia non erat ex Patribus noſtris. Nam & Hæretici quoq́ue ſuos patres, & ſuas quãmuis non perpetuas traditiones habent. Si igitur fuiſſet ex Patribus noſtris Arrianum dogma eſſet catholicum? minimè gentium. Sed parî ratione execrandum, niſi haberet catholicam & perpetuam Eccleſiæ conſenſionem. Vnius enim doctoris etiam catholici ſententia non eſt certum & infallibile indubiæ ueritatis demonſtrandæ principium, ſed canonica ſcriptura piè intellecta, & communis Eccleſiæ ſententia. Eſt enim Eccleſia (ut prædicat Apoſtolus) & columna, & robur, & firmamentum ueritatis: quod de ſingularibus Eccleſiæ membris ſcorſum acceptis uere dici non poteſt. Omnis enim homo mendax. Cyprianus enim, Origenes, Tertullianus, Gregorius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & quotquot fuerunt ex catholicis Patribus noſtris, ſinguli quidem ſigillatim errare potuerunt. Eccleſia autem uniuerſa, neque unquam errauit,

Vide Epiſt. Zachar. Papæ ad Boniſ. Epiſcopum. Item In Concilio Conſtantien. Seſſ. 13.

1. Tim. 3.

errauit, neque errare (in iis maximè quæ ad ſalutem ſpectant) aliquo modo poteſt. Nam Deo aſſiſtente gubernatur, proque illa orauit Chriſtus, ut fides illius non deficeret. Hinc Eccleſia in difficilibus quæſtionibus conſulenda eſt. *Luc. 22.* Hinc unitati Eccleſiæ non communicat qui non eſt in Eccleſia. Hinc ſcripturam ſequitur quiſquis Eccleſiæ ſententiam amplectitur. Hinc non ſatis eſt de Deo, & de Dei filio recta ſentire, niſi etiam ab Eccleſia non diſſentiamus. Hinc denique catholicorum Patrum ſententiæ tunc apud nos eſt præcipua authoritas, quando & ſecum, & cum alijs conſentientes ipſam nobis explicant communem orthodoxæ Eccleſiæ ſententiam.

CAPVT XXVIII.

Explicatur latius poſitus canō de catholica ueritate ſeruanda, et qua precipuè nota orthodoxa ueritas, ab heretica prauitate internoſcatur.

QVID igitur agere debemus, cùm quiſpiam ex Patribus noſtris (ſiue unus, ſiue plures illi fuerint) aliquid aſſerere comperimus, quod catholicæ fidei non ſit cōſentaneum? dogma illud contemnēdum eſt? Vtique: quādoquidem errores ſunt extra Apoſtolicam & eccleſiaſticam traditionem, & tamquam excrementa corporis Eccleſiæ ad fidem catholicam non pertinent. At quid de Patribus illis, num & ipſi quoque repudiandi ſunt? Nequaquam: ſed in cæteris omnibus amplectendi ſunt, & audiendi. Etenim quàmuis errauerunt, errare tamen noluerunt. Prætereà neque in omnibus, neque ſemper errauerunt. Nam aut admoniti reſipuerunt, aut ſuas ſententias cenſuræ eccleſiaſticæ ſummiſerunt. Tene igitur quod catholicum eſt. Quod autem eſt ſingulare, & propriū, reſpue: ut non ab uno membro, quod per ſe aridum eſt, & ſuapte natura ſubſiſtere non poteſt, ſed ab uniuerſo corpore uiuificeris. Integrum enim iudicium eſt, quod plurimorum ſententia confirmatur: quia plus uident oculi, quàm oculus: & plures plus ſapiūt, quàm unus. Præſertim cùm catholicos Patres nihil aliud docere

tenendum

tenendum eſt, quàm quod ipſi in catholica Eccleſia didicerunt. Exquò illorum conſenſus in re dubia ut certæ & indubitatæ ueritatis argumentum obſeruare debemus. Vbicunque enim congregantur Aquilæ, ibi corpus eſt, ibi Chriſtus, & ueritas, idem ſenſus & conſenſus catholicæ Eccleſiæ. Quòd ſi corpus etiam uniuerſum infirmetur, ita ut ſingula quoque membra langueant, & nulla ſit in eo ſanitas, quid agendum? non aliud quidem, niſi hoc unum: Nempe, ut ad ſacrarium ueritatis, id eſt, ad Eccleſiam Dei confugientes, ſacras tabulas, in quibus cæleſtis medicinæ, & diuini pharmaci remedia ſcripta ſunt, perſcrutemur. Quòd ſi diuerſi diuerſis, aut contrarijs modis tabulas illas interpretentur, & ob id perturbatio aliqua, aut confuſio ſuboriatur, conſulendi ſunt primarij, atque præcipui illarum magiſtri, & interpretes: nec priuatim tantùm, ſed etiam publicè quod illi ſenſerint, audiendum. Quod ſi & ij quoque inter ſe minimè conuenire comperti fuerint, tunc diſcuſſis illorum uotis, ponderatiſque potius, quàm numeratis eorum ſententijs, ſaniorem & tutiorem partem ſequi debemus: aut (quod longè præſtantius & tutius eſt) ad unum aliquem, inter cæteros omnes grauitate & dignitate præſtantem, recurrendum eſt, qui ſua authoritate cuncta diſponens, ſalutaria remedia proferat: ſi tamen idem ea authoritate & poteſtate ſit prædıtus, ut unus omnibus iure præſit. Quòd ſi hoc quoq. à catholica fide alienum eſſe dixeris, quæ non unius duntaxat iudicium, ſed eandem uniuerſorum ſententiam & conſenſionem poſtulat: Reſpondemus, Non minus catholicum eſſe, catholicæ Eccleſiæ caput agnoſcere, & illum, qui in tota Eccleſia plenitudinem poteſtatis habet, audire, quàm catholicæ Eccleſiæ obtemperare: quia uiſibile corpus ſine uiſibili capite eſſe non poteſt. Præterea quamuis ſit unus, uniuerſam tamen Eccleſiam repræſentat, & continet. Nam cùm diuini Numinis uicariam in terris perſonam gerat, eas partes in catholica Eccleſia

Math. 24. Luc. 17.

cleſia tuetur, quas caput in toto corpore obtinet. Quid? ſi & hic quoque infirmi corporis, & languentis Reipublicæ curam nequiter abiecerit (ſi tamen fides Petri, pro qua rogauit Chriſtus in eius ſucceſſore infirmari, aut deficere poteſt) num ideo erit de ſalute deſperandum, aut à priſca fide catholica diſcedendum? Non utique: ſed rogandus eſt Deus, cuius ſolius eſt ſalus, quique ſolus mortificat & uiuificat, ut ipſe qui potens eſt, conſolidet membra Eccleſiæ, atque propitietur iniquitatibus noſtris, & ſanet omnes infirmitates noſtras. Interim tamen præiudicatis Patrum ſententijs, & paternis traditionibus inhærendum eſt, & idem illud ſentiendum, quod Patres noſtri uniuerſè, antiquitus, & perſeueranter ſenſerunt, in ea fide permanentes, in qua nati ſumus: ſtabiles & conſtantiſſimi in ea doctrina, quam ſiue per ſermonem, ſiue per ſcripturam à Patribus noſtris ritè didicimus: quandoquidem non minoris authoritatis apud nos eſſe debet Apoſtolica & catholica traditio (Traditionem intelligo catholicam, uiuam, & ſanam de fide doctrinam, & ueram ſacrorum librorum intelligentiam) quàm eadem ipſa tabulis ſignata lex Dei, quàm ſcriptum ipſum Dei uerbum, quàm diuini canonis decreta, quàm ſacræ denique Euangeliorum ſcriptiones. Hocq. hanc præſertim ob cauſam, quia ſcriptura, id eſt, diuinorum librorum ſimplex litera, deprauari & adulterari, necnon in diuerſam & oppoſitã partem pro hominum ſenſu & arbitratu trahi poteſt: ipſa autem uiua traditio, & ipſa uera uerbi Dei interpretatio, cũ à catholicis Patribus diuino ſpiritu aſſiſtente, legitimis poſteris per manus, quaſi quædam cabala tradatur, ut incorrupta & ſemper eadem ſit neceſſe eſt. Immo unus Eccleſiæ cõſenſus, qui numquam caruit ſpiritu Dei, pluris apud nos eſſe debet, quàm omnes elingues & muti codices, & quotquot fuerunt, ſunt, & erunt unquam ſcripta uolumina, quæ hominum ingenijs ſemper contentionis materiam præbuerunt. Quin catholica conſuetudo, tot præiudicatis Patrum ſenten

Quid in ſuis ſcriptis per traditionẽ intelligat author declarat. Item quid per ſcripturam.

Concludit quod unus Eccleſiæ catholicæ et apoſtolicæ cõſenſus omnibus ſcripturis & rationibus ꝑponendus eſt.

S tijs

tijs corroborata, maiorē apud nos uim habere debet; quàm idem ipſe ſenſus oculorum, & uniuerſæ non modò Philoſophorum, ſed etiam Mathematicorum, quæ ſunt in primo gradu certitudinis, Geometricæ rationes. Fides enim præſtat ſcientiæ, & diuinum lumen humanæ rationi. Quiſquis igitur authoritati eccleſiaſticæ detrahit, ſiue eccleſiaſticum ſenſum, aut conſenſum renuit, & omnem ſacram ſcripturam, & uniuerſam quoque Chriſtianam religionem euertit. Quemadmodum enim ſine anima corpus, ita ſine eccleſiaſtica authoritate & conſenſione, aut nihil eſt, aut diu conſiſtere non poteſt Chriſtiana religio.

LVDOVICI MAIORANI

GRAVINATIS

CANONICI ORDINIS LATERANENSIS DE VERO DEI CVLTV

AD CAROLVM NONVM Gallorum Regem Chriſtianiſsimum,

Liber Tertius.

CAPVT PRIMVM.

Quanta ſit uis traditionis, & quomodo ſcriptura præſtat traditioni declaratur.

NON me latet, Rex optime, quid hac de re ſentiant & ſcriptitent noſtri Hæretici, qui cùm ſint filij deſertores, nec alio quàm ſcripturarum præſidio nitantur, & cùm ſint Eccleſiæ aduerſarij, multò maiorem authoritatem & fidem ſcripturæ tribuendam eſſe aſſerunt, quàm Eccleſiæ. Cæterùm cœci non uident, quòd Eccleſia ſit uetuſtior ſcriptura, omniumq́ue ſacrorum librorum non modò magiſtra & cuſtos, ſed etiam interpres & obſignatrix. Nec ſtupidi animaduertunt, quòd per ſcriptu-

ram ſacram inſidiatur nobis Diabolus, & quòd quemadmo-
2 Machab. 5. dum in ueteri lege non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit: ita in lege euangelica, non propter ſcripturas homines, ſed propter homines ſcripturas edidit. Nec fatui intelligunt, quòd utraque authoritas, ſcripturarum uidelicet, & Eccleſiæ, aliunde non ſit, niſi à Spiritu ſancto, & quòd ambæ ſint diuinæ authoritatis. Ambæ enim ab eodem authore Deo prodierunt, & ambæ eodem Deo moderatore reguntur. Quamquàm neque nos negamus, ſcripturam in primario loco eſſe, & ſupremam (ut ſuperius dicebamus) habere authoritatem: ſi tamen ſcriptura catholicè, & orthodoxè intelligatur. Quòd ſi ſcriptura fuerit deprauata, aut peruerſè exponatur, expliceturq́. (ut in angulis prauè affecti, & malè conſtituti homines interpretari & explicare conſueuerunt) longè maiorem authoritatē & fidem Eccleſiæ tribuendam eſſe tenemus, quàm ſcripturæ. Eccleſia enim eſt uiuum cor, & uiuum pectus Chriſti: ſcriptura autem ſine recta intelligentia, quid aliud ſit, quàm errorum pelagus? quàm diſſentionum abyſſus? quàm membrana emortua, & papyracea charta ſignis & figuris quibuſdam picta, atque ad omnem impiorum & ſeditioſorum ho-
Iohan. 7. minum expoſita libidinem? Phariſæi ſcripturarum teſtimonio Chriſtum non eſſe prophetam, & eſſe morte dignum
Matth. 4. contendebant. Diabolus teſtimonio ſcripturarum Chriſto ſuadere conabatur, ut ſe ſe deorſum à ſumma templi pinna præcipitaret. Arriani & ueteres omnes Hæreſiarchæ ad ſcripturas catholicos Patres prouocauerunt. Græci ex ſcripturis errores ſuos aduerſus Romanam Eccleſiam deduxerunt. Sophiſtæ è ſcripturis argumenta ſumunt, cùm aduerſus catholicam ueritatem diſputāt. Theologi cùm explicant difficiles Chriſtianæ fidei quæſtiones, ſophiſtarum perſonam induentes, aduerſus ueritatem, ſcripturarum te-
Iohan. 11. ſtimonia citant. Caipha ſedens in Cathedra illa peſtilentiæ, & ſtans in Concilio illo impiorum, authoritate ſcripturarū in Chriſtum capitis ſententiam tulit. Hoc autem cur? niſi

quia

quia ſcriptura,ſi quis in ſola litera perſiſtat, eſt uelut quædã plumbea regula, quæ ingenij uerſutia facilè uertitur, & accomodatur quocunque uoluerint ſeditioſi homines: & in utrâque partem cuiuſuis impiæ ſententiæ facilè trahi & applicari poteſt. Hinc ſemper ortodoxis Patribus uiſum eſt, non eſſe concedendam Hæreticis prouocationem ad ſcripturas. Nam ſcripturæ ab Hæreticorum ui & iniuria ſe prorſus uindicare non poſſunt. Induunt enim ſe Hæretici(ut magnus ille Purpuratus dixit) uerbo Dei, & ueſtimentis ſcripturæ: ut meretrix regali cultu, ut ſuam uerecundiam tegat, & in conſpectu hominum non turpis prodire poſſit: Sed nõ plus turpitudinem ſuam folijs ſcripturarum tegere Hæretici poſſunt, quàm potuerit ſuum dedecus Adam uelare foliis fici. Hæretici enim imitantur Moriones, qui nudum corpus reti circundato ſatis tegi putant: ſed uſquequaque turpitudinem ſuam oſtentant, tanta eſt debilitas, inconſtantia & repugnantia argumentorum ſuorum. Quicunque igitur ſine eccleſiaſtica traditione ſacram ſcripturam interpretari præſumit, in media caligine, denſiſſimisque tenebris, Andabatarum more, qui in hoſtes clauſis oculis irruebant, uerſari neceſſe eſt, ac prorſus orthodoxæ fidei lumine caret. Siquidem in explicatione diuinarum ſcripturarum, ſuo potius quàm Eccleſiæ catholicæ ſenſui nimio plus indulgere ac tribuere, fuit, eſt, & erit ſemper omnis hæreticæ prauitatis initium: quandoquidem ex unitate eiuſdem fidei pendet unitas Eccleſiæ: quia unus Deus,& una fides. Quòd ſi unicuique fas eſſet ex ſuo ſenſu ſcripturã interpretari, fides non eſſet una: immo tot eſſent fides quot homines, & Chriſtianus orbis ſemper in nouarum Religionum, & in nouæ fidei conuerſione uerſaretur. Standum eſt igitur decretis Patrum, & illius in primis, qui ſedet in Cathedra: & qui capitis locum obtinet in tota Eccleſia. Quicquid enim in Apoſtolico Throno pro fide conſtituitur, id ſine ulla controuerſia ad diuinũ numen referendum eſt. Quare uera uerbi Dei intelligentia non ex propria præſumptione, ſed ex antiquioribus ſacerdotibus,

Reginaldum Polum intelligit.

Gen. 3.

dotibus, atque ex eccleſiaſtica ſucceſſione & regula petenda eſt: neque omnis ſacrarum ſcripturarum nouus & aſcriptitius ſenſus laudandus eſt: neque cuilibet ſacrarum literarum interpretationi nos ſubſcribere debemus, ſed illi duntaxat, quæ à uiuo Chriſti pectore, id eſt, à legitimis interpretibus, atque à catholica & Apoſtolica Eccleſia facta fuerit. Ad catholicæ namque (ut ſupra dicebamus) & Apoſtolicæ Eccleſiæ communem ſenſum, uelut ad ſacram anchorã, uelut ad inflexibilem columnam, roburque & firmamentum ueritatis, uelut ad indubitatam orthodoxæ ueritatis regulam, & magiſtram rectæ intelligẽtiæ ſcripturarum omnium, quàm ad ipſas ſcripturas potius confugiendum eſt. Nam & Iudæi quoque ſcripturas ut ſacroſanctas accipiunt & uenerantur: ſed quia ſine fide, & ſine pia Patriarcharum & Patrum traditione illas interpretati ſunt, ſimul & ab earum recta intelligentia, & à diuinis promiſſionibus exciderunt. Quid enim refert ſcripturas ut uerè uitales, & uerè ſalutares habere, ſi poſteà eædem non rectè intelligantur? Lituræ profectò ſunt, non literæ, omnes illorum hominum ſcriptiones, qui diuini uerbi mentem uel non rectè intelligẽdo, uel non ritè interpretando deprauant.

CAPVT II.

Quòd ſcriptura deprauari põt, ſed non traditio, qa ſpiritus Dei, qui regit Eccleſiam neque falli poteſt, neque fallere.

Iohan. 14. & 16.

Act. 2. & 10.

QVIPPE quod miſerrimum & pernicioſiſſimum incommodum catholicæ & ueræ Eccleſiæ nullo pacto accidere poteſt. Etenim anima corporis Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus, ſpiritus ueritatis eſt. Neque enim Hæreticis, ſed Apoſtolis, & Apoſtolicis Patribus præclara illa promiſſio facta eſt: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiſcum in æternum, ſpiritum ueritatis, quem uos cognoſcetis, quia apud uos manebit: ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunque dixero uobis. Hinc nimirùm Apoſtoli etiam à Chriſti decreto non nihil declinaſſe uiſi ſunt, in uno nomine Ieſu bapti-

zantes, cùm eis à Chriſto expreſsè iniunctum eſſet, ut in nomine totius Trinitatis baptizarent. Et poſteri quoque dominicum præceptum explicantes, paruulis itidem baptiſma commune fecerunt: cum à Chriſto Apoſtolis præceptum eſſet, ut baptizandi priùs in fide erudirentur. Cur ergo Apoſtoli baptizauerunt tunc in uno nomine Ieſu? Curuè poſteri baptizauerunt paruulos & infantes, qui in fide erudiri non ualebant? niſi quia eodem Chriſti ſpiritu, quo moniti ſunt Apoſtoli, ut euntes docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, eodē ipſo Chriſti ſpiritu ijdem Apoſtoli afflati fuerunt, ut baptizarent tunc in nomine Ieſu: Et eodem pariter Chriſti ſpiritu edocti ſunt poſteri, ut in fide Eccleſiæ uel parentum baptizarentur infantes. Non enim legislatoris uerba tantùm, ſed mentem etiam atque intimam ac tacitam iuſſionem, ſeu, ut nonnulli grauiſſimi patres aiunt, reuelationem, aut diſpenſationem ſpectarunt: neque enim paruulorum ſalus negligenda erat, eos à baptiſmi gratia excludendo, cùm alibi apertè dixerit Chriſtus: Sinite paruulos uenire ad me. Quocirca nō ſemper qui præceptum non ſeruat, præcepti tranſgreſſor eſt: ſed qui ea ratione illud tranſgreditur, ut legislatoris uoluntas finem ſuum prorſus non aſſequatur. Sacerdotibus tantùm adminiſtrandi ſacramenta facultatem fecit Chriſtus: quod poſteà Eccleſiæ uiſum eſt in baptiſmo rectè intermitti aliquando poſſe, cùm fortè neceſſitas urgeret, & ſacerdotis copia nōn daretur. Qua in re, licèt à Chriſti uerbis nonnihil defeciſſe viſa ſit Eccleſia, nihil tamen contra Chriſti uoluntatem fecit. Quid enim in primis Chriſtus exoptat, niſi vt omnes homines & adulti & paruuli ſalui fiant? præſertim cùm idem ipſum in veteri quoque lege (in qua adhuc non erat ſancti Spiritus plenitudo) factitatum ſit. Moyſes namque occidit Aegyptium: Iudith iugulat Holofernem: Matathias Iudæum idolis ſacrificantem obtruncat: Iahel tranſfixit Siſaram: Phinees ambos illos perfodit: & Samſon ſeipſum, & Philiſtinorum quamplurimos memorabili illa ruina

Enumerantur quāplurimi patres qui à diuinis præceptis, ſine peccato deſciſcere uiſi ſunt.

Matth. 28.

De baptiſmo in nomine Chriſti conſule. D. Soto in 4. ſent. diſt. in. 3. quæſt. unica, artic. 6. in fine. Conſule Enchiridion Echij de baptiſmo puerorū.

Mar. 10.

Luc. 18.

Vincent. Speculis moralis part. 10. diſt. 26.

Tho. 22. q. 147. ad Tertium. In 4. ſentē. diſt. 25. q. 3. art. 1.

Panorm. ſuper. 3. decret. de obſer. Ieiunij.

Exod. 2.

Iudith. 13.

1. Machab. 2.

Iudicum. 4.

Num. 25.

Iudicum. 16.

ruina oppreſſit. Et tamen omnes à ſcriptura laudantur, quamuis contra diuini præcepti verba fecerint. Scriptum
Exod.20. enim erat: Non occides. Quamquam igitur Dei mandatum non obſeruaſſe viſi ſunt, haud quaquam tamen fuerunt diuini mandati tranſgreſſores: quia non verba, ſed Dei voluntatem obſeruauerunt, qua ſalua peccatum vim & rationem peccati non habet. Immo malefacta in rectè facta, & in merita commutantur; id eſt, quæ aliàs malè facta fuiſſent, niſi authore Deo fierent, ipſo iubente, dum rectè fiunt, inter merita potius referri oportet. Vt de Hoſea propheta legitur, qui piè duxit uxorem fornicariam, & ſanctè genuit filios fornicationis. Et ueteres Patres cùm multarum uxorum eſſent mariti, Dei tamen uoluntatem non abiecerunt.
Hoſea.1. Tametſi ſcriptum eſſet: Non fornicaberis. Et, Erunt duo
Gen.2. in carne vna. Et quot præſtantiſsimi principes inducendis vxoribus per Vicarios Christi diuinis legibus ſunt ſoluti? Quamobrem diuinum imperium recuſauiſſe illi non ſunt dicendi, qui cùm ſint veri, & legitimi Dei miniſtri, illius beneplacitum in primis attendentes, eius diuina verba atque præcepta aliqua magna ex cauſa quandoque omittere viſi ſunt: nam aut ſuo iure optimo vſi ſunt, aut idem Deus, qui in lapide præcepit exterius, in corde illis mandauit interius,
Iohan 3. vt eius dicto audientes eſſent. Lex enim ſpiritus præſertim
1 Iohan.2. in corde ſcribitur. Nam ſpiritus vbi vult, ſpirat. &, Vnctio
Iohan.14. ſeu Paracletus docebit vos omnia, inquit Chriſtus conſe-
4 Reg.1. ctatoribus ſuis. Eadem ratione Elias duos Ochoziæ Regis
4.Reg.2. quinquagenarios igne conſumpſit: Et Eliſæus pueros ſibi illudentes ſua præpotenti execratione vrſis lacerandos obiecit.
Deut.12. Quin etiam idem Elias poſt expreſſum Dei verbum, quo cautum erat, ne deinceps vllo vnquam tempore cuipiam Iſraelitici populi liceret offerre Deo ſacrificium, niſi in templo, vbi erat arca fœderis, & in loco quem elegerat, &
3.Reg.18. ſanctificauerat Dominus, vt eſſet nomen ſuũ ibi cunctis diebus, ſepoſito interim tanto Dei mandato, ſpectante vniuerſo populo, erexit lapideum altare Domino, & obtulit holo-

cauſtum

cauſtum in monte Carmeli, ceciditque ignis Domini de cælo, & exauditæ ſunt preces eius. Et antè Eliam Samuel, exiſtente templo in Silo, ſtanteque Dei mandato, ne extra fixum & ſtatutum locum ſacrificaretur, erexit lapidem in Maſphat, ædificauit altare in Ramatha, & immolauit Domino uictimas in Galgala. Theclam à Paulo nuptiis abſolutam apud Epiphanium legimus, cùm ſponſum haberet primarium urbis formoſiſſimum: & tamen diuino oraculo ſancitum erat, ut homo non ſolueret, quos Deus coniunxerat. Antiquo more Apoſtolorumque inſtituto communio totius etiam populi à principio ſtatim naſcẽtis Eccleſiæ exigebatur: ætate tamen Chryſoſtomi præceptum relaxatum eſſe conſtat, & communionem aſtantium uoluntati permiſſam, ad quam eos Diaconus inuitabat, non cogebat: et tamen extat Sotheris & Anacleti decretum præcipiens peracta cõſecratione, ut omnes communicent: qui noluerint, eccleſiaſticis careant limitibus: ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt. Apoſtolica autem edicta Chriſti eſſe cenſentur, qui per Apoſtolos Eccleſiæ locutus eſt, & Apoſtolis per Spiritum ſanctum. Dabatur aliquando in ueteri Eccleſia Euchariſtia ſub utraq. ſpecie laicis, quod poſteà immutandum Eccleſiæ uiſum eſt, ne errorem Neſtorij fouere uideretur, qui ſub ſpecie panis, ſolam carnem Chriſti, ſub ſpecie uini ſolum ſanguinem eſſe credebat. Dabatur quoque olim (ſi Auguſtino & Cypriano credimus) etiam infantibus Euchariſtia, quæ iam nõ datur niſi adultis. Quodam tempore data eſt etiam mortuis Euchariſtia: & mortui etiam apud nonnullos in Aphrica baptizabantur, quod iam nullo pacto conceditur, atq. fuit olim publico Concilij Carthaginenſis tertij edicto ſublatũ. Extant itidem Anacleti & Sotheris decreta, ut nullus Preſbyterorum Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibiq. reſpondentibus. Item, Vt ſacerdos ſine ſocio ſacerdote non ſacrificet, ſed ſacrificans habeat ſecum adiutorem ſacerdotem, ut ſi aliquo caſu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus ſuerit, uel ad terram eliſus,

1. Reg. 7.

Epiphanius hæreſi 78.
Math. 19.
Marc. 10.

Sother ĩ epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ.
Anacletus ĩ ſua Decretali prima.

Conſule Conciliũ Conſtantiẽſe, Seſſio. 13. & Conc. Baſilienſe, Seſſione 30.
De Euchariſtia tradita infantibus, conſule D. Soto in 4. ſentẽ. diſt. 12. queſt. 1. artic. 9.
Aug. Epiſt. 107.
Cyprianus de lapſis cap. 4.

ſus, à tergo ſemper habeat, qui eius uices inſequatur intrepidus, & officium incœptum adimpleat. Quæ omnia creſcente ſacerdotum numero irrita facta ſunt. Plerumq́. enim nunc ſacerdotes ſine adiutore ſacerdote ſacrificant. Et aliquando etiam ſacerdos, dum ſacra facit, unico teſte, eodemq́ue miniſtro contentus eſt. Quondam Concilij Antiſiodorenſis decreto uetitum fuit, ne ſacerdotibus in eadē ara, eodem die niſi ſemel rem diuinam agere liceret: atque ne in eo altari, in quo Epiſcopus Miſſæ ſacrificium fecerit, quiuis presbyter ex minoribus ſacerdotibus eodem die ſacrificare auderet. Nunc autem publica Eccleſiæ conſuetudine utrumque è medio ſublatum eſt. Immo hoc tempore iterata & repetita eiuſdem diei in eadem ara Miſſarum ſacrificia maiorem pietatem, & maiorem Dei cultum atteſtantur. Ne mortuum ſuper mortuum mitteretur, ueterum Patrum canones ſtatuerunt: ut apertè eiuſdem Antiſiodorenſis Cōcilij decreta edicunt, quod modo indifferens eſt apud Catholicos. Vt in omnibus ſacris quadrageſimalis ieiunij diebus, præterquàm Sabbatho & Dominica, atque Annuntiationis die (in quibus ieiunare non licebat) fieret non nouū, ſed ſacrum præſanctificatorum ſacrificium, id eſt, oblatio iam peracti & abſoluti ſacrificij, præcepit canone quinquageſimo ſecundo ſexta Conſtantinopolitana oecumenica ſynodus. Arbitrabantur enim Patres illi nullo modo eo die ieiunandum, quo nouam Deo oblationem offerimus. Idcirco quadrageſimalis ieiunij tempore, non fieri nouam cōſecrationem ſtatuerunt, niſi Sabbatho & Dominico, atque Annuntiationis die, in quibus, ut dixi, tunc ieiunare non licebat. Quo enim die ſacrificium Deo offertur, eo non lugere, ſed diem feſtum agere oportere aſſerebant: cæteris uerò quadrageſimæ diebus, cùm eſſent dies ieiunij, id eſt, inediæ, luctus, & mœroris ad purganda ſcelera, ad expiandas culpas, & ſananda animi uulnera, non noua oblatione, ſed ſacro præſanctificatorum ſacrificio uti oportere præceperunt. Quo ritu nunc Catholica Eccleſia non utitur: niſi

tantùm

tantùm in uno Paraſceues die, in quo duntaxat præſanctificato ſacrificio litare, & rem diuinam facere conſueuit. Olim quoque nocturnæ uigiliæ ad Martyrum ſepulchra magna religione, magnoque populorum concurſu celebrabantur, adeoque erant celebres Diui Hieronymi tempore, ut idem ſanctiſſimus doctor peculiari quodam libello aduerſus Vigilantij calumnias edito, extitit acerrimus illius conſuetudinis propugnator. Nunc autem uix Natalis Chriſti nocturnæ uigiliæ in uſu ſunt: cæteris omnibus non ſolùm deſuetudine, ſed publico etiam Elibertini & Antiſiodorenſis Concilij decreto & magna ratione ſublatis. Sacri Codices quandoque in uernaculam linguam non ſine magna Eccleſiæ utilitate translati ſunt, ut à Diuo Hieronymo ad propagãdam Dalmatis ſuis Chriſti fidem, factum eſt. Verùm nunc cùm orthodoxi Patres re ipſa didicerint, indoctos quoſdam & plebeios homines fuiſſe Hæreticorum fautores, & nonnullos etiam Hæreſiarchas, illos, & meritò, ut in diuinis literis aut nihil, aut parum exercitatos, à ſacrorum librorum uernacula lectione arcendos eſſe decreuerunt. Circumciſio quoque, & Sabbathum ſub expreſſis Dei mandatis in lege ueteri numerabantur: utrumque tamen fuit in deſerto à Machabæis intermiſſum, quinetiam utrumq; fuit poſt Chriſti mortem prorſus Apoſtolica authoritate abrogatũ. Chriſtus dixit diſcipulis ſuis in monte: Non ueni ſoluere legem, ſed adimplere, & tamen Apoſtolorum Eccleſia in primo illo Concilio fidenter & liberè pronunciauit ſuper ceſſatione legalium. Nectareus contra ſtatuta canonum ex prætore urbano catechuminus Sacerdotium ſuſcepit, in ſecunda ſynodo generali: cui etiam præfuit. Taraſius itidem ex laicali cœtu ad Patriarchatus culmen cõtra Apoſtolica decreta ex templò promotus eſt. Diuus quoque Ambroſius catechuminus aſſumitur ad Epiſcopatum. Cur igitur hi ſanctiſſimi ſacerdotes & uates Deo tantopere dilecti, & chari homines diuino edicto tam parum tribuerunt? niſi quia decreta eadem authoritate, qua fiunt, eadem quoque tolluntur, aut

Leuit. 12. *Exod. 20.* *1. Mach. 2.*

Matth. 5. *Act. 15.*

Socrates in Hiſt. eccl. lib. 5. cap. 8. & hiſt. trip. lib. 9. cap. 13.

Vide in ſynodo uniuerſali octaua Conſtantinopoli anno Baſilij Imperatoris tertio celebrata ſub Hadriano ſecundo.

intermittuntur. Ea enim poteſtate, qua fit promulgatio, eadē pariter poteſtate abrogatio ſiue interpoſitio legis fieri poteſt. Cæterùm cùm eadem ferè ſit mandantis & mandatarij, in eo ſaltem ad quod mittitur, poteſtas: quis unquam uerè inficiari poterit, imperium, & ius legatorum Dei non eſſe diuinum, cùm is, pro quo legatione funguntur, ſit ipſa Deitas? Quòd ſi ius miniſtrorum Dei diuinitatis eſt particeps, quia diuina authoritate firmatur, & ad diuinum ſpectat cultum: an non illius contemptores reos diuinæ Maieſtatis, & acerbiſsimæ atque æternæ damnationis obnoxios facit?

CAPVT III.

Qui ſpernũt Eccleſiam ſunt contẽptores Dei, & diuinæ Maieſtatis rei.

1. Reg. 8.

IDCIRCO cùm ſpreto Iudicum regimine maiores natu Iſrael ueniſſent ad Samuelem in Ramatha, & poſtulaſſent ab eo Regem, cumque huiuſmodi ſermo diſplicuiſſet Samueli, dixit Dominus ad eum: Audi uocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim abiecerunt te, ſed me, ne regnē ſuper eos. Quid autem eſt: non enim abiecerunt te, ſed me, ne regnem ſuper eos, niſi idem illud quod ad Theſſalonicenſes ſcribebat Apoſtolus? Scitis, inquit, quæ præcepta dederim uobis per dominum Ieſum. Et paulò poſt: Itaque, qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit: ſed Deum, qui dedit Spiritum ſanctum in nobis. Hoc ipſum longè anteà magnus ille Moyſes contra ſe & fratrem ſuum Aaronem murmuranti populo dixit: Nos quid ſumus? non contra nos eſt murmur ueſtrum, ſed contra Dominum. Eadem certè ratione ſacerdotes & miniſtri Dei quid ſunt, niſi homines & mortales ſicut cæteri homines? attamen de eis (utcumque fuerint) diuino oraculo ſententia illa prolata eſt, nempe, Chriſtum ipſum audire, qui illos audit: & Chriſtum ipſum ſpernere, qui illos ſpernit. Domus Iſrael (dixit Dominus ad Ezechielem) nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde.

1. Theſſ. 4.

Exod. 16.

Ezechiel. 3.

CAPVT

CAPVT IIII.

Quòd mens & uoluntas Dei potius ſpectãda ſit à legitimis Dei miniſtris, quàm uerba legis.

IVRE igitur licuit ſemper,& ſemper licebit legatis Dei, & legitimis Chriſti miniſtris ſuo munere fungi, & ſuam in populos,quibus præſunt, authoritatem exercere: ac Dei mentem potius ſpectare, quàm uerba. Verba enim ſunt quaſi miniſtræ, & famulæ uoluntatis, quæ non ſemper rectè relata referunt: balbutiunt enim aliquando, & plerumque etiam longè aliter exprimunt, quàm acceperunt, ac perſæpe non ita intelliguntur, ut proferre & enunciare uidentur. Hinc forſan lex Chriſti non fuit, ut cæteræ leges literis mandata, ſed iuxta Hieremiæ uaticinium in cordibus fidelium ſcripta, ut eiuſdem Euangelicæ legis profeſſores, non tantùm externos, & ſpectabiles characteres, ſed in primis latentem Dei uirtutem, & uoluntatem inſpicerent. Idcirco Doctor orbis Paulus dixit: Lex non eſt poſita iuſto, non quia iuſtus non tenetur ad legem, ſed quia legis pœnã non formidat, quia legem ſeruat.Iuſtus enim ſemper quæ ſit uoluntas Dei inquirit. &, Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi eius ad dominum Deum ſuum. Et alio loco idem magiſter orbis affirmat: quòd ubi eſt ſpiritus Domini, ibi libertas. Qui enim iuſti ſunt, ſpiritu Dei aguntur: ſcientes quòd finis præcepti eſt charitas, ordinant & ſubijciunt præcepta charitati: id ſolum curantes, & intendentes, ut fiat uoluntas Dei. Omittunt aliquando literam, ut ſpiritui ſeruiant: frangunt ieiunium, ut ſeruent charitatem: non orant, ut melius orare poſſint: diſſimulant peccata fratrum, ut reſipiſcant: percutiunt, flagellant, urunt, ſecant, ut ſanent: occidunt, ut uiuificent: maledicunt, ut maledicti benedicantur: comedunt cum publicanis & peccatoribus, ut peccatores & publicani cum Deo in gratiam redeant, & diuinam iuſtitiam aſſequantur: omnibus omnia fiunt, ut omnes lucrifaciant: cuncta denique præcepta (cùm oportet) tranſgrediuntur,ut fiant omnium præceptorum præcipui ſeruatores & uindices. Quapropter, cùm iuſtus mandata non

Hierem. 31. *1. Tim. 1.* *Pſal. 122.* *2. Corinth. 3.*

tenere uidetur, tunc maximè mandata cuſtodit: quia non uerborum corticem, ſed intimam mandantis uolũtatem attendit. Eodem modo ſummi Imperatores, & ductores militum, quandoque totius exercitus ordinem inuertunt, ut hoſtibus inſidias ſtruant, optataque uictoria potiantur. Qui utique ſi omnia ex priſtina conſuetudine, & uſu egiſſent, numquam fuiſſent inimicorum uictores, & felices in bello gerendo. Hoc ipſum quoque Eccleſia catholica & Apoſtolica, in qua eſt magnitudo ſpiritus Domini, & diuinæ plenitudo poteſtatis, in paſcendis Chriſti ouibus, & in adminiſtranda Chriſtiana republica obſeruare conſueuit. Nam cùm ſint uerba Dei in ore eius, & præſtantiori modo, quàm
Hierem. 1. in beato illo uate, qui erat futurorum umbra, non ueritas; cumque à Deo conſtituta ſit ſuper gentes & Regna, ut euellat & deſtruat, & diſperdat & diſſipet, & ædificet & plantet; iure & rectè præcipit, quæcunque præcipit: tam etſi aliquãdo immutare aut omittere diuina decreta uideatur. Non enim uerè omittit, aut immutat, ſed potius adimplet, & ſeruat: uim mandati obſeruans, mentem præcipientis conſiderans, ueram legis interpretationem animaduertens, intimum præcepti ſenſum notans, unam legislatoris uoluntatem fieri ſatagens, id unum curans, ut legislator finem ſuum aſſequatur. Chriſtianæ militiæ ordinem inuertere non ueretur, ut Chriſti milites uictoriam conſequantur. Non ſemper ex inſtituto, aut ex præſcripto, ſed quandoq. etiam, ut præſtantiſſimi Duces, ex tempore, & ex opportunitate agit, ut ſaluti animarum, & incolumitati fidelium conſulat. Omnia efficit, ut Chriſti ouibus proſit, & emolumentum faciat: modò ſcripto Dei uerbo, modò traditione utitur, ſciens utrumq. eandem (ſi tamen illis non fuerimus abuſi) ad pietatem uim habere. Mandat fidelibus quæ à Chriſto mandata ſunt ei. Non omnia tamen ſimul, ſed prout opus eſt, unumquodq. ſuo quoque tempore. Nam quemadmodum nõ omnia ſimul nota facta ſunt Apoſtolis uiuente Chriſto,
Iohan. 16. eodem ipſo Chriſto atteſtante, qui ait: Multa habeo uobis

dicere,

dicere, quæ non poteſtis portare modò: poſtquàm abiero, mittam uobis Paracletum Spiritum, qui docebit uos omnẽ ueritatem, & manebit uobiſcum in æternum. Eodem modo non omnia ſimul nota facit nobis Eccleſia, ſed quando oportet, quando neceſſe eſt. Tradidit nobis in principio neceſſaria ad ſalutem: ſubticuit reliqua, cùm opus fuerit, ſumminiſtratura. Propterea Paracletum miſit Dominus, ait Tertullianus, ut quoniam humana imbecillitas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ab illo Vicario domini ad profectum deduceretur diſciplinæ, & ſubdit, Quæ eſt ergo Paracleti adminiſtratio niſi hoc, quod diſciplina dirigitur, quod ſcriptura reuelatur, quod intellectus reformatur, & ad meliora proficitur? Et concludens inquit, Nihil ſine ætate eſt: omnia tempus expectant, ut dicit Eccleſiaſtes. Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri, granum eſt primò, ex grano fructex oritur, ex fructice arbuſcula emittitur, deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: ſic iuſtitia primò fuit in rudimentis, natura Deum metuens, poſtea per legem & prophetas promouit in infantiam, de hinc per Euangelium efferbuit in iuuentutẽ, nunc per Paracletum componitur in maturitatem. Eadem ratione, ait Gregorius Nazanzenus, uetus teſtamentum patrem manifeſtè prædicauit, filium autem obſcurius: at nouum cùm filium clariſſimè oſtenderit, ſpiritus deitatem tantùm ſubindicauit. Nunc uerò ſpiritus nobiſcum & inter nos habitans argumenta ſui ipſius clariora & illuſtriora nobis exhibet. Neque tutum erat patris ipſius deitate nondum ſatis recepta, filij prædicationem palam ingeri: neque diuinitate filij etiam tunc non recepta, auditoribus Spiritus ſancti onus adiicere, ne ueluti cibo immodico ſtomachum redderent languidiorẽ. Hinc etiam & ipſi Apoſtoli ſancti Spiritus magiſterio edocti, ac diuino illius flamine ducti, non omnia ſemel nec omnibus, nec paſſim tradebant. Petrus enim prima

Tertullianus lib. De uelandis uirginibus.

Eccl. 3.

Greg. Nazan. lib. 5. De Spiritu ſancto.

Act. 2. ma illa ſua concione, quam Hieroſolymis poſt Spiritus ſancti miſſionem habuit, Chriſtum uirum approbatum duntaxat appellat: nec audet ut olim coram Domino & Apoſtolis fecerat, illum ut Dei uiui filium rudi adhuc populo enunciare, accomodans nempe ſe carnali audientium ſenſui, ac *1. Corin. 2.* humanæ cogitationis captui. Et Paulus ſapientiam ſe loqui non omnibus, ſed inter perfectos affirmat: itaq. pro imbuendorum qualitate, & temporum opportunitate magiſterium ſuum attemperabant, contenti maiora maioribus committere, & lacte ac oleribus infirmos paſcere: & hoc erat ſufficienter & ad ſobrietatem docere, non quidem omnia ſimul & omnibus tradere, & ſcripturis mandare, ſed quædam publicè, quædam ſeorſum aſſerere, eadem poſtea opportuno tempore per rectores Eccleſiæ fideli populo reuelanda. Quamobrem multa quoque per Eccleſiam explicanda ſunt poſteris, quæ modò magna ex parte ignota ſunt nobis, ut ſemper qui Chriſtianam ueritatem profitentur, ex fide in fidem proficiant, & de claritate in claritatem ad finem ſuum tendant: utque animaduertant fideles penes Eccleſiam eſſe diuinorum arcanorum theſaurum, atque Euangelicæ ſapientiæ & poteſtatis claues, quibus cæli portæ credentibus aperiuntur.

Quòd multa per Eccleſiam explicanda ſunt poſteris, quæ modò magna ex parte ignota ſunt nobis.

CAPVT V.

Quòd etiam Angeli in gymnaſio Eccleſiæ profecerunt.

IMMO uerò & Angelorum quamplurimi, quibus ſingulari Dei fauore Redemptionis myſteria non fuerunt aperta, in Eccleſiæ gymnaſio profecerunt. Multa enim ex Apoſtolorum prædicatione didicerunt Angeli, quæ priùs illis prorſus incognita fuerant. Libet hac in re proferre Chryſoſtomi teſtimonium, qui in præfatione Homiliarum in Iohannem his uerbis loquitur: Iohannes nihil nobis humanum, ſed à Spiritus ſancti profundis & abditis theſauris omnia proloquitur, quæ neque Angeli priùs quàm hic diceret, nouerunt. Namque & ipſi nobiſcum didicerunt per Io-

hannis

hannis uocem, & per nos didicerunt quæ cognouimus: quod beatus etiam Paulus ſignificauit his uerbis: Vt innoteſcat nunc Principatibus & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Si igitur Principatus & Poteſtates Cherubim & Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt, plane conſtat ipſos Angelos ſumma cum attẽtione eius ſe auditores exhibuiſſe: quippe idcirco non parum honoris conſequimur, quòd nobiſcum Angeli didicerunt, quæ neſciebant. Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus profectò uerbis, Rex inuictiſſime, collige, cuiuſmodi ſit Eccleſiæ magiſterium, cuiuſmodi ſint arcana à Chriſto concredita Patribus, quando etiam Angeli in cognitione diuinorum myſteriorum per Eccleſiam profecerunt, & uſque ad futuram conſumationem per eandem aliqua ex parte proficient: tunc enim eorum ſcientia, & beatitudo nec augebitur amplius, nec minuetur, ſicut nec noſtra cùm tandem perfectiſſimi erimus, & non ut nunc per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum uidebimus, & erimus comprehenſores, non uiatores. Quòd ſi Angeli, & præclaræ atque diuinæ illæ mentes in multis per Eccleſiam erudiri non dedignãtur, quæ eſt quorundam perditorum hominum temeritas & impietas, ut per eandem Eccleſiam erudiri tam pertinaciter renuant?

Ephes. 3.

Idem ait Orig. Homil. 1 Luc. 23. Theodoretus in immutabili. Hieron. lib. 2. in epiſt. ad Eph.

Conſule lib. 2. ſent. diſt. 11. Et Bibl. ſanctam annot. 299. lib. 6

CAPVT VI.

PROPTEREA, ut nihil commune haberet cum Hæreticis, & cæteris omnibus impijs Eccleſia, non eſt uerita, non modò diuerſa ſtatuere, ſed etiam quæ priùs erãt recepta, mutare: ſciens non permiſſionibus, ſed contrarijs conſtitutionibus hæreſes extirpandas eſſe: necnon ſuæ authoritatis eſſe, ut errores notorij à fideli populo tollerẽtur. Sanctiſſimam rem eſſe ieiunium & Chriſti, & Patrum, & tot ſacrarum literarum teſtimonijs conſtat: attamen ex ſententia diui Auguſtini, & eccleſiaſtica authoritate cautum eſt,

Vt nihil cũ Hæreticis commune haberet Eccleſia etiam receptos ritus nonnũquam immutare cõſueuit.

D. Aug. contra Manichæos To.

2. in Concil. Gangrenſ. cap. 18. D. 30. ſi quis tanquam.

ut nullo quidem pacto die Dominico ieiunaretur, ne populus catholicus cum impiis Manichæis dogmatizare diceretur: qui quaſi ſacra ſolemnitate ſtatuta, præter eccleſiaſticũ morem, die Dominico ieiunandum eſſe cenſebant. Chriſtiparam uocari Mariam uolebat Neſtorius, idq́ue ſcripturarum teſtimonio probari contendebat: & certè non mentiebatur. Quod nullo pacto recipiendum arbitrati ſunt Patres in Concilio Epheſino, ſed Deiparam uocari conſtituerunt: ne Mariam purum tantùm hominem peperiſſe aliqui cum eodem impiiſſimo Neſtorio ſuſpicarentur. Recipiendum ergo ſtatuit Eccleſia, quod non erat in ſcripturis ita perſpicuũ: & quod erat in ſcripturis clariſſimum, atque ueriſſimum, ab eo, ne qua occaſio hæreſis fouendæ daretur, ſumma pietate & prudentia abſtinendum pro tempore cenſuit. Siquidem cùm ſcriptura catholicæ Eccleſiæ fidei atque authoritati cõmendata ſit, Quiſquis Eccleſiæ ſententiam amplectitur (ut aduerſus Creſconium ait diuus Auguſtinus) ſcripturam ipſam ſequitur, etiam ſi ſcripturæ uerba Eccleſia non tenere uideatur. Ex canone Apoſtolorum ſancitum erat, ut baptizandi trina merſione abluerentur: in quarto tamen Concilio Toletano ſancinit Eccleſia, ut ſemel tantùm fideles in baptiſmo mergerentur, ne uidelicet quiſpiam putaret (ut quidam Hæretici putauerunt) quòd quemadmodum trina erat merſio, ita triplex quoque eſſet trium diuinarum perſonarum ſubſtantia. In azymo pane ſacramentum Euchariſtiæ Chriſtum confeciſſe legimus: qui ritus fuit aliquando intermiſſus propter Ebionitarum & Nazaræorum hæreſim, qui legalia nullo pacto omittenda eſſe à Chriſtianis hominibus contendebant. Quamobrem non niſi in azymo ſacramentũ iſtud confici poſſe affirmabant: ex eo quod omnis oblatio, quæ offertur Domino iuxta legem, abſque fermento eſſe debet. Quare, ſepoſito Chriſti ritu, conſtituit Eccleſia, ut in fermentato pane Euchariſtia conficeretur: ne cum Hæreticis Catholici aliquid commune habere uiderentur; non ignara hoc ſacramentum indifferens eſſe ad utrumq́ue, parumq́ue

D. Aug. aduerſus Creſconium grammaticum, lib. 1. cap. 33.

Matth. 26.
Luc 22.
Dom. Soto in 4. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 4. arg. 12.

Leuit. 2.

rumque referre in azymo ne an in fermentato conficiatur: tametſi in Euchariſtiæ materia conuenientius utuntur Latini azymis, quàm Græci fermentato. Cùm uerò euanuit Ebionitarum & Nazaræorum hæreſis, ad intermiſſum in azymo conſecrandi morem ſibi redeundum eſſe Romanæ quidem Eccleſiæ uiſum eſt. Non ut dies Dominicos, ſed ut Sabbatha ſanctificaremus diuino edicto ſancitum erat: & tamen Apoſtolica authoritate ſtatutum eſt (ne quid commune cum Iudæis Chriſtiani habere dicerentur) ut pro Sabbatho Dominicus dies ſanctificaretur. Eadem ratione Eccleſia Iudaicum Paſcha reiecit, & ex uno in alium diem illud trāſferens, ſtatuit, Chriſtianum Paſcha alio tempore, & alio ritu celebrandum. Nam (ut ait magnus ille Conſtantinus Auguſtus) nullo pacto illos ſequi debemus, quos manifeſto errore loborare conſtat. Quin etiam ſummo ſtudio & ardētiſſimis uotis adniti debent Catholici, ne Chriſtianæ religionis puritas ullam ſimilitudinem referat rituum hominum peſſimorum. Siquidem cùm à Saluatore in aliam ſimus uiā inducti, nihil cum impiis commune habere debemus. Circuncisionem accepiſſe Chriſtum, apertè Euangeliſtæ teſtantur: Eccleſia autem cum Paulo præcipit fidelibus ne circuncidantur, aſſerens circunciſis Chriſtū nihil prodeſſe: quodq́. qui circunciduntur, adhuc ſub lege ſunt, & à gratia exciderunt. Chriſtum Euchariſtiæ ſacramentum pranſis dediſſe ſcimus: Eccleſia uerò (excepto duntaxat uiatici caſu, quo pranſis etiam dari permittitur) non niſi ieiunis dandum eſſe ſtatuit. Erexit Moyſes ex Dei iuſſu ſerpentem æneum, de quo etiam Euangeliſtæ meminerunt: qui tamen poſteà ab Ezecchia Rege cum laude & piè deiectus eſt. Baptizandos eſſe, id eſt, mergendos, & abluendos fideles in ſacramento illo fidei præcepit Chriſtus: eccleſiaſtica tamen cōſuetudo pluribus in locis obtinuit, ut in baptiſmo non mergerentur, ſed tantùm perfunderentur fideles: quod fieri poſſe diuus Cyprianus aduerſus quoſdam ſui temporis Hæreticos contendit. Cùm Chriſtus diſcipulorum pedes lauit, hoc ut ſo-

Cōſule Conciliū Florentinū. p. 3.

Exod. 20.

Conſtātinus Auguſtus in Epiſto. quam miſit Epiſcopis qui ad Nicænum conciliū uenire non potuerunt.

Theodoritus, Hiſto. Eccl. lib. 1. cap. 10.

Euſebius de uita Cōſtantini, lib 3.

Socrates Hiſto. Eccl. lib. 5. cap. 22.

Luc. 2.

Gal. 6.

Matth. 26.

Mar. 14.

Num. 21.

Iohan. 3.

4. Reg 18.

Matth. 28.

D. Cyprianus, lib. 4. epiſto. 7.

Iohan. 13.

D.Cyprianus de ſacramẽtis, lib. 5. cap. 1.

lemni deuotione à fidelibus perpetuò obſeruaretur inſtitutum fuiſſe, idem diuus Cyprianus ex apertis Euangeliſtarũ uerbis deducit: quod nunc magna ex parte in uniuerſa ferè Eccleſia abolitum eſſe uidemus. Viuente Domino, & poſt eius obitum in ipſo Euangelicæ prædicationis initio, Chriſti fideles non Chriſtiani, ſed diſcipuli uocabantur: quod non multò poſt Antiochiæ immutatum fuiſſe ab Apoſtolis, acta Apoſtolorum teſtantur, ne quid commune cum nouorum dogmatum authoribus haberet Eccleſia. Siquidem (ut diuus Athanaſius aduerſus Arrium aſſerit) quidam Apoſtolorum aduerſarij, Apoſtolicæq́. doctrinæ impugnatores, & ipſi omnes ſectatores ſuos diſcipulos nominabant. Viſum eſt Spiritui ſancto in exordio naſcentis Eccleſiæ, ut aliqui legales ritus magna religione ſeruarentur, quos poſteà, eodem Spiritu ſancto dictante, prorſus Catholica quidem Eccleſia abrogauit. Decretum fuit ab Apoſtolis, ut fideles ab Idolothytis, & ſanguine ſuffocato abſtinerent: quod obſeruatum perpetuò non fuit. Præcepit Paulus, ut mulier operto, uir autem aperto capite orarent: quod neque etiam apud omnes receptum eſt. Immo enimuerò eundem Paulum ijſdem de rebus alio atque alio modo, prout temporum & hominum ratio exigebat, ſcribentem & prædicantem cõperies, ſiquidem Romanis magna cum indulgentia de delectu ciborum ſcribit: Coloſſenſibus autem eadem de re non itidem, ſed maiore cum libertate atque fiducia, atque hoc identidem inuenies ipſum multis alijs locis factitatem. Cuius quidem differẽtiæ cauſam nullam aliam fuiſſe affirmat Chryſoſtomus, quàm ipſum epiſtolarum tempus: initio enim indulgendum erat, poſteà autem non ita. Nam quemadmodum medicus cum ijs, qui in morbi adhuc ſunt initio, & cum ijs qui ad ualetudinis finem iam peruenerunt, & quemadmodum magiſter cum diſcentibus ab initio pueris, & cum ijs qui perfectiori doctrina indigent, non eadem ratione agit: ita & Paulus. & quemadmodum Paulus, ita etiam & ſancta mater Eccleſia cum filijs ſuis agere curat.

Act. 11.

Act. 15.

1. Corinth. 8. Apoc. 2. 1. Corin. 11.

Rom. 14. Coloſſ. 2.

Hinc

Hinc cùm adhuc eſſet paruula Eccleſia, erant fidelibus com munia omnia, cibi afferebãtur in templum, omnibus itidem, teſte Ambroſio, dabatur uulgò (ut plebs fidelium propagaretur) euangelizandi, baptizandi, & ſcripturas in Eccleſia interpretandi facultas: quæ omnia, ubi Eccleſia adoleuit, Patrum decretis irrita facta ſunt, quò cũcta ritè fierent in domo Domini: & ita irrita facta ſunt, ut ſi qui nunc idẽ illud neceſſariò ab omnibus fieri ſic oportere contenderent (ut multi recentiores Hæretici ſumma cum pertinacia contendunt) alieni à catholica Eccleſia cenſerentur. Si igitur Apoſtolica & orthodoxa Eccleſia noua nomina confingere, aut nouos ritus inſtituere, aut intermiſſa dogmata reſtituere & inſtaurare quandoque conſueuit: id certè uel ad ueram religionem conſeruandam & propagandam, uel ad inſurgentium Hæreticorum nouitates opprimendas effecit: quod diuerſa ratione ab hæreticis nouitatis ſtudioſiſſimis factitatum fuiſſe ſemper experti ſumus. Hæretici enim innouare cupiunt omnia, non ut ædificent, ſed ut Eccleſiam funditus euertant, atque peſſundent.

D. Ambroſius, epiſt. 4 ad Epheſios.

CAPVT VII.

GRAVISSIME itaque Purpuratorum atque Poloniæ, quin etiam Eccleſiæ totius iubar & decus, Cardinalis Hoſius dixit: quòd non ſtatim oportet in exemplum trahi, ſi quid ſic aut aliter fuit Apoſtolorũ temporibus obſeruatum. Nam fides Apoſtolorum neceſſariò nobis retinẽda eſt, ſi ſalui eſſe uolumus, nec minima ex parte uiolanda. Ritus uerò Apoſtolorum, ſi uel temporum, uel locorum, uel perſonarum ratio poſtulat, mutari non modò nefas non eſt: uerùm etiam expedit nonnumquam, dummodo id non alicuius priuata libidine, ſed Eccleſiæ totius publica authoritate fiat. Salua enim charitate, qua una (ut aperto Chriſti oraculo pronuntiatum eſt) legitimi ab adulterinis diſcipuli Domini internoſcuntur: quæ pertinent ad ritus, quãdo res

Ritus apoſtolici immutari poſſunt ab eccleſia, fides uerò Apoſtolorum nõ itidem.

Iohan. 13.

res ita poſtulat, citra tumultum Eccleſiæ permutare, numquam nefas eſt habitum. Fieri namque poteſt, ut quod expediebat uno tempore, non expediat alio. Quocirca non ſtatim peccare cenſenda eſt Eccleſia, ſi quæ fuerint eius generis à Domino prolata, vel ab Apoſtolis decreta, vel à catholica Eccleſia aliquando conſtituta, probabilibus ex cauſis mutat. Neque enim omnia quæ Dominus, Apoſtoli, & Patres conſtituerunt, hòc animo ab eis conſtituta eſſe credendum eſt, vt ea perpetuò ſic ab omnibus obſeruarentur; neque licitum eſſe vellent Eccleſiæ, prout tempus & ratio poſtulat, ea nonnumquam variare, aut obſcuris & veteribus ſplendorem, & venuſtatem addere. Non debet, inquit ſummus ille Pontifex, reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm vrgens neceſſitas, & euidens vtilitas id expoſuit: quoniam ipſe Deus ex ijs, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in nouo. Hæc ille. Ex quibus inferendum eſt, hunc in modum, id eſt, quò ad ritus non quò ad dogmata fidei, & religionis ſubſtantiam, priora concilia pleniora (vt ait Auguſtinus) poſterioribus emendari. Nam ſi particularia alicuius prouinciæ aut Regni concilia etiam in dogmatibus fidei per generalia corrigantur (vt Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano accidiſſe legimus) non eſt mirum. Quandoquidem particularia concilia Oecumenicorum conciliorum, & maximè Apoſtolicæ ſedis authoritati cedere conſentaneum eſt. Exquò concilia generalia in credendis ſe non deſtruxerunt, cùm ad reformandos hominum mores, & regendam Eccleſiam, pro locorum, temporum, & perſonarum ratione ſine aliqua fidei iactura aliquando variè ſtatuerunt.

Leges pro ratione temporũ mutandas eſſe, etiã ipſi legum libri declarãt. D. Augu. Confeſſ. lib. 3. cap. 7.

Innocentius 3. de conſanguinitate & affinit. cap. Non debet.

D. Augu. de Baptiſmo cõtra Donatiſtas lib. 2. cap. 3. Tom. 7. Idem Auguſtini locus explicatur ab authore clarius ſupra in 2. lib. in fin. cap. 12

Conſule Echium in Enchiridion. in Tit. de Concilijs, & de primatu ſedis Apo. & Petri in fine.

CAP. VIII.

PRAESERTIM cùm non quicquid verum eſt, & ad veritatem fidei quoquo modo pertinet, continuò eccle-

Multa adhuc non ſunt defini-

ſiaſtica definitione certum ſit. Nec dum enim omnia defi-nita ſunt, ſed (vt catholicæ fidei propugnator acerrimus Albertus Pighius egregiè affirmat) pleraque adhuc permiſſa ſunt inquiſitioni diſcuſſioniq́. fidelium, vt ſalubriter exerceantur ingenia, & excitentur ſtudia: de quibus in vtramq́. adhuc partem libere diſputatur ab orthodoxis, & vtrauis pars licitè aſſeritur: tam et ſi altera pars vera ſit, & falſa altera. Quot præſtantiſſimi Thologi ſecuti Platonem, Dæmones eſſe aëreos ſpiritus, & Angelos ætherea animantia: denique virtutes omnes cæleſtes (licèt non carne ſubſiſtentes) corporeas eſſe aſſeruerunt? Quicquid enim loco circumſcribitur, corporeum eſſe neceſſe eſt. Etenim nihil incorporeum, & inuiſibili natura credendum eſſe putauerunt, niſi ſolum Deum. Cuius quidem ſententiæ fuiſſe olim diuum Auguſtinum, & nuper Cardinalem Caietanum, illorum ſcripta teſtantur. Ex alia autem parte non pauci & quidem clariſſimi atque grauiſſimi Patres Concilij Lateranenſis maximi ſub Innocentio III. celebrati verba ſectantes, Angelos omninò corporis expertes poſuerunt: ea præſertim authoritate ducti, qua dicitur, quòd Deus ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & ſpiritualem, Angelicam ſcilicet & mundanam: quibus verbis optimi illi Patres corporali ſpirituale oppoſuerunt, quæ lis adhuc eſt ſub iudice: nec dum enim eiuſmodi controuerſiam eccleſiaſtica cenſura terminauit. Hoc ipſum de beatæ Virginis Conceptione dicendum eſt. Rectè enim cùm ſubtili, & præclariſſimo doctore Scoto aſſeritur, eam fuiſſe prorſus omnis peccati originalis expertem: quòd ſi oppoſitam ſententiam cùm doctore Angelico, & Theologorum Principe diuo Thoma tenuerimus, non errabimus. Et tamen vtrumque (cum ſint contraria) verum eſſe non poteſt: neceſſe eſt enim vt tandem horum alterum verum ſit, & falſum alterum. Quid etiam ſit peccatum originis, adhuc hodie ex eccleſiaſtica definitione certum non eſt: ita fit vt quidam ipſum dicant concupiſcentiam carnis nobis congenitam. Alijs videtur

ta ab Eccleſia, quæ inquiſitioni fidelium libera relinquuntur.

D. Aug. ad Nebridiũ epiſt. 115. & in lib. de eccl. dogmatibus cap. 2. & 12. & in q. 67.

Caiet in cõment. ad Epheſios c. 2.

uidetur non ea eſſe, ſed carentia originalis iuſtitiæ. Alij utrumque in eius ratione complectuntur. Alijs uerò nihil horum uidetur omnium: ſed ipſum peccatum originis eſſe Adam, cuius reatus conſtringit omnes communis propagationis lege ab eo natos eius filios. His & hæc quoque addi poſſunt, nempe, Vtrum ſub una ſpecie Angelorum ſint plures Angeli, an potius quilibet ſuam ſpeciem conſtituat. Pariter, ſint ne compoſiti ex materia & forma, an formæ tantùm. Item, ſint in loco per operationem, & per eſſentiam, an duntaxat per operationem. Præterea, utrum in diuinis (de poſſibili loquor, non de facto) poſſibile ſit frui eſſentia, non fruendo perſonis. Vtrum diuinæ perſonæ relationibus conſtituantur. Vtrum ſi Spiritus ſanctus non procederet à filio, diſtingueretur ab ipſo. Vtrum prædeſtinatio, & reprobatio habeant cauſam. Vtrum Paradiſus ſit in concauo orbis lunæ, an alibi. Vtrum ſi Adam non peccaſſet, Verbum caro factum fuiſſet. Vtrum reſurrectio mortuorum ratione naturali probari poſſit. Vtrum omnes in fine ſæculi adueniente Chriſto morituri ſint, an potius ij qui uiui reperientur, in immortalitatem erunt repente mutandi, & id genus reliqua: quæ (ni fallor, ſi tamen fallor, & in his, & in cæteris omnibus catholicum & ſanctiſſimum Apoſtolicæ Sedis iudicium non recuſo) ex apertis Eccleſiæ decretis adhuc certa eſſe non uidentur. Quamobrem fit, ut quicquid horum quis dixerit, & ſi erret, non peccet, errans: nec eſt Hæreticus, quamdiu ex eccleſiaſtica definitione quid eorũ quodlibet propriè & uerè ſit, certum non eſt.

Conſule Scotum in 1. ſen. diſt. 26.

Submittit ſe author Apoſtolicæ ſedis iudicio.

CAPVT IX.

Non omnia ſimul nota fuerũt in Eccleſia, ſed nõnulla alijs atque alijs temporibus definita & declarata ſunt.

QVIN (ut nos ſupra dicebamus, &, ut idem eruditiſſimus Pighius his ferè uerbis affirmat) non omnia quæ nunc certa ſunt, ex definitione traditionis eccleſiaſticæ ſemper certa extiterunt omnibus: nec ſimul omnia definita fuerunt ab initio, ſed ſucceſſiuè ſuis quæque temporibus. Pro-

pagatum

pagatum erat Chriſti Euangelium longè lateq́ue per multas prouincias, acceperant Apoſtoli Spiritum ſanctum, & tamen ijdem Apoſtoli planè ignorabant, num Chriſtus ipſis quoque gentibus miſſus eſſet, uſque dum cœleſti oraculo moneretur Petrus accedere ad Cornelium, & de hoc ipſe cæteros Apoſtolos certiores reddidit. Primitiuæ illi ex Iu- *Act. 11.* dæis Eccleſiæ ab initio, & deinde annis multis certum non erat, legem Moſaycam iam tum euacuatam per Chriſtum, atque ipſos ea non obligari unà cum Euangelio: immo acta teſtantur Apoſtolica, Apoſtolos ſtudioſè & data opera ca- *Act. 15. & 16.* uiſſe, ne illis innoteſceret hæc fidei ueritas, ut potè quam intelligebant multis obſtaculo & ſcandalo fore, ne ad Chriſti fidem conuerterentur: at poſt ablato eo ſcandalo, etiam hæc ipſa omnibus innotuit fidei ueritas. Multa deinde, & *Ante definitionem Eccleſia errare poteſt fidelis ſine nota hæreſeos.* alia noſtræ fidei ab initio certa omnibus non fuerunt, quæ poſt ex definitione Eccleſiæ certa facta ſunt, antequàm error de iiſdem nemini uertebatur culpæ, præſertim illi capitali & funeſtiſſimæ, quæ dicitur hæreſis. At poſtquàm eccleſiaſtica definitione certa facta ſunt: qui illi iam ſibi non *Contumax tranſgreſſor Eccleſiaſticæ definitionis hæreticus eſt.* ignoratæ aduerſari, uel aliud affirmare, & docere præſumerèt, is ille iam uerè erat Hæreticus, & error eius peſtilentiſſimus & damnabilis habebatur. Agrippinus ille quondam Carthaginenſis Epiſcopus, Hæreticorum odio & execratio- *Dom. Soto, in 4. ſent. diſt. 1. q. 3. art. 5.* ne omnia apud illos ſacramenta irrita eſſe primus docebat. Rebaptizandos proinde baptizatos ab ijſdem, ſi qui ex eis reuerterentur ad gremium Eccleſiæ catholicæ, & multis ſcripturarum authoritatibus àdeò probabiliter ſuam hanc opinionem aſtruxerat, & pleriſq́ue perſuaſerat, ut etiam ſanctiſſimum illum & doctiſſimum Pontificem, & martyrem Cyprianum, unà cum uniuerſo illo ſuo numeroſiſſimo ſanè *Conſule Concilium Carthaginenſe ſub Cypriano.* Aphricano Epiſcoporum Concilio, in erroris illius ſui aſſenſum pertraxerit. Sed quia hoc eatenus eccleſiaſtica definitione certum non fuerat, quod paulò poſt beati Cornelij & Stephani Romanorum Pontificum, atque Apoſtolicæ Sedis definitio certum reddidit, quam ſecuta eſt uniuerſa per

orbem Chriſti Eccleſia: factum eſt, ut Donatus poſt illam definitionem idem aſſerens, ſit habitus Hæreticus: illorum autem, nimirùm Agrippini, & Cypriani, ſancta & glorioſa apud nos perduret memoria. Authores, & primi inuentores falſi & erronei dogmatis ſint Catholici: ſectatores uerò rectè iudicentur Hæretici. Abſoluantur magiſtri, condemnentur diſcipuli. Conſcriptores librorum opinionis erroneæ filij Regni ſint: aſſertores uerò gehenna ſuſcipiat. Ita quoq. beati Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi & martyris, Lactantij Firmiani, diui Hilarij, Beati Ambroſij, & aliorum multorum ſancta & glorioſa perdurat & celebratur memoria in Eccleſia. Si quis tamen quæ in eorum ſcriptis omnia nunc uellet aſſerere, pòſt certam de pleriſque eorum ueritatem contrariam ex definitione traditionis eccleſiaſticæ, is meritò damnaretur ut Hæreticus. Animas Sanctorum antè diem Iudicij non uidere eſſentiam Dei, ſed tantùmmodo eſſe ſub altare Dei, id eſt, ſub humanitate Chriſti feliciter conquieſcere, tenuit Bernardus, Auguſtinus, Ambroſius, & complures alij orthodoxi Patres: ſed cùm Eccleſia illorum temporibus nondum aliquid certi in hoc articulo ſtatuiſſet credendum, hic error nihil officit eruditioni & pietati tam illuſtriũ Patrum: ſiquidem (ut ex diuo Auguſtino de Geneſi ad literam capite nono didicimus) Sentẽtia aliqua probabilis, tamdiu non eſt contrà fidem, donec aut ueritate certiſſima, aut authoritate eccleſiaſtica refellatur.

Conſule Bibl. ſanctam, annot. 345 lib. 6.

CAPVT X.

Quòd antè definitionem Eccleſiæ nullus re uera hæreticus cenſendus eſt. Et quòd ſpiritus particularis errare poteſt, at non ſpiritus aſſiſtens Eccleſiæ.

QVARE de cuiuſque ſententia in fide erronea, quæ in ſcriptis cuiuslibet doctoris legitur, ut rectè iudicari poſſit, an deputari culpæ capitali, & crimini hæreticæ prauitatis debeat, diſtinguere tempora oportet, & prudenter diiudicare, in iis maximè quæ in ſcripturis non conſtant, is ille an definitionem de eadem Eccleſiæ contrariam ſubſecutus ſit, an uerò præceſſerit. Nã ſi præceſſerit, nulli id uitio, nulli culpæ,

culpæ, nulli crimini eidem aſcribi poterit: nec ipſe propte- *Dom. Soto, in 4. ſent. diſtin. 2. q. 5. art. 5.*
reà damnari ut Hæreticus, nec eius ſcripta cenſenda ſunt
hæretica: tametſi error perſtringi, & notari poſſit, & lector
admoneri, ne illi ſit offendiculo: ſecus erit, ſi is ille ſubſe-
cutus ſit definitionem eiuſmodi ſibi non incognitam: niſi
ut Theologus definitionem illam diſcutiat, ad id faciendum
rationabilibus & maximis cauſis adductus, atque eccleſia-
ſtico iudicio ſe ſubmittens. Neque enim debet Theologus,
utcumque præſtãtiſſimus, in quæſtionibus Religionis, & ma-
ximè in dogmatibus fidei, eccleſiaſticam & catholicam cen-
ſuram, atq. iudicium abhorrere: tametſi per cauſam ſe ſci-
re profiteatur, & aſſertionum ſuarum probabiliores, quàm
habet Eccleſia cauſas ſe habere putauerit: quandoquidem
humanæ rationes (etſi demonſtrare uideantur) quandoque
fallaces ſunt. At ſpiritus qui regit Eccleſiam, numquam men
dax eſſe poteſt, ſed ſemper uera ſuggerit: quia à Deo eſt.
Cùm enim loquuntur homines, falli & fallere poſſunt, quia
ex ſuo ſpiritu loqui poſſũt: cùm autẽ loquitur Eccleſia, nec
falli, nec fallere poteſt, quia non ex ſuo, ſed ex diuino ſpiritu
ſemper effatur: cuius quidẽ rei in ſacris literis pulcherrimũ *2. Reg. 12.*
habemus exemplum. Nathan enim prophetam ſanctũ uirum
fuiſſe ſcimus, qui Dauidem Regem, & de culpa apertè repre
hendit, & quæ ei pro culpa eadem eſſent uentura, nunciauit:
quem tamen dum idem Dauid, quia templum Deo uellet
conſtruere, requiſiſſet, illicò reſpondit: Omne quod eſt in *2. Reg. 7.*
corde tuo uade, & fac, quia Dominus tecum eſt. de quo il-
lic ſtatim ſubditur: Factus eſt ſermo Domini ad Nathan di-
cens: Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid. Hæc dicit
dominus Deus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad ha-
bitandum? neque enim habitaui in domo ex die qua eduxi
filios Iſrael de terra Aegypti, uſque ad diem hanc. Et paulò
pòſt: Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum Pa-
tribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur
de utero tuo, & firmabo Regnum eius: ipſe ædificabit do-
mum nomini meo. Ecce Nathan propheta qui priùs Regi

dixerat, uade & fac: ipſe poſtmodū prophetiæ ſpiritu edoctus, hoc fieri non poſſe denuntians, & Regis conſilijs, & ſuis ſermonibus contradixit: quia quod de ſuo ſpiritu dixerat, falſum fuiſſe comprehendit. Quemadmodum igitur prophetæ dum conſuluntur, ex magno uſu prophetandi, quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe illa ex prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur, quæ tamen de ſuo ſpiritu ſunt (nam prophetiæ ſpiritus nec ſemper, nec eodem modo Prophetæ animum tangit) ita etiam omnes quicumque de Deo loquũtur, etiam ſi ſanctiſſimi uiri ſint, quandoque mentiri poſſunt, cum ſua enunciant, & cũ à diuino ſpiritu deſtituuntur: quòd ſanè à catholica Eccleſia omnino alienum eſt, utpotè quæ nec mentiri aliquo modo, nec unquam à diuino ſpiritu deſtitui poteſt.

CAPVT XI.

Authoritatē Eccleſiæ plerumque tutiorem eſſe authoritate ſcripturarum nonnullis rationibus et Patrum ſententijs comprobatur.

SIT igitur hic canon fundatiſſimæ (ut diui Auguſtini uerbo utar) ueritatis: Catholicam & uiuentem Eccleſiam plus ualere, quàm mortuos codices: ſiquidem codicibus publicam authoritatem dedit Eccleſia, non codices Eccleſiæ: & ſcriptura propter Eccleſiam, non Eccleſia propter ſcripturam inſtituta eſt: ac ſine authoritate Eccleſiæ ſcriptura quomodo eſt authentica? Hinc Nicodemi & Bartholomæi, qui Chriſtum uiderunt & audierunt, euangelia fuerunt reiecta: Marci autem, qui Chriſtum non uidit, Euangelium inter canonicos & ſacros libros numeratur. Id autem qua authoritate factum eſt, niſi eccleſiaſtica? Etenim creditum eſt ſacris Euangeliorum codicibus non propter Euangeliſtarum inſcripta nomina, ſed propter Eccleſiam, quæ à Chriſto traditæ ſibi poteſtatis annulo illos ſignauit, & ſua diuina authoritate ſacros atque catholicos eſſe declarauit. Quemadmodum igitur ab Eccleſia accepimus ſacra Euangeliorum uolumina, & cæteros omnes diuinæ ſcripturæ canonicos codices: ita etiam illorum interpretatio & intelli-

gentia

gentia ab eadem Eccleſia nobis neceſſariò petenda eſt, ut ſit ſolus Deus benedictus in ſecula, qui dedit talem authoritatem hominibus: quòd profectò Eccleſiaſticum ius ſupra ſcripturas neceſſariò Legatis Chriſti, & ſacris proceribus, ob ſcripturarum deprauatores, tributum eſt. Nam licèt uniuerſa ſacrarum ſcripturarum non ſolùm placita, ſed uerba etiam ſingula ueriſſima ſint, nec ullum in ſcripturis ſacris ſit mendacium: attamen à mendacijs, quæ in ſcripturis explicandis falſi interpretes afferre conſueuerunt, ſacræ literæ prorſus immunes eſſe non poſſunt. Vtinam omnes eſſent ſacrorum librorum fidi interpretes: quia nullæ unquam fuiſſent in Eccleſia hæreſes, nec modò Petri nauicula tot diſſentionum fluctibus agitaretur. Præſertim cùm (ut nos toties diximus, & ut rectè in Commentarijs ad Galatas docet diuus Hieronymus) uera euangelicæ legis uis, ſit non in mortuis literarum notis, ſed in ſenſu: non in uerborũ ſuperficie, ſed in medulla intelligentiæ: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis: ſin aliter ſine cauſa Chriſtus aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas. Idcirco irrefragabilis doctor Auguſtinus, cùm in difficiliores ſcripturæ locos incidebat, ad Eccleſiæ catholicæ magiſterium, & ad diuinam illius authoritatem, tamquam ad ſacram anchoram confugiebat. Hinc ad Paulinum de quibuſdam difficilioribus ſcripturæ uerbis loquens, inquit: Eligo in his uerbis hoc intelligere, quòd omnis penè frequentat Eccleſia. Et libro quinto de baptiſmo contra Donatiſtas, atque in epiſtola ad Vincentium de baptizandis ijs, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam ueniebant, poſthabito diui Cypriani, & Concilij Carthaginenſis decreto, Eccleſiæ uniuerſalis conſenſui, & magiſterio ſe ſubijciens, ait: Illa quæ ſcribit Cyprianus cum collegis ſuis nullo modo præferenda ſunt aduerſus totius Eccleſiæ conſenſum. Et libro contra Manichæos idem doctorum princeps affirmat, in re dubia ad fidei certitudinẽ multum ualere Eccleſiæ authoritatem, quæ ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus uſque in hodierum diem ſuccedentiũ,

Quòd neceſſariò & magna Dei prouidentia patrocinium ſcripturarum demandatum ſit Eccleſiæ propter Hæreticos.

In dubijs fidei quæſtionibus ſemper omnes Catholici ad Eccleſiã tamquam ad ſacram anchoram confugerunt.

ſibimet

ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Quamquàm non eſt hic profectò prætereundum, nec aliquo pacto impiè diſſimulandum, poſt editam à catholica Eccleſia ueram ſacrorum librorum, & diuinæ uoluntatis intelligentiam, ſcripturam eſſe ſummæ authoritatis: ita ut omnes illi cedere debeant, nec amplius aliqua ex parte à quouis eam immutari, augeri, aut minui poſſe: quia verbum Domini manet in æternum. Hinc poſt collatum cum Eccleſiæ Primatibus Euangelium, iure Paulus reſtitit in faciem Petro, ne Euangelij gratia, & verbum Domini aliquo modo adulteraretur: vtque ne minima quidem ex parte violaretur quod erat diuino ſpiritu, & publica, atque vnanimi Apoſtolorum authoritate ſtatutum. Hinc etiam neque vnquam Eccleſia mutauit inſtitutionem Chriſti, & Apoſtolorum traditionem in præcipuis fidei canonibus, & ſacramentorum vſu. Neque enim Eccleſia poteſt nouos fidei articulos condere, aut noua ſacramenta inſtituere, aut prorſus negligere præcepta Domini, & ſine expreſſo Dei verbo, aut afflatu illi contraria conſtituere. Etenim, vt ad Galatas ſcribens diuus Paulus teſtatur, Anathema eſt quicumque ille fuerit, ſit licèt Dei Angelus, qui præter id quod euangelizatum eſt, euangelizat. Cur autem anathema eſt, niſi quia docet præter id quod accepit? tranſgreſſus eſt paternos limites: diuinæ legi contraria enunciauit: non nouè, ſed noua: non aliter, ſed aliud docuit. Aliter enim, & pluſquàm dictum eſt, catholicus dicere poteſt: præter, & vltra, hoc eſt, aliud aſſerere, non poteſt. Quòd enim eſt vltra, & præter, tranſcendit ſtatuta Patrum, tranſgreditur præfixos fines, & extra diuinam & apoſtolicam eſt traditionem. Commentum humanum eſt, & merum mendacium, quod diuino iuri repugnat: quo in genere numerat Chriſtus illas Phariſæorum traditiones, cùm inquit: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Huiuſmodi, & conſimiles hominum vanas traditiones diuinæ legi repugnantes, & idcirco fallaces, & adulterinas, cùm ſint in reproba-

tionem

Authoritas ſcripturæ indicio eccleſiaſtico firmata prorſus irrefragabilis eſt & ſacroſancta.

Gal. 2.

Gal. 1.

Aliter quàm traditum eſt enunciare poteſt catholicus, ſed non aliud, neque præter & vltra.

Matth. 15.

tionem (vt inquit diuus Baſilius) mandati Dei, nullo modo ſequi oportet: quod vtique de traditionibus, quæ ſunt in Eccleſia catholica, intelligi nequaquam poteſt. ſin ſecus, fruſtrà Legatis, & miniſtris ſuis dixiſſet Chriſtus: Qui vos audit, me audit. Et, Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus. Item, Sicut miſit me viuens Pater, ita ego mitto vos. Et, Ero vobiſcum vſque ad conſumationem ſeculi. Quocirca nullo pacto dubitandum eſt (vt beatiſſimus Leo conſtantiſſimè aſſeuerat) traditiones ab Eccleſia retentas, à traditione Apoſtolica, & de Spiritu ſancti prodijſſe, atque prodire doctrina.

D. Baſilius in ſumm. Sent. moral. Sent. 25. vel 23.
Luc. 10.
Matth. 18.
Iohan 6.
Matth. 18.
Leo Papa in ſerm 2. de Pentecoſte.

CAPVT XII.

NON fortuitò igitur cæleſtis illa Aquila Iohannes, diſcipulus ille, quem diligebat IESVS, qui ſupra pectus Domini in cæna recubuit, qui fluenta Euangelij de ipſo ſacro dominici pectoris fonte potauit, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia, cui Virginem matrem cōcredidit Dei filius, & ab eodem viciſſim virgo virgini commendatus eſt, de ſeruis & legatis Dei (inter quos ipſe in primis numerabatur) ſcribens, hæc ſuis ſacris literarum monumentis diuina verba tradidit, inquiens: Qui nouit Deum, audit nos: Qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognouimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris. Cur qui nouit Deum audit nos, & qui non eſt ex Deo, non audit nos? niſi quia hæc eſt diuinæ munificentiæ & prouidentiæ ſingularis & mirabilis diſpoſitio, vt dona ſua non caſu, aut præpoſterè, ſed miro quodam modo, & ſumma quadam ratione diſpenſet: quod vnicuique rei conducit, illud per apta & conuenientia media conſultò, & ex ordine diſponens, ne confuſio aliqua, ſeu ordinis perturbatio ſit in domo Domini. Exquò fœcundat terram aquis, cælo aquas, cælum motu & axe ſuſtinet, ſole cuncta illuſtrat, & complet, legibus reſpublicas, regna regibus, ſacra ſacerdotibus adminiſtrat. Alij in orbe

Legatis & miniſtris Dei obtemperare non paruam neque vulgarem diuinæ voluntatis notitiam arguit.

Iohan. 1. Epiſt. cap. 4.

Quòd omnia à Deo rite condita atque diſpoſita ſunt.

in orbe præſident, & imperant, alij ad nutum parati ſunt, & imperium non recuſant. Sic infirmiora potentioribus cedunt, & inferiora ſuperioribus gubernantur: ſi qui hunc ordinem inuertunt, nec Deum cognoſcunt, nec Deum habẽt patrem: etenim id genus homines ſpiritu erroris ducuntur, qui contrarius eſt ſpiritui ueritatis. Quocirca diuus Paulus *Rom.8.* ad Romanos ſcribẽs aiebát: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Non omnes in Chriſtiana republica ſunt ſacerdotes, quamuis omnes, qui ſub ſalutari & inuictiſſimo Chriſti uexillo militant, ſint genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut offerãt per ſacrificium contritionis ſemetipſos hoſtiam immaculatã Deo.

Non omnes in Chriſtiana Republica ſunt ſacerdotes, tametſi omnes ſint genus electum & regale ſacerdotium &c.

Gratiam enim omnibus diuinum numen piè colentibus, omnibus ſuperno lumini non ponentibus obicem, omnibus diuinæ iuſſioni obtemperantibus, uel per ſemetipſum, uel per miniſtros ſuos impartitur munificus & miſericors Deus: gratiæ uerò miniſterium, & ſacrorum myſteriorum adminiſtratio, certè non omnibus datur, ſed paucis admodum, & illis duntaxat, qui ex hominibus aſſumpti (ut diuus *Hebr.5.* Paulus ait) pro hominibus conſtituuntur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſint ijs, qui ignorant & errant. Quoniam & ipſi *2.Reg.6.* circundati ſunt infirmitate. Cur Oza ſubitò cecidit à Domi- *1.Paralip.13.* no percuſſus, niſi quia cadentem Dei arcam, ſuis manibus (cùm id ſuarum partium non eſſet) ſuſtinere auſus eſt? Cur *Num.16.* Abiron, Chore, & Datan repentino terræ hiatu hauſti ſunt, *Eccleſ.45.* deſcenderuntque in infernum uiuentes, & qui ex eis adhæſerunt, igne conſumpti ſunt? niſi quia ſacerdotale munus ſolis Leuiticis à Domino delatum, ualde intemperanter affe- *Num.3.* ctauerunt. Etenim cum Leui fecerat Dominus ſacerdotale *Deut.10.* pactum, nõ cum alia Tribu. Quòd ſi hæc in arido facta ſunt, quid in uiridi? ſi in umbra, quanto magis in ueritate?

CAPVT

CAPVT XIII.

Solus legitimus ſacerdos eſt miniſter ſacramentorum, & uerbi Dei.

RECTE igitur Concilia oecumenica ſtatuerunt, ut ſacramenta, & maximè ſacramentum illud præclariſſimum Euchariſtiæ, quod magna ratione à Græcis patribus Teleta Teletorum, hoc eſt, myſterium myſteriorum appellatum eſt, nemo conficere poſſit, niſi ſolus ſacerdos, qui ritè eſſet initiatus ſecundum claues Eccleſiæ, quas Chriſtus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus conceſſit. Rectè etiam Leo primus ſcribens ad Theodorum Foroliuienſem Epiſcopum in hæc diuina uerba locutus eſt: Multiplex, inquit, miſericordia Dei, ita lapſibus ſubuenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed per pœnitentiæ medicinam ſpes uitæ reparetur æternæ: & qui regenerationis dona uiolaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicatione ſacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confidentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorũ per ianuam reconciliationis admitterent: cui utique operi ipſe Saluator interuenit, nec unquam ab ijs abeſt, quæ miniſtris exequenda commiſit, dicens: Ego uobiſcũ ſum ad conſummationem uſque ſæculi, ut ſi quid per ſeruitutem noſtram bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum ſanctum fuiſſe donatum. Hæc ille. Et certè quæ unquam natio ita commune habuit ſacerdotium, ut ſine diſcrimine omnes ſacerdotis officio fungerentur? Non omnes apud Aegyptios, aut Hebræos erant prophetæ: neq. cuncti apud Indos Gymnoſophiſtæ: neque ſinguli apud Perſas Magi: neque uniuerſi apud Gallos Druidæ: neque omnes denique erant apud Romanos flamines (his enim nominibus illorum ſacerdotes appellabantur) ſed mortalium ſinguli apud uniuerſos omnium gentium populos ſuas partes

Conc. Lateranſ. I. ſub Innocentio III. &c.

Leo 1. epiſt. 9.

Matth. 28.

Vuuitcleffus primùm, deinde Lutherus ambo heredes Diaboli, et coheredes Antichriſti, docuerũt nullos eſſe ſacerdotes à reliquo uulgo diſtinctos, ſed uniuerſos chriſtianos promiſcuè eſſe ſacerdotes, qui in hoc cap. & ſequentibus, cõpluribus

rationibus & exemplis non obſcurè confutantur.

De hac re cõſule Dom. Soto in 4. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 1.

tuebantur. Artifices ſua opera exercebant, Bella gerebant milites, Primites rem populi tractabant, imperabant Reges, Sacerdotes ſacris præerant, pro omnibus preces ad Deum fundentes. Et tamquam legati populi apud Deum, uota & deſideria omnium ad cælum ſine intermiſſione ferentes. Ad hoc enim inunguntur ſacerdotes, nempe, ut negocia populi apud Deum curent, atque etiam Dei uoluntatem populo aperiant. Sunt enim ſacerdotes non modò legati populi ad Deum, ſed uiciſſim etiam Dei ad populum mandata deferunt: nec ſecus ac cæleſtes internuncij de rebus diuinis, ac de ſalute omnium aſſiduè cum Deo & cùm populo agunt: idcirco diuino oraculo omnibus pijs iniungitur, ut legem Dei ex ſacerdotum ore requirant, & ne deſpiciant narrationem presbyterorum, atque ne eos prætereat narratio ſeniorum: etenim illorum labia cuſtodiunt ſcientiam, quia Angeli Domini exercituum ſunt.

Mal. 2.
Deut. 32.
Exod. 19.
Eccl. 8.

CAP. XIIII.

Quod uſqueadeò fuit ſemper in lege Domini ſacerdotale munus unis ſacerdotibus proprium, ut ne potentiſſimis quidem Regibus, niſi ad hoc etiã inuncti fuiſſent, unquã ſacra adminiſtrare licuerit.

QVOD uerè ſummum, & diuinum munus uſqueadeò fuit ſemper in lege Domini unis ſacerdotibus peculiare, ut ne potentiſſimis quidem Regibus (niſi ad hoc etiam inuncti fuiſſent) unquam ſacra adminiſtrare licuerit. Exquò Saulem Iſraelitici populi regem hac præſertim cauſa à Domino reiectum, & à Samuele ſtultum uocatum legimus: quia idem ipſe ſacerdotale munus exercere auſus eſt, & cum ad id non eſſet inunctus, Domino holocauſtum obtulit: tametſi, infelix, ſe non temerè, ſed piè ac neceſſitate compulſum, ſacrificium illud feciſſe teſtaretur: & Iudæorum Rex Ozias optimus alioquin Princeps, & de religione, ac de Iſraelitico populo benemeritus, miſerrima labe affectus, tẽplo expellitur: quia cùm non eſſet ſacerdos, incenſum Domino adolere præſumpſit. Qua in re extat Azariæ ſacerdotis inuicta & præclara illa uox: Non eſt tui, inquit, officij, ò Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, id eſt,

filiorum

ſiliorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſte- *2.Paralip.26.*
rium. Egredere de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à domino Deo tuo: quod ipſo rei euentu ſtatim comprobatum eſt. Siquidem in ſua pertinacia obfirmatus Rex perſeuerans, tenensque in manu thu- *1.Reg.13.*
ribulum, ut adoleret incenſum, protinus orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus in domo Domini, ſuper altare Thymiamatis, & feſtinatò expulerunt eum ſacerdotes; ipſeque ſentiens plagam Domini perterritus, illicò accelerauit egredi, fuitque leproſus uſque in diem mortis ſuæ: & habitauit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Quòd ſi tanto Regi non licuit ſacerdotis Leuitici partes ſibi aſciſcere, eò quod ad id nõ erat inunctus: quantò minùs cæteris profanis hominibus, qui nec Reges ſunt, nec de ſemine regio, nec unquam ad ſacerdotale munus obeundum ritè conſecrati fuere, ſuis pollutis manibus Chriſtiana ſacra contrectare licebit? Immo ſi tantus Rex, de alieno munere uſurpato, tam ſeuerè à Deo elephãtiaſi percuſſus fuit: quæ inſanabilis & mortifera plaga infligetur illis, qui cum ſint de populo, & fortaſſis etiam infimæ plebis homines, tanta cum perturbatione Reipublicæ, & omnium rerum euerſione, ſuis fœdiſſimis inuentis audent ſacra profanis permiſcere? Et quæ ſacra? tremenda illa myſteria, duntaxat Catholicis & uerè fidelibus nota, quæ ſanctam & uiuificatricem & incruentam immolationem, atque diuinam Dominici ſacrificij celebritatem & ueritatem continent, poſt cænam à Domino diſcipulis ſuis non tantùm porrecta, ſed etiam inſtituta & conſecrata: In quibus Dei filius, qui ſemel in Ara crucis ſe ipſum patri obtulit, quiq. ſemel in cæna ſe ipſum innocẽtem agnum ſub ſpecie panis, & uini immolauit, quotidie immolatur & ſumitur: In quibus offertur oblatio illa munda, in qua arcanis uerbis per myſticam benedictionem natura mutatur, & Chriſti ſermone creatura uiſibilis in corpus tranſit inuiſibilis creatoris: In quibus ſacerdotes portant ſuis manibus Deum illum, qui

His uerbis perſtringit author Eraſmum ut parum orthodoxũ, qui contra omnium catholicorum Patrũ ſententiam, & uetuſtiſsimum ritũ Eccleſia, ſuper epiſt. primam ad Cor. cap. 11. ait. Vtinam Paulus traderet nobis il

In uerba, quibus cõſecratus eſt panis ille à Chriſto: Nam ille, inquit: Hoc eſt corpus meũ, potius ſunt porrigentis, quam cõſecrantis.

portat omnia uerbo uirtutis ſuæ, quique ſe ipſum cùm illa inſtituit (ò mirum) ſuis quoque manibus portabat: In quibus omnia Patriarcharum ſacrificia, & ueterum Patrum uictimæ deliteſcunt: In quibus denique cuncta mirabilia, & omnes cæli delitiæ continentur. O, horribilis humanarum mentium cæcitas, & inexpiabile nefas: apud quos uſqueadeò petulantes, & audaces homines, fuit unquam tam impia conſuetudo, ut ſinguli promiſcuè ſibi ſacerdotale munus uſurparent? & non inter ſacerdotes tantùm & põtifices, ſed etiam inter profanam multitudinem, & ſacerdotes omne diſcrimen prorſus è medio tollerent?

CAPVT XV.

Si nõ licuit Ethnicorum & ueterum ſacra ab omnibus promiſcuè adminiſtrari, multò minus licebit Chriſtiana ſacra præcipuos miniſtros, & legitimos ſacerdotes non habere.

FVIT quondam (ut ait Theophraſtus, referente Simplicio) natio quædam, quæ nulla religione tenebatur, exquò prorſus ſacerdotio caruit: ſed eam totam fuiſſe uno terræ hiatu abſortam, ferunt. Quòd uerò fuerit unquã gens aliqua, penes quã cuncti eſſent publici Religionis miniſtri, & cuncti rerum ſacrarum cuſtodes & præſides, nullis unquã literarũ monumentis proditum eſt: niſi tales eſſe Boemos dixerimus, qui ſacerdotũ more, integra ſacra ſumere, profitentur. Idolorum fœda miniſteria ſuos præcipuos ſacerdotes habebant, & Chriſti ſacroſãcta myſteria erant undique uulgaribus hominibus peruia, & paſſim laicorum manibus profanabuntur? Procul, ò procul eſte profani, conclamat Ethnica & gentilis illa uates, cùm ſacro in luco dabat inania illa reſponſa, & fictitias illas res tractabat: diuina autem Chriſti ſacra, in quibus (ut ait Chryſoſtomus) pauci, quos æquus Deus amauit, norunt quid contineatur, erũt nemini tactu interdicta? Olim cùm apud ſanctiſſimos Maiores noſtros ſacra Chriſti myſteria celebrabantur, non omnibus eſſe illorum ſpectatores datum erat: ſed antequàm incruenta, & cæleſtis uictima ſacerdotalibus manibus populo adoranda extolleretur, cùm unus miniſtrorum alta uoce clamabat, Sancta,

D. Chryſoſt. in caput Geneſeos. 9. Homil. 29.

Sanctis.

Sanctis, ſtatim è templo, qui illa ſpectare non erant digni, uel egrediebantur, uel eijciebantur: & nunc hac noſtra infami tempeſtate, eadē ipſe ter ſancta, & ter auguſtiſſima Chriſti ſacra, nempe, magni Dei arcana, & omnium diuinorum myſteriorum refertiſſima, quibuslibet ſine ordine paſſim cōmittentur, & erunt omnibus uulgò attrectabilia? Quos æque proteruè improbos uel legimus, uel audiuimus unquam, ut eos tam ſacrilega audacia, & tanta morum peruerſitas agitaret? Profanæ multitudini fas non eſt, uel ipſa myſteriorum ſigna contingere (ait diuinus ille Areopagita) ex quò Ethnicorum ſacerdotibus mos erat, cùm de fanis exibant, ubi Deorum reſponſa accipiebantur, digito ori admoto, & labra premente, atque quodammodo muſſitantes, ſe ſe populo ſpectandos præbere, ut quæ ipſi audierant, eſſe reticenda, & ſilentio conſideranda ſignificarent. Hinc tot ſphinges præ templorum foribus collocauit antiquitas, ut introeuntes ſpectris illis commonefaceret, res ſacras, & diuina myſteria ſub inuolucris, & ſub ænigmatibus latitare, nec poſſe ab ægris mortalibus perſpicuè percipi: ſed, quemadmodum poſtea explicauit Apoſtolus, tantùm uideri nunc per ſpeculum in ænigmate. Hinc etiam ſacra uetuſtiſſimorum monumenta Aegyptiorum Hieroclyphicis literis effingebantur, nempe, ut arcana ſuperùm, & religionis myſteria notis & figuris illis, quaſi quibuſdam uelis & integumentis adumbrata, & tecta, uulgo hebeti, & imperitæ plebi occultarentur. Hinc etiam Romani cæleſte Palladium, quod in primis coluerunt, ita in arcano habebant, ut poſtquā in Italiam deuenit, Troia aduectum, nūquam ab hominibus ſit conſpectum, niſi temporibus Commodi, conflagrante Roma, cùm inter maxima urbis incendia, Veſtæ quoque templum, in quo ſumma religione idem Palladium ſeruabatur, incendio uaſtaretur, Veſtales uirgines è medijs flammis raptum, in aulam Imperatoris transtulerunt. Hinc forſan etiam Angeronalia ſacra ab eiſdem Romanis inſtituta ſunt: erat enim Angerona ſilentij Dea, quæ ore obligato, atque obſignato ſimulacrum habebat.

Dionyſius Areopagita Eccl. Hierar. cap. 1.

bebat. Apud Egyptios itidem in ſacris Iſidis & Serapidis Harpocrates ſilentij Deus digito labijs impreſſo colebatur, & Dea illa Eleuſina ſuo ſacerdoti, qui eius arcana ſacra in vulgus ediderat, poſtera nocte meretricio habitu induta viſa eſt, vt his myſticis ſignificationibus etiam Ethnicis hominibus innueretur, Deorum immortalium ſacra myſteria non eſſe cunctis paſſim inuulganda, & cum omnibus ſine delectu communicanda. Quod enim vulgare eſt, neque pretioſum, neque diuinum eſſe poteſt, & nullam venerationem habens, facilè ab omnibus contemnitur. Diuinorum namque myſteriorum reuerentia & authoritas, magis pio ſilentio, quàm ſolicita & vana curioſitate cuſtoditur: neque enim omninò myſterium eſt, quod ad populares & vulgares aures affertur. Nam quod rarum eſt, & à vulgi oculis ac conſuetudine remotum, diuinitatem ſapit, & naturaliter eſt omnibus magna in admiratione.

CAPVT XVI.

Figuris & authoritatibus veteris & nouæ legis fieri non poſſe demonſtratur, vt in chriſtiana Republica omnes ſint ſacerdotes.

D. Baſilius in libro de Spiritu ſancto cap. 37.

IDCIRCO magnus ille Moyſes, vt præclarè inquit diuus Baſilius, non omnia templi loca peruia eſſe ſtatuit, ſed extra ſacra ſepta profanos locauit; prima atria purioribus permittens, ſolos Leuitas dignos Dei miniſtros iudicauit: victimas verò & holocauſta, & reliquam ſacrorum celebritatem ſacerdotibus aſſignauit, vnumque ex omnibus delectum, in adyta admiſit, & neque hunc ſemper, ſed vna ſolùm anni die, atque huius hora certa ad ingrediendum conſtituta, vt propter nouitatem, & inſuetudinem cum maiore admiratione inſpiceret ſancta ſanctorum. Cùm igitur hæc omnia fuerint chriſtiani ſacerdotij ſigna, & quaſi præludia, quis erit adeò temere audax, & pertinaciter impius, humanæque Hierarchiæ atque felicitatis inimicus, & communis hoſtis omnium, vt diuina & ſacerdotalia iura prorſus euertere audeat, aut profanare? Præſertim, cùm fons & caput veræ Religionis & verè ſummus ſacerdos & Pontifex

Chriſtus,

Chriſtus, non omnes in eum credentes, ſed admodum pau cos, Apoſtolos videlicet, & Apoſtolorum ſucceſſores, ſacerdotali munere donauerit, vt inde intelligerent homines, quòd non omnes, qui ſuam fidem profiterentur, futuri erant euangelicæ prædicationis nuncij, diuinæque ſuæ poteſtatis participes, & ſuorum myſteriorum adminiſtri: ex quò alibi paucos admodum operarios ſe habere dixit, & meſſem multam. Et alio loco inquit: Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam. Hocque fuit cauſæ cur Petrum poſt ſe ſuarum ouium paſtorem, & ſuæ Eccleſiæ fundamentum poſuit, atque per fidei excellentiam Eccleſiæ ædificationem in ſeipſam ſuſciperet, nempe, ne eius ſponſa Eccleſia eſſet acephala, aut multorum capitum bellua: ſed potius ſingula membra bene conſtituta, & ſuo munere fungentia haberet. Quemadmo dum enim in cæleſti Hierarchia, quamuis vniuerſæ diuinæ illæ mentes, & omnes beati illi cælites ſint, vt diuus Paulus ait, adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: non omnibus tamen eadem rerum cura, & adminiſtratio demandatur, nec omnes eadem ratione ad cuſtodias hominum excubias agunt, aut ſinguli pari imperio potiuntur: ſed inferiores à ſuperioribus illuminati, inferioribus ordine quodam intelligentiæ lumen afferunt, donec tota rerum vniuerſitas eorum miniſterio compleatur. Mittunt alij, & alij delegantur: ſicque omnis cæleſtis illa ciuitas in plures diſtincta claſſes, ex eadem prima & æterna voluntate pendentes, felicitate fruitur ſempiterna, & æuo immutabili continetur.

Luc.22. Math.9. Luc.10. Math.24. D. Baſilius cōtra Apologeticum Eunomij, euerſorio lib.2. Heb.1.

CAPVT XVII.

EODEM modo in Hierarchia eccleſiaſtica non omnibus præſidere, aut diuina diſpenſare datum eſt. Si enim omnes Archangeli, vbi Angeli? ſi omnes Antiſtites, quibus præerunt? ſi omnes fundamenta, vbi parietes? ſi omnes operarij

Si oēs qui Chriſto nomen dederunt eſſent ſacerdotes, quæ abſurda inde euenirent, enumerantur.

rarij, vbi meſſis? ſi omnes patres, vbi filij? ſi omnes paſto-
res, vbi oues? ſi omnes Reges, vbi populus? Denique ſi
omnes Sacerdotes, & Chriſti legati, quibus res diuinæ, &
ſacra myſteria adminiſtrarentur? aut ad quos diuina legatio
mitteretur? Non omnia corporis membra ſunt oculi, aut
Rom.12. poſſunt eundem actum habere, dicebat Paulus. Quapropter
1.Cor.12. ne myſticum Eccleſiæ corpus mõſtruoſum eſſet, alios Chri-
Eph.4. ſtus dedit Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Doctores,
& alios Paſtores: huncque in modum Eccleſia verè aſſimi-
Pſal.121. labitur ciuitati (quemadmodum de ea ſcriptum eſt) Cuius
participatio eius in id ipſum, ad quam aſcenderunt tribus
tribus Domini teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomi-
Cant.6. ni Domini. Sic etiam diuinum illud de ea elogium non erit
veritatis expers, nempe, quod ſit pulchra vt luna, electa vt
ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Sin contra, quæ
pulchritudo, aut quæ maieſtas, & robur eſſe poteſt ijs in re
bus, quæ tetris in tenebris, & magna in confuſione verſan
tur? Tenebræ profectò ſunt, & magna confuſio aſſerere, na
turam ſupra naturali vi præditam eſſe, & ciuilem Rempubli
cam illam poteſtatem conferre, quam non habet. Tenebræ
ſunt, laicos vrbium præfectos, cùm ipſi conſecrare non va-
leant, alios ad conſecrandum conſtituere: & ciuilem Sena
tum illud munus ſibi aſciſcere, quod prorſus ſacrum, atque
diuinum eſt, & longè humanas vires excedit. Tenebræ ſunt,
vulgares homines ſacris proceribus ſacrificandi, leges præ-
ſcribere, & nouos ſacrorum ritus inuitis ſacerdotibus & Pon
tificibus maximis in Chriſtianam Rempublicam introduce-
re. Tenebræ ſunt, tanta contentione & pertinacia affirma-
re conſecrationis effectus omnem naturæ facultatem tran-
ſcendentes, poſſe à naturali cauſa prouenire, & à puris natu
ræ initijs gigni. Tenebræ ſunt, quoſdam alterius vice & no-
mine quicquam agere, cùm talis poteſtas eis collata non
fuerit, & illos ſacrorum virorum perſonam gerere, qui ſa-
cra & ſacros ordines in dies magis impugnare & fœdare non
ceſſant. Tenebræ ſunt, legitimos Dei miniſtros per vim de

gradu

gradu deiici, & illos qui ſacrorum ius nullum habent, miniſtrorum Dei munera exercere. necnon agricolas per uim fieri ſacerdotes, & ſacerdotes uiolenter ad obeunda ruris officia impelli. Tenebræ ſunt, pedes capitis,& manus oculorum, atque reliqua corporis membra, ſuis præcipuis muneribus omiſſis, uelle ſibi non conuenientes aliorum membrorum actus & partes ſubire. Tenebræ denique ſunt, & confuſio maxima, profanos Reges, quantumuis Chriſto initiatos, & ſancto chriſmate inunctos, temerarium atque ſacrilegum Oziæ Regis exemplum diuino iudicio uſqueadeò deteſtatum, atque animaduerſum imitari, & illam legationē obire, ad quam minimè miſſi ſunt, fungiq́. illo munere, ad quod numquam conſecrati fuere. *2.Paralip. 26.*

CAPVT XVIII.

Ad quid regiū ad quid ſacerdotale munus inſtitutum ſit declaratur.

NON enim ad ſacra adminiſtranda, ſed ad bella gerenda Reges inunguntur, ut populos ſuæ fidei concreditos, in iuſtitia & pace ab hoſtili incurſione tueantur. Quid militaria ſigna, cum cruce? Quid calix, cum ſceptro? Quid mitra, cum galea? Quid liber, cum thorace? Quid paſtoralis baculus, cum haſta trabali? Quid gladius ſpiritualis, cum gladio temporali? Quid toga, cum ſagis? Quid templa, cum theatris? Quid organa, cum tympanis? Quid piæ ſupplicationes, cum minaci exercitu? Quid cantus eccleſiaſticus, cum tubis bellicis, & acclamationibus militum? Quid minæ, cum precibus? Quid bellator Dauid, cum pacifico Salomone? Quid innoxiæ manus, cum manibus ſanguine contaminatis? Quid ſacra, cum profanis? Quid tandem animæ, cum corporibus? In corpora enim tantùm ius habēt Reges, ſacerdotes in animas. Reges enim ægrotantes animas, & conſcientiæ uulnera curare non ualent: Sacerdotes autem peccatorum maculas abſtergunt, & diuina ui, qua præditi ſunt, ſcelerum ſordes abluunt, & peccata condonant. Sic enim atteſtatur os illud aureum, Theologorum

lumen, Græciæ decus, Eccleſiæ propugnaculum, Chriſti fidus miniſter & doctor Iohannes Conſtantinopolitanus Antiſtes. Verba eius hæc ſunt: Regi, inquit, corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ: Rex maculas corporis remittit, ſacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille neceſſitate, hic conſilio: ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia: ille bellum gerit cum Barbaris, ſacerdoti bellum eſt aduerſus Dæmones. Maior hic principatus, proptereà Rex caput ſummittit manui ſacerdotis, & ubique in ueteri ſcriptura à ſacerdotibus inungebantur Reges. Hactenus ille.

D.Chryſo. Hom. 4. de uerbis Iſaiæ. Tom. 1.

CAPVT XIX.

Sacerdotes præſtare Regibus multis rationibus probatur.

D. Ambroſius in Paſtorali.

ET quid mirum, ſi maior hic principatus, & ſi ſacerdotibus cedunt Reges? atque etiam quid mirum ſi colla Regum ac principum, ut ait Diuus Ambroſius, ſubmittuntur genibus ſacerdotum, & oſculata eorum dextra orationibus eorundem ſe credūt communiri? Quandoquidem Reges humana prudentia, & humana ratione populis iura indicunt: ſacerdotes autem omnia ex diuinis legibus, & ex diuinis oraculis agunt. Aliò ſacerdotale munus, aliò munus regium tendit. Munus regium uirtutes, & munera naturalia non tranſcendit, quæ communia cum Ethnicis, & ſine charitate eſſe poſſunt: ſacerdotale munus in ijs myſteriis uerſatur, quæ omnem naturæ uim ſuperant, & ſunt fideliū propria. Sacerdotes ſunt Patres, & Reges filij: Reges à ſacerdotibus (de euangelicis loquor & legalibus) inſtituuntur, non ſacerdotes à Regibus. Non Saules in ſacerdotem conſecrauit Samuelem, ſed Samuel in Regem unxit Saulem: quin idem Samuel paulò poſt eundem Saulem Regno deiecit, & præfecit Dauidem: quia ſacerdos diuino iure utrumq. gladium habet, mortis uidelicet, & uitæ: carnis, & ſpiritus: hucque ſpectat ſummum ius illud Euangelicum à Chriſto legatis ſuis, nempè ſummis Pontificibus, collatum. Quæcumque

1.Reg.9. 1.Reg.15. 1.Reg.16.

cumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & *Math. 18.*
quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.
Munus prætereà imperatorium, ſacerdotali muneri ſeruit:
etenim humana diuinis, & temporalia ſpiritualibus ſubſerui-
re debent. Nam quemadmodum in uno corpore (ut lucu-
lenta diuus Paulus enarratione demonſtrat) omnia membra *1. Corin. 12.*
ad unum caput referenda ſunt: ſic temporalia, cùm ſint ſpi-
ritualibus minus perfecta, ad ſpiritualia ordinantur, & de-
bent ſpiritualium iudicio ſubeſſe. Animalis enim homo, ut
idem diuus Paulus ait, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: *1. Corinth. 2.*
ſed ſpiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Hūc
in modum Chriſtus beato Petro æternæ uitæ clauigero ter- *Math. 16.*
reni ſimul & cæleſtis imperij iura commiſit, nempè, ut om-
nia in Eccleſia ritè fierent: & paſtor non ut mercennarius,
ſed ut paſtor ab ouibus agnoſceretur, & Reges, in iis quæ
ad Deum attinent, ſuis opibus Chriſti Vicarijs ſubſeruirēt,
ſicut caro ſpiritui ſubſeruire debet, ut à ſpiritu perficiatur;
donec luporum truculenta rabie compreſſa, ouile Chriſti ab
omni direptione ſit tutum, & reiectis erroribus fideles in
agro Domini laborantes, ſuorum laborum emerita ſtipen-
dia, & diuinæ uocationis, atque promiſſionis brauium con-
ſequantur. Quocirca, quemadmodum Luna à Sole illumi-
natur, ſic regalis & ciuilis poteſtas à ſacerdotali perficitur.
Reges enim in gubernanda Republica ſacerdotum auxilio
opus habent, & ſine religione ciuilis Reſpublica diu conſi-
ſtere non poteſt, atque Regna in rapinam & tyrannidem cō-
mutantur. Sine Rege olim Hebræi, atque Romani, & multi
potentes populi optimè uixerunt: & hodie quot præclariſſi-
mæ Reſpublicæ ſine Rege commodiſſimè agunt? At ſine ſa-
cerdote, quæ natio hoc tempore benè uiuit, aut benè uixit
unquam? Reges à populis, quorum ſuffragijs, aut ſeditio-
nibus creantur, originem trahunt, quamuis & hæc quoque
non ſine numine Diuum eueniant: at ſacerdotes non alium
agnoſcunt ortum, quàm diuinum. Hinc de Melchiſedec,
qui fuit ſacerdos Dei altiſſimi, nulla eius origo, aut genea-

Hebr.7. logia explicatur: ſed ſine patre & ſine matre à ſacris hiſtori-
Luc, 22. cis ponitur, & Apoſtoli proximè ab ipſo Chriſto in cœna ſacerdotes inſtituti ſunt. Cum Deo agunt ſacerdotes, & cū hominibus Reges: ideo horum ciuilis, illorum autem diuina Reſpublica dicitur. Reges non alia, quàm naturali felicitate ſuos populos beatos facere poſſunt: ſacerdotibus maius opus incumbit, nempe, ut felicitate ſupranaturali beatos faciant credentes. Quòd autem ad expetitam & ſummã humani generis felicitatem Rex ſuos perducere non poſſit,
Deut.31. exemplo ſit Moyſes, qui non modò filios Iſrael ad terrã tan-
Num. 27. tis uotis exoptatam, ſed ne fluuium quidem Iordanem tranſire potuerit. Quod non potuit Moyſes, num alij Reges poterunt? Subſiſtant igitur omnes cis Iordanem, qui etſi dulciſſimus eſt, abundatque omnibus rebus, quæ uitæ iucunditatem & utilitatem afferunt: tamen in mare mortuum influit, hoc eſt, tandem caduca ſunt, & ad interitum ferũtur: neq. in eis ullo modo humanum genus acquieſcere poteſt, neque felicitatem ſolidam atque perfectam inuenire.

CAPVT XX.

Innuuntur corruptelæ Principum in eligẽdis Epiſcopis, et quæ ſit uera Epiſcoporum eligendorũ ratio explicatur.

VTINAM placidè animaduerterent & meditarentur hæc noſtri temporis Principes: nam ab hoc tã pio & neceſſario ſacrorum uirorum ſacerdotali ductu non modo ſe non ſubtraherent, uerumetiam ſacerdotali fidei atque ducatui ſe, & ſua omnia prorſus committere adniterentur: quandoquidem hic eſt legitimus regnandi ordo, & uera diuini principatus ratio, nempe, ut ſacra profanis præſint, & maiores minores moderentur. Nunc autem cùm Chriſtiani homines non amplius à ſacris uiris duci, ſed ductores potius ſacrorum uirorum eſſe uelint, quid mirum, ſi Chriſtiana reſpublica in dies magis diſſoluitur, & debilitatur? Et quidem ſublato aut infirmato ſacerdotali regno, reliqua itidem Chriſtianorum regna tuta eſſe non poſſunt: & quò magis Eccleſiaſticus principatus imminuitur, eò magis Chriſtianæ reipublicæ

blicæ uires deficere, & illius hoſtes præualere neceſſe eſt. Hinc nimirum ſatis mirari non poſſum, cur nonnulli Chriſtiani principes inſana & importuna quadam ſuorum regnorum zelotypia ducti, in ſuis prouinciis ſacrarum etiam præfecturarum dominatum, hoc eſt, ius illud nominandorum uel potius eligendorum Epiſcoporum tam intemperanter appetiuerũt, atq. opportunis & importunis poſtulationibus à Romanis Pontificibus extorſerunt: cùm in re tam ſeria potius communi totius Reipublicæ bono, quàm priuatis commodis ſtudere oportebat: ſiquidem hinc factum eſt, quòd populi ſuorum principum exempla ſecuti, & ipſi quoque ſacris rebus inhiare cœperunt, & nonnullis etiam in locis multi impia & inaudita quadam rapacitate, ne dicam latrocinio & ſacrilegio, Eccleſiaſtica bona inuaſerunt: quò præcipuè factum eſt, ut Chriſtiana reſpublica in turbulentiſſimam hanc tempeſtatem, in qua nunc tanta cum humanarum & diuinarum rerum iactura uerſatur, inciderit. Et certè tot populorum & prouinciarum à uera fide defectiones, quibus aſcribendæ ſunt niſi principibus illis, qui aduerſus Apoſtolicam ſedem manus dederunt Aſſyriis, turbulentorũq. hominum iniuſta patrocinia ſuſceperunt, & mittentes falcem in meſſem alienam, præfecturas ſacras in munera & in ſtipendia militum conuerterunt, atq. illis Eccleſias gubernãdas dederũt, quos paulò antè milites uel forſan etiã hæreticos eſſe ſciebant, quosq. Eccleſiaſtici regiminis, & diuini iuris ignaros eſſe non ignorabant. Exquò huiuſmodi Epiſcopi Apoſtolicæ ſedis obliti, illos pro ſummis Pontificibus habuerũt, à quibus Eccleſiarum iura, & Epiſcopales faſces accepiſſe recordabantur: hinc ſenſim tot corruptelæ, tot deprauati mores, tot priſcæ religionis hoſtes, tot ſanctæ matris Eccleſiæ perduelles, tot Chriſti Vicariorum contemptores, tot noua opinionum portẽta, tot nouarum ſectarum principes, tot impij regnorum motus, aduerſus Chriſtianam rempublicam, & aduerſus Catholicam Eccleſiam inſurrexerũt. Quæ profectò abſurda & detrimenta in Eccleſia non erant, cùm

Petri

Petri ſucceſſores, & Chriſti Vicarij ſuo pleno & libero iure utebantur. Quanto melius Chriſtianorum res ſe haberent, ſi Eccleſia eccleſiaſticis cuſtodibus eſſet munita, necnõ ſi Apoſtolicam ſedẽ Apoſtolici epiſcopi cuſtodirent, itẽ ſi ſacri non laici proceres ſacras præfecturas adminiſtrarent, atq. demũ ſi Eccleſiæ non à militibus, quos manus ſanguine tintas habere neceſſe eſt: ſed à ſacerdotibus, qui diu in lege Domini uerſati ſint, quique ſint non laicorum principum imperio, ſed ſacrorum uirorum ſuffragio in Epiſcopali ſolio collocati, regerentur. Sat ſcio quàm uariæ fuerint in Chriſtiano orbe conſuetudines in eligendis Epiſcopis, quid

Cyp. lib. 1. Epiſt. 3. & 4. Leo Epiſt. 84. Orig. Homil. 6. in Leuiticum.

Cyprianus, quid Leo Pontifex, quid Origenes de ſui temporis Epiſcoporum electione commemorent, quid iuriſpatronatus ratio exigat, quid ſummorum Pontificum priuilegia ualeant, quid iura regnorum, quid prouinciarum & Eccleſiarum inſtituta. Attamen ſat etiam ſcio, quis Apoſtolos, quis Matthiam, quis Timotheum, quis Titum in Epiſcopos elegerit; quid ius diuinum in eligendis Epiſcopis ſtatuat, quid Apoſtolica inſtitutio poſtulet, quid eccleſia-

D. Aug. Epiſt. 110. D. Chryſoſto. lib. 3. De ſacerdotio.

ſtica traditio obſeruauerit, quid diuus Auguſtinus & diuus Chryſoſtomus de iſtiuſmodi ꝓfana & uulgari electione ſenſerint, qui tumultus & quæ pernicioſiſſimæ ſeditiones ſæpe ac ſæpius ex populari electione excitatæ ſint, quæ ſemper fue-

1. par. Decr. Diſtin. 63 Concil. Triden Seſſ. 25. cap. 10.

rint ſummorum Põtificum aduerſus Chriſtianos Principes querelæ & minæ de huiuſmodi uſurpata iuriſdictione, quod ſemper optimi & religioſiſſimi Reges ſe à ſacerdotalibus muneribus & ab Eccleſiaſticis priuilegiis abſtinuerunt, atque iidẽ Eccleſiaſticas immunitates & canonicas ſanctiones omni ſtudio ſemper piè & inuiolatè ſeruantes, etiam res Eccleſiæ ſua in primis authoritate & munificentia auxerunt, nedũ

Theodoritus Hiſto. Eccl. lib. 4. cap. 5.

ab aliena iniuria uindicarunt, quòd Valentinianus Imperator non modo non appetiuit, uerum etiam renuit oblatam ab Epiſcopis poteſtatem eligendi uel nominandi Mediolanenſem Epiſcopum, & quæ fuerit eiuſdem Imperatoris aurea de Epiſcopali electione ſententia, quòd Chriſtiani prin-

cipes

cipes diuino iure, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo reddere, teneantur, quòd populus ſit docendus, non ſequendus: tandem ſat ſcio, quid nunc turbulentiſſima Chriſtianæ reipublicæ tempora expoſtulent, & quòd Epiſcopi in laicos principes, quorum opera in Epiſcopalem cathedram promoti ſunt, & quos tamquam dominos ſuos agnoſcũt, ceu canes muti, uel ut Cerberus accepta offa, latrare non ualent, quodque neque etiam peccantem populum increpare audent, quia illum non ut Chriſti gregem, ab eodem Chriſto ſibi, & Apoſtolicæ ſedis fidei concreditũ, ſed ut ſui principis, & ut ſui Mecœnatis ouile agnoſcunt: quamobrem animarum ſalute poſthabita atque neglecta, curiæ principũ adulatoribus & adulterinis conſiliarijs redundant, & quod non minus deteſtabile & pernicioſum eſt, Chriſtiani orbis caput Apoſtolica ſedes ob id ſæpe nothis & ſpurijs miniſtris atque quodammodo ſuppoſititijs, & non ſatis legitimis præfectis uti cogitur. Quo præcipuè fit, ut Chriſtiana reſpublica & eccleſiaſticus principatus in tot partes diſſectus atq. tot rapacibus manibus diſcerptus ad propulſandos Chriſtiani nominis potentiſſimos hoſtes, & ad reprimendos continuò inſurgentes Hæreticorum motus in dies magis ac magis elangueſcat, & inualidiſſimus ſit: cùm ſemper re ipſa didicerimus, & ſatis clarè noſtrorum temporum exempla demonſtrent, omnes Chriſtianorum Regum aduerſus communes hoſtes uictorias Apoſtolicæ ſedis Concilio & ope in primis conſecutas fuiſſe, atque omnia Chriſtianorum bona potiſſimùm ex Romanorum Pontificum diuina poteſtate & authoritate pendere. Cæterum res hæc eſſet uel magna ex parte tolerabilis, ſi populus, uel ſi laici principes, qui in Epiſcopali electione nonnullis in locis in populi locum ſucceſſiſſe uidentur, aut ſi Eccleſiarum collegia in nominandis uel eligendis Epiſcopis ſummorum Pontificum priuilegijs nõ abuterentur: ſed ſaltem (ut par eſt, & ut pios homines decet) catholicos uiros, probatos, & idoneos Eccleſijs præficerẽt, qui Apoſtolicæ ſedis cõfirmatione & authoritate muniti po

ſtea, eſſent commiſſo ſibi gregi, & uniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ ſalutares. Quemadmodum de Nectarij Conſtantinopolitani Antiſtitis, & de Diui Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi ſalutari electione maiorum noſtrorum ſcripta teſtantur. Verùm ſat digreſſi ſumus.

CAPVT XXI.

Adducit alias cauſas, quibus probat author ſacerdotale munus præſtantius eſſe regio munere.

Ioſue 3.

Iacob. 5.

In epiſt. Innocentij III. ad Conſtantinum Imperatorem.

C. Solita, extra de maiorit. & obedientia.

REX igitur, optimè ſatisfaciet ſuo muneri, ſi ſe ac ſuos ſacerdotibus committat. Sacerdotes enim ſunt ij, qui Iordanem traiecerunt, qui populum, & ipſum populi ducem duxerunt, qui ſuis ſacris humeris arcã fœderis Domini portantes, in terram deſideratam iter patefecerunt. Reges præterea in bello profligatos, & cæſos milites ad uitam reuocare non ualent: ſacerdotes autem agonizantibus opem, & mortuis uitalem animæ ſpiritũ afferre poſſunt. Quapropter Regia plumbo, ſacerdotalis autẽ dignitas auro à ſacris doctoribus comparatur: necnon hæc luminare maius, illa luminare minus in firmamento Eccleſiæ dicitur. Et quàmuis utrumque munus ampliſſimum ſit, atque diuinitatis particeps, & inter cætera omnia humana munera excellat: attamen ſacerdotale munus in ſpiritualibus antecellit, quæ tantò ſunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori: anima enim uiuificat, & regit corpus, non autem corpus animæ uitalem ſpiritum tribuit, aut in ea legitimo imperio dominatur. Cùm igitur Regnum Chriſti ſit catholica Eccleſia, quæ licèt dum militat, ſit in hoc mundo, tamen non eſt de hoc mundo, quia à Deo exiuit, & ad Deum tendit: neceſſe eſt ut omnis principatus & magiſtratus, qui in Regno Chriſti ſunt, ſiue ſacer ille ſit, ſiue politicus, quatenus ad Deum tendit, & eccleſiaſtici corporis pars eſt, eius in terris Vicario ſubſit, alioquin ad Regnum Chriſti non attinet: de iis enim qui foris ſunt, Eccleſiæ Præſides non iudicant: qui autem in Eccleſia ſunt, eccleſiaſtico iudicio ſubeſſe oportet. Quemadmodum enim Cathedræ Moyſi reſeruatæ

1. Corinth. 5.

Deut. 17.

erant

erant omnes maiores cauſæ, ſic in Eccleſia (ut umbra reſpõdeat figuræ) omnes ſupremi magiſtratus politici iudicio præſidis Hierarchiæ eccleſiaſticæ ſubiiciuntur. Et quàmuis Chriſti religio neminem priuet ſuo iure: ſiquidem non abſoluit filios à patria poteſtate, ſeruos ab ea, quam debent dominis ſuis, ſeruitute & ſubiectione, ſubditos à ſuperiorum ſuorum & ciuilium magiſtratum obedientia debita, etiam ſi ſacerdotes, etiam ſi epiſcopi illi fuerint (nam & Apoſtoli legitimæ poteſtati ciuili ſubiecti fuere) tamen cùm Regnum Chriſti ex dedititijs tantùm & uoluntarijs conſtet, quicumq. in baptiſmo Chriſto nomen dederunt, & ultro ſe illi ſubiecerũt, illius magiſtratibus, & præcipuè totius Eccleſiæ Præſidi obedientiã debent. Omnia enim membra Eccleſiæ in ſuo quæq. officio ſubeſſe, eius paſtori, rectori, & capiti tenentur. Denique eiuſmodi eſt poteſtas ſacerdotibus collata, ait diuus Chryſoſtomus, ut talem neque Angelis, neque Archangelis Deus unquam dederit: nam ipſam attingit animam, & tranſit cælos, ita ut ſacerdotale iudicium in terra prolatum, Deus ratum habeat in cælo: & terreni ſerui ſententia, cæleſtis Domini authoritate firmetur.

Matth. 17. *Rom. 13.* *D. Chryſoſt. 2. lib. de ſacerdotio.*

CAPVT XXII.

QVIPPE quæ ſacerdotalis dignitas atque præſtantia ab orbe condito & inſtaurato in omni lege ſemper, ut ſacroſanctum quoddam, atque diuinum, à ſummis uiris agnita fuit, & magna in ueneratione habita. Hinc patriarcha pauperum Franciſcus, inter omnes cælites ſingulari ſanctitate, & præcipuo diuinarum plagarum priuilegio conſpicuus, Sacerdotij dignitatem tantam eſſe arbitratus eſt, ut ea ſe prorſus indignum iudicauerit, Diaconatus officium, dum uixit, tantummodo adminiſtrans, dicereque erat ſolitus: ſi diuorum quiſpiam è cælo delapſus, ſibi unà cum aliquo ſacerdote factus fuiſſet obuiam, ſe priùs ſacras ſacerdotis, quàm ſanctas diuini illius hominis manus deoſculaturum: longè præ-

Demonſtratur ſanctiſſimorũ & ſummorũ uirorũ exemplis quantũ ſemper delatum ſit ſacerdotibus.

ſtantiorem exiſtimans eum, qui in terra Deum ſacris uerbis è cælo mira rerum conuerſione deductum, ſuis manibus cōtrectabat: quàm illum, qui cum Deo regnabat in cælo. Hinc etiam ſummus Hebræorum, & Leuitici ſacerdotij patriarcha, necnō omnium credentium pater Abraham, poſt debel-
Gen. 14. latos quinque Reges omnem bene adminiſtrati belli gloriā
Hebr. 7. nihili pēdebat, niſi à Dei altiſſimi ſacerdote Melchiſedec benediceretur, atque ſuum caput ſacris eius manibus ſummitteret: cui etiam non modò ex nobiliori præda bello parta, ſed ex omnibus, ut ait ſcriptura, decimam partem dedit: & dedit, non quia erat Rex Salem, ſed quia, ut diximus, erat Dei altiſſimi ſacerdos. Regibus enim tributa, non decimæ debentur: quæ diuino iure unis ſacerdotibus cōſtitutæ ſunt: ſicut unis ſacerdotibus ſacrificia offerre, & ſacris miniſtrare permiſſum eſt. Neque enim idem Melchiſedec ea ratione, qua regio munere fungebatur, eadem quoque ſacerdotali munere functus eſt: ſed alia, atque alia. Niſi dixerimus (ut
Dominicus Soto in 4. ſen. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. Hebræorum nonnulli affirmauerunt) Melchiſedec fuiſſe Sem primogenitum Noe: quamobrem eodem primogenituræ hæreditario iure & Rex, & ſacerdos eſſe poterat. Quæ cùm ex apertis ſacrarum literarum teſtimonijs non deducantur, dicamus quòd Melchiſedec, qui ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia in ſacris literis ponitur, poſt regiū munus ex Dei iuſſu fuit ad ſacerdotij apicem aſſumptus: ut quēadmodum potentia reliquis mortalibus ſuis legibus obtēperantibus antecelleret, ita ſanctitate ad Deum alijs magis proximè accederet. Erat enim Euangelici præcipua figura ſacerdotij, in quo Chriſtus ſimul & Rex, & ſacerdos conſti-
Pſal. 2. tutus erat à Patre ſuper Sion montem ſanctum eius, prædi-
Pſal. 109. cans præceptum eius, ut eſſet ſacerdos in æternum ſecun-
Gen. 14.
Hebr. 7. dum ordinem Melchiſedec. Quapropter Melchiſedec non antè, ſed poſt ſuſceptum ſacerdotium, obtulit Deo panem, & uinum in holocauſtum, & oblatas decimas accepit: quod ex diuina diſpenſatione in myſterio factum eſſe credendum eſt. Nunc autem neque intereſt Chriſtianæ reipublicæ, ne-

que

que communi fidelium ſaluti expedit, ut hæc duo tam ampla munera ab uno tantùm homine adminiſtrentur. Etenim Rex (cùm ſit ſupremum politici corporis caput, & idcirco omnes ciuium cauſæ, quæ perarduæ non ſunt, & ad ſacrum religionis tribunal non pertinent, ad eum ſine appellatione referri debeant: nam & temporalia ſuam iuriſdictionem habent, tametſi ea quoque ſemper fuerit, & Chriſtianorum Principum pietas, & eccleſiaſticæ libertatis priuilegium, & Apoſtolicæ ſedis authoritas, ut catholici Reges in ſuis regnis de qualibet re appellationibus ad ſedem Apoſtolicam interpoſitis, non aduerſarentur) quomodo in tanta humanarum litium & politicarum quæſtionum, & controuerſiarum ſylua, rebus ſacris, & diuino cultui rectè uacare poſſet? aut populi bella adminiſtraturus, quomodo manus innoxias haberet, ut offerat Deo immaculatam hoſtiam, & faciat ſacrificium pro peccatis?

Refert Socrates in Hiſt. trip. lib. 1. cap. 9. quòd Cõſtantinus Magnus ſãcinit, ut à Ciuilibus magiſtratibus ad Epiſcopos legitima eſſet appellatio, & quod iudicium ſacerdotale eſſet prorſus firmum, & perpetuò ratum.

CAPVT XXIII.

QVOD ſi pagani Imperatores, ac priſci quidam Reges, & ſummi ſacerdotes, & Pontifices maximi dicebantur: id profectò non ex diuina inſtitutione, ſed Sathanæ aſtu eueniſſe putandum eſt, qui ſemper quæ diuino cultui conueniunt, ſibi tyrannico ſpiritu uendicare tentauit. Quamobrem in ijs, quæ ad uerum cultum ſpectare uidentur, non ſunt ab eis exempla petenda, qui uano gentilitatis errore, & inani quadam non ſolum religione, ſed etiam ambitione tenebantur, niſi exempla illa fuerint eiuſmodi, ut nec à communi ſenſu abhorrere, nec à diuinis legibus deciſcere uideãtur. Et quamuis hæc duo munera ſimul in eodem eſſe poſſe, non ſolùm in Moyſe, ſed etiam in fratribus Machabæis oſtẽdatur, qui non ſolùm ſummi ſacerdotes, ſed etiam principes extiterunt populi, & in Chriſto ſimul Regale genus & ſacerdotale fuerunt: tamen (ut ait, & rectè, Gelaſius Papa) idem Dominus memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum

Aperit cauſam cur Ethnici Imperatores & Reges dicebantur etiam Pontifices maximi. Itẽ, cur Romanus Pontifex pontificiis et regalibus inſignibus utatur.

Gelaſius Papa in libello, quem de uinculo ana-

thematis inſcripſit ſuper acta Conci. Chalcedo.

ſaluti congrueret diſpoſitione magnifica tēperauit, ſic actionibus propriis, dignitatibusq. diſtinctis, officia poteſtatis utriuſque diſcreuit, ſuos uolens medicinali humilitate ſaluari: non humana ſuperbia rurſus intercipi, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna uita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperialibus diſpoſitionibus uterentur, quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minimè ſe negocijs ſecularibus implicaret, ac uiciſſim non ille rebus diuinis præſidere uideretur, qui eſſet negocijs ſecularibus implicatus, ut modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur. At dices, cur igitur Romanus Pontifex & Regalibus, & Pontificijs inſignibus utitur, ſi regium & ſacerdotale munus diſcreta ſunt? ſi hæc dixeris, reſpondet Bernardus. Hierarcham eccleſiaſticum eſſe duplici diademate redimitum: quia in ſpiritualibus Petro, in temporalibus autem Conſtantino ſucceſſit. Gerit prætereà uicariam illius perſonam, qui uerus Rex idem atque ſacerdos fuit. Quamobrem Imperatores, & reliqui Reges, ſi chriſtiani ſunt, non præſidere, ſed ſubeſſe Eccleſiæ debent, à qua legitimos Imperij faſces acceperunt, uelut eius membra, & filij: ſiquidem Iulius Cæſar nullo legitimo iure Romanum Imperium inuaſit, aut ſucceſſoribus reliquit, ſed Imperium legitimum in Eccleſia à Conſtantino, uel à Carolo Magno incœpit. Hinc electus Imperator, cuius à ſede Apoſtolica reprobata eſt electio, non ſe poteſt adminiſtrationi immiſcere. Quamquam neque Romanus Pontifex cùm Regiis ſimul, & Pontificiis faſcibus utitur, quicquam de aliorum Regnorum iure, aut poteſtate imminuit: Nam legitimus principatus nullis interdicitur, ſiue ſacerdotes, ſiue ſeculares illi fuerint: tametſi ſacerdotibus, non quatenus ſacerdotes ſunt, ſed aliunde conuenire poſſit. Etenim propriè non arma ſed toga, non bella ſed ſacrificium, & oratio ſunt ſacerdotalia munera. Quemadmodum & Reges quoque uiciſſim

D. Bernardus de cōſideratione ad Eugenium Papam, lib. 4.

ſacra

ſacra tractare nō debent: Immo uerò Othomannis Principibus, & cæteris omnibus Mahometanis Regibus, ex præſcripto legis Corona regia uti non licet, ea fortaſſis ratione: quia unum Aegypti Caliphum, eò quòd Sacris præerat, & tamquam maximi inter eos Pontificis locum obtinebat, legitimo imperio potiri arbitrabantur. Quapropter, idem ille tantùm Regio diademate inſignitus erat, penes quē etiam confirmandorum Mahometanæ ſectæ Regum ius eſſe putabant: ut nunc inueterata ſummæ Religionis conſuetudine à Pontificibus Romanis confirmari Chriſtianos Cæſares uidemus. Cæterùm de hoc iam ſatis ſupradictum eſt, & uberius ac fuſius in illo, quem ad Britanniæ Reginam de munere Regio & ſacerdotali ſcribimus, libello (Deo adiuuante) dicetur.

CAP. XXIIII.

CVM igitur adminiſtrationes & officia, quæ inter ſe longè diuerſa ſunt, & perquàm uaria, & aliò atque aliò ſpectantia, nec non alijs miniſtris, atque medijs indigentia, vni ſoli poteſtati committi non congruat: reſtat quemadmodum vniuerſalis omnium gentium conſuetudo obtinuit, & pontificio iure decretum eſt, vt duo ſint munera diſtincta, quibus hic mūdus regitur, authoritas videlicet ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas: tametſi (vt paulò antè dicebamus) hæc illi faſces ſuos ſummittere debet, quemadmodum eos ſemper ardenti ſtudio, & magna animi alacritate Reges ac proceres omnes ſacerdotibus, ac ſummis Pontificibus ſummiſerunt. Nam ſi Romanos qui non modò Reges, ſed etiam Regum & rerum domini fuerunt, ſpectaueris, Romani omnia Religioni poſtponenda duxerūt, etiam in ijs, in quibus ſummæ Maieſtatis decus verſabatur. Quapropter in tam ampla ciuitate non dubitauerunt (vt Hiſtoricus ille teſtatur) ſacris imperia ſeruire, ita ſe humanarum rerum habitura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ benè atque conſtanter

Cōcludit author quòd ſacerdotalis dignitas à regia diſtincta ſit, & quòd ſacerdotalis ſit præſtantior regia.

Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorē, diſtin. 96. cap. duo ſunt.

Romanorū, Alexandri Macedonis, Attylæ Hunnorū Regis, Mauritij Imperatoris Conſtantinopolitani & Ethnicorum Gallorū exēplis oſtenditur quanta fuerit ſēper ſacerdotalis authoritas.

conſtanter fuiſſent famulata: & tot ſeculis antè extat de eadem re pulcherrimum, & præclariſſimum illud Alexandri Macedonis exemplum, cui ob egregias & præſtantiſſimas res toto orbe terrarum feliciſſimè geſtas, Magni cognomen inditum eſt. Hic ſiquidem magnus Alexander aduerſus Iudæos tributa ſoluere recuſantes, arma mouens, dum infeſtis ſignis in eos ferebatur, & ſe ad Hieroſolymam expugnãdam accingeret, Iadus ſacerdotum princeps impendentem ciuitatis ruinam miſeratus, aſſumens ſacerdotalia ornamenta, & ſacras ueſtes, quas cùm indutus erat ſummus ſacerdos etiã in ueteri lege Regibus omnibus præſtabat, geſtanſque aureã laminam, in qua Dei nomen inſculptum erat, cum reliquis ſacerdotibus, Pontificali habitu inſignitus, Alexandro pro Iudæis ueniam precaturus fit obuiam: qui Pontificiam Maieſtatem ſuſpiciens, latentemque in Pontifice diuinitatem conſiderans, confeſtim ex equo deſcendit, ſolus Antiſtitem adiens, illum ſumma ueneratione complexus eſt, in eo pronus diuinum Numen adorans: de cuius facti cauſa à quodã ſui exercitus viro primario interrogatus Alexander, reſpondit, ſe non hominem adoraſſe, ſed Deum, cuius in terris Põtifex ille uicariam perſonam, & ſacerdotij principatum gerebat. Quin mutata ſententia, cũctis obſtupeſcentibus, ciuitatem pacificè ingreſſus, re diuina in templo peracta, ſacerdotes multis & pretioſis muneribus affecit, illiſque omnia poſtulata concedens, ciuitatem per ſacerdotes in ſua fide depoſitam, ob ſacerdotes ab omni vi hoſtili intactã ſeruauit, alióque diuertens, vt erat pacato milite ingreſſus, abſceſſit. Quocirca omnium gentium victor, ſacerdotibus ſe victum præbuit, & qui tot potentiſſimos Reges profligauerat, inermem vnum ſacrorum principem ſuſtinere non potuit: tanta eſt in miniſtris Dei diuinæ poteſtatis vis atque Maieſtas, tantaque fuit ſemper apud generoſos, & benè inſtitutos principes in ſacerdotes altiſſimi mira quædam reuerentia, & cum ſingulari quadam obſeruãtia diuinitatis opinio. Id quoque ipſum longe poſteà Hunnorum Regi Attylæ accidiſſe fertur, qui

Valerius Max. lib. 1. De cultu Deorum.

licèt

licèt ob ſuam feritatem, & immanitatẽ flagellum Dei diceretur: attamen Pontificis maximi Leonis primi authoritate motus, eiusque ſanctiſſimis monitis optemperãs, ſuas copias ab indicto vrbis excidio, atq. ab imminente totius Italiæ vaſtatione continuit, affirmans ſe clara luce vidiſſe dum loquẽtis Pontificis verba exciperet, duos præſtantes viros, quos Chriſtianæ religionis præcipuos illos duos heroas, Petrum videlicet & Paulũ, quidam interpretati ſunt, ſtrictis gladijs eius capiti atrociter minitantes, ni ſacerdotis Dei dictis acquieſceret. Quod itidem ferè de Mauritio Conſtantinopolitano Imperatore legitur, qui ſtatim ab impia in Pontificem maximum Gregorium Magnum tyrannide abſtinuit, ſuperba dominatione in ſanctiſſimi Pontificis reuerentiam, & obſequium cõmutata, vbi intellexit quendam inaudito & prodigioſo ſpectaculo monachali habitu indutum, cuius nomẽ, aduentus, & diſceſſus omnes latuit, minaci enſe in foro Conſtantinopolitano ſpectante populo clamantem dixiſſe, Imperatorem citò hoc gladio periturum.

CAPVT XXV.

AT quid Mauritium, Attylam, Alexandrum, & Romanos commemoro? cùm apud maiores ueſtros, ò Galli, etiam priùs quàm uitalia, & ſacroſancta Chriſtianæ Religionis inſignia accepiſſent, tanto in honore & veneratione ſacerdotes, quos, vt diximus, Druides appellabant, fuerint: vt non modò ſacris præeſſent, ſed vitæ etiam, atque mortis poteſtatem haberent. Ad ipſos omnes & priuatæ, & publicæ ciuium cauſæ deferebantur, & qui eorũ decreto non ſtabant, ſacrificijs interdicebantur: Non pendebant vnà cum cæteris tributa, habebãt militiæ vacationem, & rerum omnium immunitatem: Princeps ſacrorum erat ſummæ apud eos authoritatis, informabant populos ad humanitatem, & ad Dei cultum, iuuentutem ſuis inſtitutis erudiebant: Non laicis uiris quantũuis peritis, & ſummo loco natis, ſed ſolis Druidi- *Ius & exiſtimatio Druidarum apud Gallos.*

bus

bus religiones interpretari fas erat: De Deorum immortalium vi ac poteſtate, deque rebus diuinis nullis niſi Druidibus diſputare dabatur: Sacrorum diſciplinam non habebant communem cum populo, neque mandabant literis religionis arcana, ne in uulgus prolata uileſcerent, ſed diuinas notiones, quas à maioribus acceperant, in pectore ſeruabant, & cùm opus erat annunciabant poſteris: Quæ erant ab ipſis effata & tradita, vt diuina oracula à cunctis accipiebantur. Denique ea erat apud Gallos opinio, atq. exiſtimatio Druidarum eruditionis,ut nonnulli annos uiginti in eorum diſciplina permanerent. Attexam ad hanc narrationem Caij Cæſaris teſtimonium, ne ueritatis aduerſarij me ut fabularum authorem criminentur. Verba eius in ſexto libro commentariorum ſuorum de bello Gallico hæc ſunt:In omni,inquit, Gallia eorum hominum, qui aliquo ſunt numero atq. honore duo ſunt genera:nam plebs penè ſeruorum habetur loco, quæ nihil laudis habet, per ſe nullo adhibetur conſilio: Plerique cùm aut ære alieno, aut magnitudine tributorum,aut iniuria potentiorum præmuntur,ſeſe in ſeruitutem dicāt nobilibus: In hos eadem omnia ſunt iura, quæ dominis in ſeruos, ſed de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum equitum. Illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica & priuata procurant, religiones interpretantur: Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ij ſunt apud eos honore: nam ferè de omnibus controuerſijs publicis,priuatiſq. conſtituunt, & ſi quod admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt, ijdem diſcernunt, præmia, pœnaſque conſtituunt. Siquis aut priuatus,aut publicus eorum decreto nō ſtetit,ſacrificijs interdicunt:Hæc pœna apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum,hi numero impiorum & ſceleratorum habentur. Ijs omnes decedunt, aditum ſermonemque defugiunt,nequid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur,neque honos ullus cōmunicatur. Ijs omnibus Druidibus præeſt unus,qui ſummam

Cæſar ſexto libro de bello Gallico.

mam inter eos habet authoritatem, hoc mortuo, aut ſi quis ex reliquis excellit, dignitate ſuccedit, aut ſi ſunt plures pares ſuffragio Druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. & paulò poſt: Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ uacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmijs, & ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à parentibus propinquiſque mittuntur, magnum ibi numerum uerſum ediſcere dicuntur. Itaque annos nonnulli uiginti in diſciplina permanent, neque fas ea exiſtimant literis mandare, cùm in reliquis ferè rebus publicis, priuatiſq. rationibus græcis literis utantur. Hæc & nonnulla alia de Druidibus Cæſar.

CAPVT XXVI.

Ex ſumma Gallorũ ueneratione in Druidas colligitur quanta ſit noſtrorum temporum calamitas atq. temeritas & impietas Hæreticorum.

QVAE ſi hoc tempore catholicæ ueritatis aduerſarij, & Apoſtolicæ Eccleſiæ hoſtes æqua lance expendiſſent, ac dijudicaſſent, fortaſſis nunc uniuerſa Gallia, & cunctus Chriſtianus populus tot pernicioſiſſimis ſeditionibus, & inteſtinis bellis tantoperè non laborarent: neque quidam uel malè affecti, uel perditi homines præſentem Chriſtianæ reipublicæ ſtatum perturbare, funditusq. euertere ſtuderēt. Quandoquidem ſi Druidibus, qui nec uera ſacra adminiſtrabant, nec diuinum ueri ſacerdotij, ac iuſtificandi animas characterem habebant (quia nondum ueritas de terra orta erat, neque adhuc iuſtitia de cælo proſpexerat) tantum à priſcis illis, & ethnicis Gallis tribuebatur: quanto plùs nunc Euangelicis ſacerdotibus, qui & uera ſacrificia faciunt, & cæleſtis gratiæ legitimi miniſtri ſunt, quique ſummi ſacerdotis Chriſti perſonam gerentes, eas partes ſuper terram, quas Deus in cælo obtinet, tuentur, à chriſtianis hominibus tribui debebat, & debet? Quis tanto ueterno torpentes homines non miretur, tantaque dementia deprauatos huius temporis mores non obſtupeſcat? Quì fieri poteſt, ut mortalium

pectora tantoperè excutiant, & mentes hominum de ſua ſede emotæ, tantum deturbentur, & inſaniant? Druides tantum apud ethnicos Gallos in honore erant: & ſacerdotes Chriſti apud Chriſtianos Gallos erunt omnibus deſpicatui, atque ludibrio? Tractabant ſacra Druides: & ſacerdotes Chriſti aratro addicti erunt & ſeruilibus officijs deſtinabuntur? Druides præſidebant iudiciis: & Chriſti ſacerdotes, ut rei, & ab humanæ & diuinæ Maieſtatis reis, in iudicium uocabuntur? Druides, qui nullum niſi humano iure imperiū habebant, ſummo imperio utebantur: & Chriſti legati, qui diuino iure ſummum imperium habent, nullo imperio utentur, & omni poteſtate à ſceleratis hominibus priuabuntur? Interdicebant ſacrificiis Druides: & legitimis Chriſti miniſtris ſacrificiis interdicere non licebit? Druidum interdicta animis hominum tantum timoris & metus incutiebant, ut ab omnibus ſumma religione ſeruarentur: & chriſtianorū Pontificum interdicta nemini erunt ſacroſancta, & uulgò à Chriſtianis hominibus conculcabuntur? Qui Druidibus detrahebant, impiorum numero habebantur: nunc autem, qui de ſacerdotum Chriſti fama & gloria maximè detrahunt, inter præſtantes uirtute uiros, & pietate inſignes numerabuntur? Habebant Dynaſtem, & ſacrorum principem Druides: & Chriſti ſacerdotale collegium & regale ſacerdotium erit acephalum? Druides omnium rerum immunitatem habebant: & ſacerdotes Euangelici non modò laicis uiris tributa, & uectigalia penſitabunt, & undique oneribus publicis opprimentur, ſed ſacris etiam fructibus deturbabuntur, atque de uetuſtiſſima & legitima eccleſiaſticorum bonorum poſſeſſione deijcientur? Tot annos Gallorum nonnulli in Druidum diſciplina permanebant: & nunc tam magnus Gallorum numerus, tam ſubitò, ſine ulla ſacerdotali diſciplina, non modò Theologi, ſed ſummorum etiam Theologorum rigidiſſimi cenſores, & dictatores euadent? Denique apud Druides religionis inſtituta literis non mandabantur, & de rebus diuinis non niſi Druidibus diſputare fas erat: nunc au-

ſem nulla erit ſacerdotum Chriſti & paternarum traditionũ authoritas, atque de rebus ſacris omnibus etiam turpiſſimis hominibus, & in fece populi educatis, diſceptare & diiudicare fas erit, atque in uernaculam etiam linguam promiſcuè & communiter à uulgaribus & imperitis nebulonibus legẽdi, aut potius deprauandi, & profanandi ſacri codices, & diuina oracula transferentur? O peruerſa rerum conuerſio, ò præpoſtera tempora, ò impietas omnibus ſeculis apud omnes gentes omninò inaudita: a quibus unquam talia, niſi ab impiis, & ſæuiſſimis tyrannis, atque à peſſimè conſtitutis hominibus patrata ſunt?

CAPVT XXVII.

Quòd ẽt ab ĩpĩs & ſæuiſsimis tyrãnis agnita fuit ſemper ſacerdotalis præſtantia, exemplo Pharaonis & Scipionis Aphricani comprobatur.

QVIN peſsimè conſtituti homines, & impij atque ſæuiſſimi tyranni in turbulentis etiam temporibus ſacerdotalem præſtantiam agnouerunt, & illam ſumma religione uenerati ſunt. Nã Pharao cùm fames ualdè præmeret Aegyptum, vendentibus ſingulis poſſeſsiones ſuas, ſe à prædijs & Regno ſacerdotali, quod etiam regia libertate ſacerdotes poſsidebant, abſtinuit, illiſque cibaria ex horreis publicis conſtituit: & Scipio dum Carthaginẽ funditus euertit, dum hoſtilis flamma omnia uaſtat, dum undique acerrimè furit Bellona, in tanta hoſtium ſtrage, & equitum, atque militum tumultu, parcit attamen tot millibus hominum, qui in arcem Birſam confugerant: nec ob aliud niſi quia hoſtes, qui id ab eo ſupplici prece petebant, ſacerdotali habitu induti erant. O priſcorum hominum intemerata pietas, & noſtrorũ temporum uiolata religio. Affirmat Angelicus doctor non fortuitò, ſed diuina quadam prouidentia factum eſſe, ut in Romana urbe, & in Gallia itidem, cùm ambæ idolorum cultu tenebantur, & gentilium ſacris inſeruirent, ſacerdotes ſummo imperio potirentur: nam futurum erat, vt in vtraque natione Chriſtiani ſecerdotij plurimum uigeret religio. Nunc autem quomodo res ſacræ in Gallia ſe habent, omnes ſciunt:

Gen. 47.

Appian. Alexã. de bello Carth.

Diuina prouidẽtia factum fuiſſe affirmat diuus Thom. ut in Romana urbe & in Gallia, cũ utraq. gentilis eſſet ſacerdotes ſummo Imperio potirentur.

D. Thom. de regimine principũ lib. 1. cap. 14.

Galli quicquid præſtãtis & præclari habent à ſacerdotali Romanorum Pontificũ munificentia acceperunt, quod etiã à multis & ab omnibus ferè Gallorum Regibus agnitũ fuit.

Platina in uita Stephani Papæ huius nominis ſecũdi, & Petrus Meſsia in uita Constantini Imperatoris huius nominis quinti.

& tamen Galli, ut grati ſaltem, acceptorumque beneficiorũ memores, in memoriã reuocare deberẽt, quod præter egregia Maiorum ſuorum de religione inſtituta, quicquid præclari atque præſtantis habent, ſiue imperatoria munera, ſiue regios titulos ſpectauerimus, à ſacerdotali munificentia acceperunt. Etenim quod Reges Galliæ Occidentali imperio primi potiti ſint, quòdque tam celebri & inſigni elogio præ omnibus Chriſtianis principibus Chriſtianiſsimi dicantur: id certè totum ſacerdotibus acceptũ referre debent. Agnouerunt hoc ferè omnes Gallorum Reges, in primis autem Pipinus, & Carolus Pipini filius, cui à rebus geſtis Magno cognomentum fuit. Ambo enim ſacerdotale & Pontificium nomen uſque adeò coluerunt, ut non modò ſacerdotium ab omni ui hoſtili ſemper tutati ſint, ſed etiam ſacerdotibus accurrere, illorum pedes exoſculari, & pedeſtres ipſi à frænis equorum, quibus ſacerdotes uehebantur, illos in urbes ſuas introducere in magna gloria, atque in ſumma ſui nominis, & diadematis claritate poſuerint: nec ſolum Gallorum Reges hos ampliſsimos & maximos honores ſacerdotibus tribuerunt, ſed nemo vnquam fuit Catholicorum Regum, qui ſe imperio ſacerdotum, & ſacris illorum inſtitutis non ſummiſerit. Exquò Theodoſius Imperator (ut tot præclariſsima exempla recentiora omittamus) ob cædem Theſſalonicenſem ab Ambroſio grauiſsimis verbis, atque acerbè reprehẽſus, ſacrificijsque interdictus, ſingulari pietate, ac patientia incredibili, uelut alter Dauid, & Ezechias ſanctiſſimi ſacerdotis obiurgationes & monita accipiens, peccatùmque ſuũ publicè deteſtans, uerè & ex animo pœnitentiam egit, admiſsumque ſcelus Chriſtiano ritu expiauit: promulgata ex iuſſu Ambroſij lege, ne quis deinceps morti addictus, ſtatim poſt latam ſentẽtiam carnifici ad necem traderetur: ſed poſt triginta dies iterum eſſet Iudex petendus, quid de iudicio prolato ſentiret, idque de reo fieret, quod Iudex animo ſedatiore ſecundò pronunciaſſet: quod poſtea ſemper, præſertim autem in Antiochena ſeditione fuit ab eodem Imperatore ſan-

Quod nemo fuit unquam catholicorũ Regum, qui ſe ſacro ſacerdotum imperio non ſummiſerit Theodoſii & Constantini Magni Imperatorum exemplo ſit palàm.

Petrus Meſsia in uita Theodoſii primi.

re ſanctè obſeruatum, & ad Cæſarea & Canonica iura Imperatorio & Pontificio edicto aſcriptum. Idem ipſe Theodoſius, quamuis Chriſtianiſſimus & potentiſſimus Imperator, ab eodem tamen Ambroſio indignus habitus eſt, ut in æde ſacra in ſacerdotalibus ſubſellijs ſederet: quod tanta animi conſtantia tulit Imperator, ut Conſtantinopolim reuerſus, Patriarchæ inuitatui non acquieſcens, in ſacerdotali loco ſedere recuſauit, multò magis Mediolanenſis Epiſcopi, quàm Conſtantinopolitani Patriarchæ de ſacerdotum præſtantia ſentẽtiam approbans. Et antè Theodoſium, Conſtantinus Magnus quos honores non detulit ſacerdotibus? quibus ornamentis ſacerdotes non affecit? qua laude & gloria ſacerdotum amplitudinem non illuſtrauit? qua denique obſeruantia, & reuerentia in ſacerdotes non eſt uſus? Nam (ut Sylueſtri hiſtoria, & tot ampliſsima munera à Conſtantino ſacerdotibus collata prætermittam) quanta fuit Conſtantini modeſtia in Concilio Nicæno, in quo, ut ait Theodoritus Cyrenſis Epiſcopus, minore ſede quàm alijs poſita in medio eorum ſedit, primùm tamen petens ſibi hoc Epiſcoporum iuſſione concedi: & ſententia illa eiuſdem Conſtantini in eodem Nicæno Concilio de ſacerdotali Hierarchia & Maieſtate, an non uerè diuina fuit; è cælo humano generi ſingulari Dei munere allata, & in omni memoria omnibus laudibus celebranda? Quandoquidem cùm Epiſcopi in Nicæna ſynodo Conſtantino Cæſari libellos cauſarum, quæ inter ipſos agebantur, obtuliſſent, ut de ipſis ex ſuo ſenſu, tãquam ſupremus arbiter atque Iudex iudicium faceret: Reſpondens optimus Imperator, dixit: Deus uos conſtituit ſacerdotes, quibus & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à uobis rectè iudicamur, uos autem iudicari ab hominibus non poteſtis: propter quod Dei ſolius inter uos expectate iudicium, ut & ueſtra iurgia, quæcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dij: conueniens non eſt, ut homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga

Theodoritus Hiſto. Eccle. lib. 1. cap. 7.

Ruffinus lib. 1. Eccl. Hiſt. cap. 2.

Theodoritus in Eccl. hiſt. lib. 1. cap. 11.

Sozomenes Eccle. hiſto. lib. 1. cap. 17.

Pſal.81. nagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat: et ideo his omiſſis, alia quæ ad fidem Dei pertinent, abſq. ulla animorum contentione diſcutite. Cùm hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſſit exuri, ne innoteſceret ulli odium, & ſugillatio ſacerdotum.

CAPVT XXVII.

Latius explicatur quod in præcedenti capite de ſacerdotali præſtãtia dicebatur.

Reginaldus Polus in libro primo ad Regẽ Angliæ.

Pſalm.81.

CVM igitur Conſtantinus Magnus, qui non in ſacerdotali urbe, ſed in Britannia, & ex matre Britanna natus eſt, & quo (ut doctiſſimi & ampliſſimi Reginaldi Poli & teſtimonio, & uerbis utar) nullus Chriſtianorum Principum unquam maior fuit: tamen faſces ſuos ſacerdotibus ſummiſit, claraque uoce teſtatus eſt, Deum ſacerdotes ſupra omnes Reges & Imperatores conſtituiſſe, citans illud pſalmi: Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes: renuitque perſonam Iudicis in Concilio Nicæno ſibi oblatam à flore ſacerdotum Eccleſiæ: exquò iure accipere poterat, dicens, quòd Iudex eccleſiaſticarum controuerſiarũ ſolus Deus eſt: &, quod maioris momenti & ponderis eſt, ceſſit idem magnus Conſtantinus Eccleſiæ proceribus, cùm dignitas præfectorum Eccleſiæ non adhuc eſſet in Chriſtiana republica ita perſpicua, nec dum ita emineret, quemadmodum illam Chriſtus poſteà eminere uoluit, quando in conſpectu orbis omnibus mundi rectoribus, ipſis libentibus, & ultrò concedentibus, ſacerdotes præfecit: cùm nihil adhuc tantæ authoritatis emineret in ſacerdotibus, & Eccleſia, cùm ipſa adhuc quaſi adoleſcẽtula eſſet, & nondum conſtaret, an ad eam dignitatem, qua ſupra naturam extollebatur, Deus etiam leuiores hoſce honores, & mundi bona adiungeret: tamen ille Magnus honorem adhibuit, agnouitq́. Epiſcopos in Eccleſia Dei ſupremum locum, ſuperiorem omnibus mundi rectoribus, ſibi à Deo datum tenere: quanto magis nunc cedere debent recentiores Reges, cùm omnes principes & mundi rectores ad Chriſti gloriam faſces ſuos tot ſeculis ſa-

cerdotibus

cerdotibus ſummiſerunt? Quin idē Conſtantinus alio quodam ſuo, & quidem præclariſſimo exemplo demonſtrauit, quomodo cum ſacerdotum obtrectatoribus pij & catholici omnes agere debeant: ſiquidem ſacerdotum quorundam accuſatores reijciens, illisq́. ſilentium imperatorio iuſſu indicens, affirmauit, quòd etiam ſi idem ipſe ſacerdotalis criminis fuiſſet ſpectator, ſuo tamen pallio illos operire, quàm traducere maluiſſet, ſeque ſi fortè oculis conſpexiſſet ſuis epiſcopum alienum totum labefactantem, obtecturum paludimento ſceleratum facinus, ne cui fortè cernentium illud uiſum noceret: immo uerò tantam eſſe putauit diuinus hic Imperator ſacerdotalem præſtantiam, ut laicorum magiſtratuum ſententias non ratas eſſe ſanciuerit, ſi quis à ciuili ad epiſcopale iudicium interpoſita appellatione confugiſſet, atque ſacrorum procerum decreta tamquam ab Imperatore prolata, ab omnibus obſeruanda præcipiens, ſtatuit, inconuertibiles eſſe terminos ſynodales. Si ad exemplum huius tam magni Principis Chriſtiani, & recentiores Reges ſe gererent, utique nunc Chriſtiana Reſpublica in tot, tantisq́ue rerum conuerſionibus non uerſaretur: atque ſi Hæretici tam regij, quàm ſacerdotalis muneris ortum, progreſſum, finem, profectionemq́ue tractarent, & explicarent, eis nullus relinqueretur locus uires ſuas experiendi contrà ſacerdotum dignitatem: & ſole clarius perſpicerent, ſacerdotale munus, & diuina tractandi diſtinctum eſſe à regio munere, & præſtantius eo munere, quod totum ad humana curanda comparatum eſt: ac quemadmodum Conſtantinus Magnus laudatur, quòd delatam ſibi ab Epiſcopis iudicandi poteſtatem recuſauit: ita & ipſi de non uiolata religione, atque de non ſpreta aut uſurpata iuriſdictione ſacerdotali maximis laudibus ornarentur, & in æterna gloria eſſent: cùm modò; ut impij Reipublicæ perturbatores omni dedecore & uituperatione digni ſint, & bonis omnibus execrabiles & deteſtandi: quodq́ue maius eſt (ut diuina oracula minātur) delebuntur de libro uiuentium, &

Theodoritus in Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 11.

Socrates in tripartita Hiſt. lib. 1. cap. 11.

Pſalm. 68.

cum

cum iuſtis non ſcribentur, & ruina, atque opprobrium ſempiternum erit eis. Et undè tota Germanorum pernicies hoc tempore orta eſt, niſi quia diuinam ſacerdotum poteſtatem & dignitatem inficiati ſunt, & ſacrorum procerum imperia detrectantes, catholicam ſacrorum uirorum diſciplinã repudiauerunt? Ex hoc in reliquorum ſacrorum myſteriorum contemptum prolapſi ſunt, & in ſtatum in quo nunc ſunt, peſſimum, ac miſerrimum deuenerunt: nec aliter eis euenit, atque Græcis, qui, ut refert Homerus, (nam & poetæ quãdoq. uera dicunt) lethifera cõtagione, & pernicioſis ſeditionibus laborare cœperunt, ubi Chryſen Apollinis ſacerdotẽ inhonorauerunt: nec unquam fœda lues & peſtis illa ceſſauit niſi ſacerdote placato. Idipſum Pompeio Magno, & Marco Craſſo, nonnulli affirmant accidiſſe: ambos enim in maximas miſerias nec ob aliud incidiſſe autumant, niſi quia hic ſpreta religione Parthis bellum intulit: ille uerò, quia deuicta Aſia, Hieroſolymis ſacrum aerarium expoliauit. Quid autem Heliodoro conſimile facinus molienti, atque Antiocho acciderit, Machabæorum libri teſtantur. Sed de hac re iam ſatis in primo libro dictum eſt, ubi tot perditorum principum ſua impietate & tyrannide ſacerdotio inſultantium, exitiales & miſerrimos exitus enarrauimus: qui, ſi in ſanctiſſimæ parentis Eccleſiæ ſinu, ut orthodoxi & catholici filij ſe ſe continuiſſent, nunc illorũ memoria in benedictione apud omnes eſſet, & in cæleſtium concilium relati, illo ſummo bono fruerentur, ad quod procreati fuere, & à quo huius lucis uſuram acceperunt: cuiuſque ſingulari munere ſacerdotes eius iuſtitiam induerunt, ut eſſent pijs omnibus ſalutares, & tamquàm præſides orbis ſacra illius negocia adminiſtrarent: lupos à catholico Chriſti ouili propulſantes, & ſegregantes oues ab hædis.

Lib. 1. Odiſſea.

Veterum Græcorũ Pompei Magni, Marci Craſſi, Heliodori & Antiochi Regis exemplo demonſtratur, qua calamitate affecti fuerint quicũque ſpreta religione ĩ ſacra loca & in miniſtros Dei inſultauerunt.

Machabæorum, lib. 2. cap. 3. et 5.

CAPVT XXIX.

Tribus ſequẽtibus capitibus q̃ plurima ſacerdotalis muneris Elogia explican.

HOCQVE profectò eſt, quod Dei filius legatis ſuis dixit: Sicut miſit me uiuens pater, ita ego mitto uos, hoc

hoc eſt,ò paſtores animarum,ò ſacerdotes mei, Non ita ego mitto uos quemadmodum mittebantur ſacerdotes in lege naturæ, qui nullam habebant ſupranaturalem poteſtatem:& idcirco à ciuili republica, & à profanis regibus inſtitui poterant, ut fuerunt Aegyptiorum, Romanorum, & aliarum gentium ſacerdotes, Nec ita ego mitto uos, quemadmodū mittebantur Leuitici ſacerdotes, qui licet non ab hominibus, ſed à Deo miſſi ſunt, per Moyſis & Aaronis miniſterium,nulla tamen ſpirituali clauium poteſtate præditi erant: ita ut tantæ authoritatis eſſent, quòd re ipſa cæli fores claudere, uel reſerare, aut re ipſa diuinam gratiam conferre ualerent: Verùm ita ego mitto uos, ſicut miſit me uiuens pater, hoc eſt, ut ueros ueri ſacerdotij miniſtros, in quos & naturæ, & Moſaycæ legis ſacerdotium translatum uolo: ita, ut poſthac nuſquam erunt ueri ſacerdotes niſi in Euangelica lege, & in Eccleſia ſancta mea. Ego enim ſum author naturæ & gratiæ,&, ut dixi, finis legis & prophetarum: & idcirco mitto uos legatos meos in omnem terram ut miniſtros, non naturæ & legis, ſed ſpiritus & gratiæ, ad reſerandas electis meis,& ritè ac piè credentibus cæli portas, tamquam ſupernæ ciuitatis ſanctæ Hieruſalem ianitores, & cæleſtis regni clauigeri, ac meorum ſacramentorum adminiſtri, & diſpenſatores miniſteriorum Dei, hoc eſt,in paſcendis ouibus meis, & in regenda militanti Eccleſia,eritis mei loco præpoſiti, atque diuinam poteſtatem habebitis, & talem,ut ea præſtantior in terris eſſe non poſſit: etenim eritis inſtar mei, reges regum, & dominantium domini. Et ſicut conſtituit me pater meus Regem ſuper Sion montem ſanctum eius prædicantem præceptum eius: ita ego poſui uos ſuper terram, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat: ut tamquam Principes populorū cōgregaremini cū Deo Abrahā, & tamquam Dij fortes terræ in altiſſimo dignitatis gradu collocaremini. Vos ſugetis lac gentium, & lactabimini mammilla principum, & ad uos transferetur gloria Libani,& gēs & regnum, quod non ſeruierit uobis, peribunt. Eritis ſi-

tur, & deducuntur ex præclara illa Chriſti ſententia, nempe: Sicut miſit me uiuens pater, ita ego mitto uos.

Quod nam ſit diſcrimen inter naturæ, Moſaycæ, & Euāgelicæ legis ſacerdotes, explicatur.

Dom. Soto in 4. ſenten. diſtin. 20. quæſt. 1. art. 3.

Heb. 7.

Iſa. 61.

Iohan. 6.

Apoc. 19.

Pſalm. 2.

Iohan. 15.

Pſal. 46.

Iſaia. 60.

Math. 5. cut ſal terræ, ſpargentes uim quandam ſalubrem animis hominum, & ueſtro miniſterio impartientes ſalutaria remedia, & uitalem ſapientiam omnibus, ut fideles, & in me credentes ab omni corruptione perpetuò integri & incolumes ſeruentur. Eritis ſicut lux mundi, mentes hominum ſalutari doctrina, & cæleſti eruditione illuſtrantes, ut qui in mundo ſunt, uidentes ueſtra opera bona, glorificent patrem meũ, *Eph. 2.* qui in cælis eſt. Eritis ſicut lapides fundamenti, ſupra quos miro quodam artificio & ordine ædificabo Eccleſiam meã: quam à me ipſo lapide angulari in ſalutem humani generis extruere cœpi, ut ſim ipſe primogenitus in multis fratribus: *Rom. 8.* *Math. 16.* contrà quam nec portæ inferi, nec ulla poteſtas uiſibilis, aut inuiſibilis præualebunt, ut felicitas humana ueteris Adæ miſeria conquaſſata, per me ueræ felicitatis architectum refecta, & in præſtantiorem ſtatum reſtituta, ſuper uos primarios miniſtros meos ædificata, Deo authore & auſpice, *Math. 13.* in cælum fauſtè & feliciſſimè creſcat. Vobis primùm incar*Marc. 4.* *Luc 8.* nati Verbi ſacrum arcanum, & diuinitatis meæ uera agnitio *Pſal. 132.* à Patre luminum reuelata eſt: ut ſicut unguentum, quod à capite defluit in barbam, barbam Aaron, latè per uniuerſum corpus dilapſum, diſtillat tandem & funditur uſque ad oram *Pſal. 18.* ueſtimenti eius: ita in omnem terram exeat ſonus ueſter, & *Marc. 16.* uerba ueſtra in fines orbis terræ, omnibusque per uos notũ *D. Chryſoſto. in cap. Math. 21. Homil. 20.* fiat redemptionis humanæ myſterium æternum. Poſui uos in ædificio domus Domini petras foraneas & extimas, ut ſitis omnibus ſpectabiles, tamquam ornamentum, decor, & pulchritudo templi, & per uos columnas, & baſes firmiſſimas tota ſpiritualis ſtructura, & compoſitio ſit bene fundata, & conſtituta. Dedi uos in lucem gentiũ, ut ſit ſalus mea *Iſaiæ 49.* *Math. 6. & 5.* uſque ad extremum terræ: & poſui uos oculos corporis Ec*Exod. 27.* cleſiæ, ut ſitis lucernæ ardentes in ſanctuario Dei, & per uos diſſipatis undique errorum tenebris, lumen ueræ intelligen*D. Chryſ. in cap. Math. 24. Homil. 48.* tiæ omnibus in me credentibus refulgeat: id eſt, poſui uos in templo meo, ut luminaria & quaſi candelabra lucentia, uerbum uitæ cõtinentes: exquò facilè uobis extinctis, Eccle

ſia à latronibus prædam patietur in tenebris. Dedi uos ſpeculatores Domui Iſrael, idcirco uos in ſublimi, & excelſo loco collocaui, ut omnes, qui meam fidem profiterētur, ad nutum ueſtrum ſinguli ſuas tuerentur partes, & iuſſionibus ueſtris obtemperantes, Chriſtianæ militiæ munia ſine dolo exercerent, & libenti ac uirili animo mandata ueſtra exequerentur. Poſui uos in Eccleſia ut cor in corpore, ut ex uobis tamquam ex corde in reliquos fideles meos uita procederet, & ſine uobis mors animæ, & ſpiritualis naturæ diſſolutio neceſſariò ſubſequeretur: & quemadmodū languente ſtomacho reliqua corporis membra ualere nequeunt, ita nulla ciuilis Reſpublica, aut Regnum diu conſiſtere poterit, ut Deo uiuat, uobis legitimis ſacerdotibus reiectis, aut infirmato imperio ueſtro ſacerdotali. Vos enim eſtis cæli, qui enarrant gloriam Dei, ſine quorum uitali motu, & lumine, atq. tactu, & ui præpotenti inferiora hæc neque in Deo ſubſiſtere, neque rectè unquàm gubernari poterunt. Et quemadmodum domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarū, & omnes qui habitant in eo: ita omnia quoque ueſtra erūt, ut ſicut eſt unus Deus in cælo, ita unus quoque ſit eius Vicarius in terra. Et quemadmodum regia & diuina mea poteſtate eieci uendentes & ementes de templo, & menſas nūmulariorum, & cathedras uendentium columbas euerti: ita ueſtra, quæ mea eſt, regia & diuina poteſtate templū meum purgabitis ab omnibus immunditijs filiorum Iſrael, & domum meam ſanctificabitis, & eritis mihi in ſacerdotium, & in peculium ſempiternum.

Ezech. 3. *D. Chryſoſt. in cap. Matth. 21. Homil. 38.* *Pſal. 18.* *Pſal. 23.* *Matth. 21.* *Marc. 6.* *Iohan. 2.* *Leuit. 16.* *Iohan. 13.* *Exod. 19.*

CAPVT XXX.

DENIQVE ſicut miſit me uiuens pater, ita ego mitto uos, id eſt, eandem ferè, quæ data eſt mihi, poteſtatem do uobis: ita ut quemadmodum per me Reges regnant, ſic ſine uobis Reges mei ritè regnare nō ualeant: quia per uos oleo ſancto meo non unxi eos, nec manus mea au-

Iohan. 6. *Matth. 28.* *Prouerb. 8.*

Pſal. 88. xiliata eſt eis, & brachium meum non roborauit eos. Pariter quemadmodũ ego ſum ſacerdos & Rex, ſic & uos eſtote regale ſacerdotium, ut quemadmodũ mihi, ſic & vobis omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & per vos omnis lingua cõfiteatur, quia ego ſum in gloria Dei patris. Similiter quemadmodum ſpiritus Domini ſuper me, ſic & ego dedi vobis Spiritum ſanctum, ut quorum remiſeritis peccata, remittantur eis: & quorum retinueritis, retenta ſint. Vſque eò ut nec uos eritis qui loquemini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquetur in uobis. Quid plura? Ego claritatem, quam dedit mihi pater, do uobis, ut ſitis unum, ſicut & nos unum ſumus: vnum quidem non natura, quemadmodum ego & pater unum ſumus, ſed unum diuina quadã metamorphoſi, qua totos in me transferemini, & tranſmutabimini: unum priuilegio adoptionis: unum uinculo charitatis, & gratiæ: unum habitudine, & affectu: unum pietatis conſenſu: unum ſanctæ meæ carnis cõmunione: unum unius ſancti Spiritus participatione. Quamobrem ſicut ego in patre, & pater in me eſt: ita communione quadam poteſtatis & gratiæ, ego in uobis, & uos in me eritis. Etenim quemadmodum opera quæ ego facio, ſunt à patre meo, & pater in me manens, ipſe facit opera: ſic & opera, quæ uos feceritis, à me erunt, & ego in uobis manens faciam opera. Ipſe namq. per uos in uobis latitans, euangelizabo, baptizabo, ſacrificabo, ligabo, ſoluam, condonabo peccata, exaltabo, humiliabo, deducam ad inferos, & reducam, regnabo, euellam, deſtruam, diſperdam, diſſipabo, ædificabo, plantabo: in omnibus tandem perſonam meam ſuſtinebitis, & quicquid hominibus donabitis, in perſona mea donabitis. Nec aliud in regenda Eccleſia ſancta mea inter me & uos erit diſcrimen, niſi quòd uos eritis miniſtri gratiæ, ego author: uos mecum gratia tales, ego & pater natura. Nam poteſtatem illam authoritatis quam habeo ut Verbum & ut Deus, in nullum transferre, ac cum nemine communicare poſſum, ſicut nec meam eſſentiam, cuius nulla pura creatura capax eſſe poteſt.

Marginal notes: Pſal. 109. 1. Pet. 2. Philipp. 2. Eſaia. 61. Iohan. 20. Matth. 10. Iohan. 17. Iohan. 14. D. Chryſoſt. in caput Ioan. 20. Homil. 85. 2. Cor. 2.

teſt. Poteſtas autem excellentiæ, & ſi communicabilis eſt, mihi tamen uni debetur: idcirco in ſaluandis animabus, & in regimine Eccleſiaſtico neceſſe eſt ut ego agam propria authoritate, & præſtantiori quodã excellentiæ modo, uos autẽ delegata: ita tamen ut ſicut mea per ſe, ſic & ueſtra authoritas diuino priuilegio maxima erit, exquò non amplius eritis regnum ſacerdotale, ſed eritis regale ſacerdotium, hoc eſt, non in regij muneris, ſed in ſacerdotij unitate præcipuè unitas meæ Eccleſiæ conſiſtet: & uos regibus, non reges uobis præſtabunt, & ſupra uos nihil erit in terra, ſed ipſi vos eritis præſides orbis, duces hominum, proceres ſacri, animarum patroni, chriſtianæ libertatis uindices, magiſtri populorum, ductores Regum, dictatores fidelium, nomophylaces, cuſtodes legum, fideles conſiliarij, paſtores populorum, & patres omnium, habentes virgam uirtutis Sion, & utrunque gladium, diuinæ ſcilicet, & humanæ poteſtatis, quorum alter pro uobis, alter à uobis tractandus eſt, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorũ in manicis ferreis. Vel uterque pro uobis tractandus eſt: ſed alter manu ſacerdotis exerendus, alter Imperatoris iuſſu & militis manu, ad ueſtrum tamen nutum, euaginandus. Vterq. enim ueſter erit, quia uterque meus eſt: ſiquidem non modò erit uobis ſacra & pontificia Aaronis maieſtas, & uis terrifica eccleſiaſtici illius gladij, quo ſeditioſis & deſertoribus filijs, & diuinum templum, & hominum ora, & ipſum inſuper cælum occludere poſſitis: ſed habebitis etiam ſummã politici principatus iuriſdictionem, & longè maiorem, atq. præſtantiorem illa, quæ olim fuit in Machabæis principibus, in Samuele iudice, in Moyſe duce, & in Melchiſedec rege, & ſacerdote. Nam ſicut ego ſum alpha & omega, principiũ & finis: ita Monarchia euangelica per me à uobis incipiet, ueſtraque in primis, quæ mea eſt, poteſtate, & authoritate tota adminiſtrabitur, & in uobis finem habitura eſt: exquò uobis ſublatis, non amplius erit regnum meum in terra: & quiſquis

Dom. Soto in 4. ſent. diſ. 1. queſt. 5. art. 4.

Exod. 19.

1. Pet. 2.

Pſal. 109.

Pſal. 149.

D. Bernardus de cõſideratione ad Eugenium Papã lib. 4.

Alludit ad illud Põtificium cùm coronatur Imperator. Papa enim dans Imperatori euaginatum gladium dicit, accipe gladium de ſuper beati Petri corpore ſumptũ.

Apoc. 1. & 22

quiſquis à ueſtro diuino ductu, & à ſacro ueſtro imperio ſe ſubtraxerit, neque inter ciues ſanctorũ, & domeſticos Dei, neq. inter cæli hæredes, & cohæredes meos cẽſendus eſt: No-
Ezec. 3. luerunt quippe audire uos, quia me priùs audire noluerunt.

CAPVT XXXI.

CAETERVM ea ratione eritis christiani orbis Hierarchæ, & œcumenici præſides & paſtores omnium, ut uobis prorſus interdicta ſit dominatio, id eſt, violentus quidam principatus & tyrannicum regnum: talis enim dominatus à uitiata natura ortum habuit: huncque in modum principes gentium dominantur, qui abiecta populorum cura, neglectaque religione omnia ad ſe ipſos, & ad ſuum cõmodum referunt, & diuina, & humana iura confundentes,
Matth. 20. Marc. 10. miniſtrari cupiunt, non miniſtrare. At non ſic erit inter uos; ſed maior ueſtrùm erit miniſter ueſter, & ſeruus ſeruorum Dei appellabitur: uerus enim princeps eſt populi pater, & miniſter ſeruorum Dei, nec erit poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felix. Nam quemadmodum benè agente populo unuſquiſque pro bono ſuo remunerabitur, ſacerdos autem pro bonis omnium: ita peccante populo unuſquiſque pro peccato ſuo punietur, ſacerdos autem pro peccatis omnium. Etenim quò quis in loco ſuperiori, eò in pe-
Sap. 6. riculo maiore uerſatur: & potentioribus grauiora ſupplicia ſeruantur, ſi concredito ſibi à Deo munere abuſi fuerint: cui enim multum creditum fuit, plus ab eo requiretur. Quales attamen uos cunque eritis (ſi tamen in Cathedra euangelicæ ueritatis & poteſtatis iure ſedebitis) rerum omnium eritis domini, & ueſtro ſacro imperio parebunt uniuerſa: ut agnoſcat me mundus in uobis, & ſciant homines, quia ego Dominus. Neque enim ex aliorum, aut ex ueſtra probitate aut improbitate poteſtas ueſtra pendebit, ſed ex me, qui elegi uos, ut apud mortales omnes (ſiquidem omnes cupio ſaluos fieri) ſed in primis apud electos meos, apud christiani

gregis

gregis oues, apud eccleſiaſtici corporis membra mihi & uobis per fidem, & per iuſiurandum in baptiſmo copulata, uim & numen meum teneritis, & in mei locum ſuccedentes, in terris uſque ad mundi finem, mei uicem obtineritis. Itaque omnes quicũque ueſtra ſacra imperia ob mores hominum malos detrectare tentabunt, inter diuinæ Maieſtatis reos cõſcribentur: quia æterni Conſilij non ignari, mãdata mea ſpernentes, agnitam ueritatem impugnauerunt. Ego enim palàm locutus ſum mundo, & notum feci omnibus, quòd ſicut miſit me uiuens pater, ita ego mitto uos: & quòd ego diſpoſui uobis, ſicut pater meus diſpoſuit mihi Regnum, ut Hierarchia euangelica, non ſpecioſis quibuſdam nominibus, & inanibus quibuſdam titulis conſtaret: ſed maximis meis laboribus, & meo ſanguine fundata, uiſibili & uero meorum legatorum principatu, & miniſterio, quaſi firmiſſimo quodam fundamento perpetuò inniteretur, & ad omnem uentorum, pluuiarum, & alluuionum iniuriam, ſemper firma, & immobilis exiſteret.

Ioan. 18. & 6.
Luc. 22.

CAPVT XXXII.

HAEC de ſacerdotali præſtãtia ex verbis Chriſti pauca dixiſſe ſatis ſit, quibus neminem unquam catholicæ ueritatis cultorem refragatum fuiſſe ſatis cuique patet: immo non modò orthodoxi doctores, & catholici omnes, ſed œcumenica concilia uniuerſa, tantum ſemper ſummo ſacerdotum collegio detulerunt, ut ſine illius ſacerdotali authoritate, & præſertim ſine ipſo ſacrorum principe, Romano uidelicet Pontifice, nihil firmum, nihil ſanctum, nihil ratum unquam habere conſueuerint. Etenim (ut ex quàmplurimis paucula quædam perſtringam) cùm primùm ſub Conſtantini Magni feliciſſimis auſpicijs tutam & pacatiſſimã pacem, & ſummam catholicos ad conuentus publicos conuocandi, generaliaque Concilia celebrandi facultatem haberet Eccleſia, indicta Nicæna ſynodo, quæ licèt imperiali diplomate,

Quantũ ſummis ſacerdotibus & Pontificibus maximis ſemper œcumenica Concilia detulerunt, demõſtratur.

plomate, & tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum fuiſſet authoritate ſuffulta, necnon Victoris, & Vincentij Apoſtolicæ ſedis legatorum ſubſcriptionibus, & ſubſignationibus abſoluta: nullum tamen robur illius decreta habitura, tota ſynodus iudicauit, niſi Romani Pontificis fuiſſent authoritate munita. Quamobrem ad Syluestrum Pontificem Romanũ miſſa ſunt, qui in publicis & ſacris comitijs, quæ tunc Romæ in Thermis Domitianis, quæ nunc uocantur Traianæ, habebantur, hunc in modum de ſynodo illa definiuit. Syluester Epiſcopus ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis, præſul Romæ dixit: Quicquid in Nicæna Bithiniæ cõſtitutum eſt, ad robur ſanctæ matris Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ à ſanctis ſacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore cõfirmamus: omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti & magni Cõcilij, quod apud Nicæam congregatum eſt ſub præſentia pijſſimi, & uenerandi principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus: & dixerunt omnes, Placet: quod etiam à Chalcedonenſi Concilio obſeruatum fuiſſe nulli dubium eſt, in quo ſexcentorum & triginta Epiſcoporum ueneranda ſocietas decretorum ſuorum à Leone I. confirmationem petijt: quamuis tota Synodus illa, non modò fuiſſet eius nutu collecta, ſed etiam à Legatis ſuis Lucentio & Paſchaſino Epiſcopis, & Baſilio, ac Bonifacio ſacerdotibus in ea præſidentibus adminiſtrata. Idem de tertia, quæ & ſexta dicitur, Conſtantinopolitana ſynodo affirmare licet, quam ſub Dono conuocatam, ſub Agathone cœptam, ſub Leone II. abſolutam, ab eodem Leone II. approbationem accepiſſe ex iis, quæ ad Conſtantium Auguſtum conſcripta fuere, nõ obſcurè conſtat. In illis enim literis hæc uerba legũtur: Quia definitionem rectæ fidei ſancta uniuerſalis & magna ſexta ſynodus pleniſſimè prædicauit, quam & Apoſtolica ſedes Beati Petri Apoſtoli, cuius licèt impares miniſterio fungimur, ueneranter ſuſcepit: idcirco & per nos, & per officium noſtrum hæc ueneranda ſedes Apoſtolica concorditer & unanimiter iis, quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & beati Petri authori-

authoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidam petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptus eſt firmitatem. Idem etiã ipſum in Aphricanis, & Europeis, & in cæteris omnibus uel generalibus, uel prouincialibus, uel quæ medio modo ſe hãbent, Concilijs, inuiolata, & ſumma quadam religione à primordijs Chriſtianæ fidei ſemper factitatum fuiſſe ex illorum actis, & ex eccleſiaſticis hiſtoriis poteſt ſatis apertè dignoſci. Extant enim tot ſummorum & ſanctorum Pontificũ decretales literæ, tot Regum & Imperatorum firmiſſimæ ſanctiones, tot ſynodales & patriarchales epiſtolæ, tot ſancti Spiritus, & catholicorum Patrum canones, & diuinæ uoces, quæ Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam ſedem, & diuinũ thronum, ut ſanctiſſimam Petri cathedram, ut ſummũ Chriſtianæ religionis tribunal, ut tutiſſimum quoddam aſylum, & propugnaculum orthodoxæ ueritatis, non humanis ſtudijs, ſed euangelica Domini uoce inter cæteras Eccleſias omnes primatum obtinuiſſe teſtantur: ad quas pium lectorem referendum eſſe, hac præſertim ratione indico, ut ipſe per ſe, ex ipſis puris & limpidiſsimis fontibus hauriat diuinum Romani Pontificis principatum, agnoſcatque ſummam hæreticorum hominum impudentiam, & impietatem, qui ſuis contortuplicatis ſophiſmatibus, palpabilibuſque mendacijs, & humana & diuina, teſtimonia deprauantes, confundenteſque, illum apud impios, & malè ſanos quoſdã tanta fraude, & ſcelere, tantaque contumacia criminantur.

Matth. 16. *1. Corinth. 10.*

Cùm ad Eccleſiaſticam authoritatem explicandã, & roborandam magnam uim habere uideat hæc perpetua repetitio, quæ in hæc tria ſequẽtia capita creſcit, conſultò illam ita legendam eſſe cenſuit author. Vſus eſt præterea conſimili dicẽdi modo D. Aug. in libro de Agone Chriſtiano. c. 3.

CAPVT XXXIII.

De præſtantia, & priuilegijs Romanæ Eccleſiæ.

INVENIET namque Eccleſiam Romanam non ſynodicis decretis, ſed viuo & expreſſo Dei verbo cæteris Eccleſijs prælatam fuiſſe, utpote cui in beato Petro à Chriſto dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

In præfatione Cõcilij Nicæni. *Matth. 16.*

Ibidem.

Inueniet non ſine ſingulari diuini numinis prouidentia factum eſſe, ut in eadẽ Romana urbe ſocietas beatiſsimi Apoſtoli Pauli adhiberetur, qui uno die, unoque tempore glorioſa morte cũ Petro ſub Nerone agonizans, coronatus eſt: nimirùm, ut ambo pariter Eccleſiam Romanam Chriſto domino conſecrarent, cæteriſque omnibus urbibus in uniuerſo mundo illam ſua præſentia, & uenerando triumpho præferrent: exquò Romana Eccleſia cæleſti beneficio inter cæteras omnes Eccleſias, Apoſtolica, & prima Sedes diceretur, & eſſet.

In epiſt. Vigilij Papæ ad Eutherium.

Inueniet Romanam Eccleſiam eſſe matrẽ ſacerdotalis dignitatis, & eccleſiaſticæ magiſtram rationis: quandoquidẽ licèt omnium Apoſtolorum par eſſet electio, beato tamen Petro conceſſum eſt, ut cæteris præcelleret. Vndè & Cephas dictus eſt, id eſt, petra & ſaxum ingens, caputque & princeps omnium Apoſtolorum: & quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſſe eſt.

In decretis Felicis Papæ in Epiſto. ad Benignum Epiſcopum.

Inueniet ex uiua Apoſtolorum traditione, ſanctã & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam eſſe matrem omnium Eccleſiarum, utpote quæ ſingulari Dei munere à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam errauit, nec hæreticis prauitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab authoribus ſuis, ſic ſemper Apoſtolorum Chriſti principibus illibata permanſit.

In Cõcilio Chalcedonen. ſub Leone I.

Inueniet celeberrimas totius Chriſtiani orbis ſynodos fateri ſe à Romana Eccleſia edoctas eſſe: & ſecundum illã decreta edere oportere, inualidaque eſſe quæcunque in Concilijs ſine Apoſtolicæ Sedis Legatis geruntur.

In Conc. Carth. & Milenitano.

Inueniet etiam minora Concilia in arduis fidei quæſtionibus ſemper Pontifices Romanos, & Apoſtolicam Sedem conſuluiſſe.

In quadam epiſt. decretali Marcelli Papæ ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ, & in decretis Dionyſii Papæ.

Inueniet quòd omnes Epiſcopi ad Eccleſiam Romanam, quaſi ad ſuum caput, iuxtà Apoſtolorum ſanctiones confugere, eamque appellare debent: ut inde accipiant condemnationem, & iudicium, undè acceperunt informationem,

& con-

& conſecratione: & quòd omnes Eccleſiæ illius iudicio iurè ſubeſſe debent, à qua ſacram inſtitutionem & diuini cultus formam acceperunt.

Inueniet ex iuſſu Domini Apoſtolicis decretis ſancitum eſſe, ut maiores cauſæ, & difficiliores quæſtiones ad Sedem Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus uniuerſam conſtruxit Eccleſiam, referantur.

In decretis Anacleti in fine epiſto. 1. & in Conc. Sardicenſi ſub Iulio. 1.

Inueniet omnes fines orbis, qui Dominum ſyncerè receperunt, & ubique terrarum catholicos ueram fidem confitẽtes in Eccleſiam Romanam tamquam in ſolem reſpicere, & ex ipſa lumen catholicæ & Apoſtolicæ fidei recipere: quia fides Petri (Deo reuelante) innotuit, & ſoli Petro à Domino dictum eſt: Rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu conuerſus aliquando confirma fratres tuos: Et, Paſce oues meas, hoc eſt (ut inquit diuus Chryſoſtomus) eſto mei loco præpoſitus, & fratrum tuorum caput, os, atque princeps.

In Epiſtola Maximi ad Orientales.

Luc. 22. Iohan. 21. D. Chryſoſt. in capus Iohan. 21. Homil. 87.

Inueniet quòd tanta fuit ſemper Apoſtolicæ Sedis authoritas, ut illi ſe hærere, etiam Hæretici fingerent, cui qui non eſſet iunctus, eum pro ſuo non habebat Hieronymus. Hinc Paulinus, & Apollinaris aſſeuerabant, ſe cum Damaſo ſentire, quò facilius morbum ſuum tegere poſſent.

In Theodorito lib. 5. cap. 5.

Inueniet quòd omnes Hæretici ſemper iudicio uenerandæ Romanæ Sedis ſublati ſunt: & quòd omnes illi, qui eam pro capite habere noluerunt, non fuerunt, neque ſunt Dei ſacerdotes, neque fideles ſerui.

In epiſt. Iuſtiniani Imperatoris ad Epiphanium, quæ eſt in ſexta Synodo.

Inueniet quòd in ordine ſucceſſionis Romanorum Pontificum à beato Petro uſque ad ſanctiſſimum GREGORIUM XIII. qui nunc tanta cũ maieſtate & laude præeſt Eccleſiæ, nullus in beata illa Cathedra ſedit, qui re uera, & propriè aut hæreticus, aut ſchiſmaticus eſſet, ita ut contra ſingularem Petri Cathedram, alteram collocaret.

In D. Aug. epiſt. 165. & in optato lib. 2. contrà Donatiſtas.

Inueniet quòd ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem & præſtantiorem principatum, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in

In Irenæo lib. 3. cap. 3. & in Euſebio lib. 5. cap. 6

Eccl. Hiſt.

qua ſemper conſeruata eſt, ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.

In Theodorito ad Renatum presbyterum.

Inueniet quòd meritò ſancta Romana Sedes tenet gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit: neque ullus unquam, qui contraria ſentiret, in ea ſedit, ſed ſemper Romanus Pontifex Apoſtolicam gratiam inuiolatã cuſtodiuit.

In D. Hieronymo ad Ruffinũ lib. 3.

Inueniet Romanam Sedem Apoſtolica uoce laudatam, Hæreticorum præſtigias non recipere, etiam ſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt: & Pauli authoritate munitam, non poſſe mutari.

In D. Hieron. cõtra Ruffinum libro 1.

Inueniet quòd ſola fides Romana, eſt fides catholica: & quòd quicquid eſt præter fidem Romanã, non eſt catholicũ.

In Sozomeno lib. 7. cap. 3. Eccl. Hiſt. & Trip. lib. 9. cap. 7.

Inueniet quòd Romana fides uſque adeò catholica ſemper fides eſt habita, ut Gratianus Imperator (quo imperante uixit Hieronymus) noluerit de fide diſputari, ſed edictũ fecerit, ut cuncti, qui ſuo imperio parebant, eam religionẽ retinerent, quam uertex Apoſtolorum Petrus initio tradidiſſet, ac tum Damaſus Romanus Epiſcopus cuſtodiret: & hoc non modò in Eccleſiaſtica legitur hiſtoria, ſed etiam edictum ipſum in codicem Iuſtiniani de ſumma Trinitate, Lege cunctos, relatum eſt.

In Stanislao Hoſio de fide et ſymbolo cap. 28.

Inueniet quòd non modò nemo fuit unquam Catholicorum, qui de fidei cauſis, ſiquid eſſet in dubium uocatũ, non ad ſedem Apoſtolicam referendum eſſe putaret: uerùm etiã Hæreticos id feciſſe, eccleſiaſtica docet hiſtoria, ubi legitur, quòd Euſebius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad Pontificem Romanum Iulium miſerit, atque ab eo petiuit, ut in cauſa Athanaſij iudex eſſe uellet; quin tota illa ſynodus Epiſcoporum, quæ fuit Antiochiæ cum Euſebio congregata, acta ſua eiuſdem Pontificis iudicio comprobari petiuit.

Socrates Hiſt. Eccle. lib. 2. cap. 15

De Fortunato Pſeudoepiſcopo ab Hæreticis cõſtituto, deq; Baſilide, quòd Petri Cathedram appellauerint, memoriæ prodidit Cyprianus. Fecit idẽ Petrus Habaillardus diui Bernardi temporibus. De Cæleſtio autem ſcribit Auguſtinus,

Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. & 4. Bernardus epiſt. 109.

quòd

quòd is beati Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere: immo ſe omnia quæ ſedes illa damnauerat, damnaturum eſſe promiſit. Idem hoc factum eſt à noſtri temporis Hæreſiarcha Luthero, cuius hæc uerba ſunt ad Leonem X. Beatiſſime Papa, Proſtratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus, quæ ſum, & habeo: Viuifica, occide, uoca, reuoca, approba, reproba: ut placuerit uocem tuam, uocẽ Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam. Quamuis hæc illius hypocriſis, non diutius, quàm Cæleſtij durauerit.

Aug. de peccato originali, lib. 2. cap. 7.

Inueniet Romanã Sedem à nemine iudicari, primò Dioſcori Alexãdrini Antiſtitis exemplo, qui ſine ulla reſtitutione à Concilio Chalcedonẽſi damnatus fuit, eò quòd in Concilio ſecundo Epheſino profano ponens os in cælum, dictauit excommunicationem in Leonem Pontificem Romanũ, & illius legatos contempſit. Secundò exemplo Concilij Romani, ſiue Sinueſſani, in quo nullus Epiſcoporum in Marcellinum Papam, qui tempore Diocletiani idolis ſacrificauerat, ſententiam proferre auſus eſt: ſed illi ſæpiſſimè omnes dixerunt, Tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio: quia prima Sedes non iudicatur à quoquam.

In epiſt. Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorẽ.

Inueniet quòd non ſine cauſa tanta fuit ſemper Romanæ Eccleſiæ authoritas, & quòd in ea, ut ſcribit Auguſtinus, Apoſtolicæ Cathedræ ſemper uiguit principatus. Nam cùm aliæ omnes Eccleſiæ, quibus Apoſtoli præfuerunt, à fide defecerint, ſolam hanc ſanctam, & Apoſtolicam matrem omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſiam per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apoſtolicæ prædicationis numquam erraſſe, nec hæreticis prauitatibus deprauatam ſuccubuiſſe probatur: ſed quam ab exordio fidei Chriſtianæ normam ab ipſis Apoſtolis accepit, in ea ſemper illibata permanſit. Defecit Hieroſolymitana Eccleſia, cui præſedit Iacobus: Alexandrina, ubi Marcus: defecit Achaia, ubi Andreas: defecit Aſia, ubi Iohannes: defecit India, ubi Thomas: defecit Perſis, ubi Iudas: defecit Aethiopia, ubi Matthæus: defecit Phrygia, ubi Philippus: defecit Græcia, ubi Paulus: Sola

In Stanislao nostro de fide & ſymbolo, cap. 28.

fuit,

D. Cyprianus, lib. 1. Epiſt. 3. fuit, & eſt Eccleſia Romana, ad quam, ut præclarè ſcribit Cyprianus, numquam acceſſum habere potuit perfidia.

CAPVT XXXIIII.

De priuilegijs Petri Apoſtolorum principis.

In Staniſlao Hoſio de fide et ſymbolo, cap. 28. INVENIET quòd caput Eccleſiæ Chriſtus ad patrem ſuum cæleſtem ex hoc mundo migraturus, atque ita facturus, ut genus humanum corporali præſentia deſtitueret, *Iohan. 17.* cùm ſub tempus ſuæ Paſſionis oraſſet patrem, ut eos quos dederat ſibi ſeruaret, ut eſſent unum, ſicut ipſe cum patre unum erat, quò facilius unitas hæc ſempiternis temporibus retineri poſſet, aſcenſurus ad patrem, uni curam Eccleſiæ *Iohan. 21.* ſuæ mandauit, uni paſcendas oues ſuas commiſit, unum illum principem deſignauit multis argumentis, ut ipſe quidē in cælis author eſſet unitatis perpetuæ: Petrus autem, & quiſquis ei ſucceſſiſſet, eiuſdem retinendæ dux & princeps in terris haberetur. Vnitatis igitur conſtituendæ principium Chriſtus, & retinendæ per eundem Chriſtum Petrus, & eius ſucceſſor ſtatuitur.

In diuo Baſilio de pœnitentia. Homil. 57. Inueniet, quòd non derogat gloriæ Chriſti, ea quæ ſua ſunt communicare nobiſcum: nam cùm Dei filius eſſet, hominis filius fieri dignatus eſt, ut hominum filijs Dei filios eſſe liceret. Petrus igitur petra eſt, ſed non ut Chriſtus petra. Chriſtus enim re uera petra eſt immobilis, & inconcuſ-*Iohan. 8.* ſa: Petrus uerò propter hanc petram. Largitur enim Deus *Math. 5.* ſuas dignitates, non euacuans ſe, ſed habens, dat. Lux eſt: *Hebr. 5. & 7. Luc. 22.* Vos eſtis, inquit, lux mundi: Sacerdos eſt, ſacerdotes fa-*Act. 8.* cit: Ouis eſt, Ecce ego mitto uos tamquam oues in medio *Math. 10. 1. Corinth. 10.* luporum: Petra eſt, petram facit: & quæ propria ſunt ip-*Math. 16.* ſius, largitur ſeruis. Quàmuis igitur petram eſſe Chriſtum dicat Apoſtolus, tamen cum Petro in conſortium indiuiduæ unitatis & poteſtatis aſſumpto, nomen hoc communicare dignatus eſt, inquiens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram

ædificabo

ædificabo Eccleſiam meam.

Inueniet quòd Chriſtus duo didrachma ſoluit cum ſtaterem numerauit: Vnum pro ſe, alterum pro Petro, ut ſignificaret in ſua familia duplex eſſe caput, quorum alterum eſſet Deus & homo, alterum purus homo, id eſt, Petrus. Sic enim interpretatur Auguſtinus. Ait enim: Saluator quando pro ſe, & pro Petro ſolui iubet, pro omnibus exoluiſſe uidetur: quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita poſt Saluatorem omnes in Petro continentur: ipſum enim conſtituit caput omnium.

In Reginaldo Polo ad Regē Angliæ lib. 2.
Matth. 17.
D. Aug. in 2. parte quæſtionū, ex nouo teſtamento, cap. 75. tom. 4.
D. Hieronymus in cap. Matt. 18.

Inueniet quòd diſcrimen inter Chriſtum & Petrum, ut capita Eccleſiæ, hoc eſt, quia Chriſtus eſt petra natiua, Petrus autem eſt petra ab ædificatore primo poſita in fundamēto Eccleſiæ: ac talis quidem petra fuit Petrus, quem Chriſtus ut ædificator in imo fundamento ædificij Eccleſiæ poſuit, quæ onus aliorum, quæ ſuperædificanda erant, ſuſtineret; ſed ita tamen, ut nec Petrus ipſe, nec reliqui omnes in ſe ipſis conſtiterent, ſed in altera illa petra, in monte illo magno, qui omnia ſuſtinet, lapis, ut inquit Daniel, ſine manibus abſciſſus, factus mons magnus, omnem terram complens, atque hoc nimirùm eſt quod dixit Paulus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.

In eodem Reginaldo Polo eodē libro paulò ſuprà.
Daniel. 2.
1. Cor. 3.

Inueniet quòd Iohannes ſemper adhæſit Petro poſt mortem Domini, declarans perſonam Domini in Petrum fuiſſe translatam: id quod clariùs oſtendit poſt mortem Domini: nam cùm præcurriſſet citius Petro, & ueniſſet prior ad monumentum, noluit tamen introire in monumentum antè Petrum.

In ſcripturis.
Iohan. 20.

Inueniet quòd Petro primùm pedes lauit Chriſtus, ut ex euangelio Iohannis decimotertio deducit Auguſtinus: quòd unus Petrus uenit ad Dominum ſuper aquas: unus Petrus traxit rete in terram, quod à multis trahi non potuit: quòd Iohanni matrem, Petro ſponſam ſuam Eccleſiam Chriſtus commiſit: quòd nulli niſi Petro dixit: Tu es Petrus, & ſuper

D. Aug. in Euangelium Iohānis, tractatu 56.
Iohan. 13.
Matth. 14.
Iohan. 21.
Iohan. 19.
Luc. 22.

Math.16. *Iohan.21.* hanc petram &c. Rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua &c. Paſce oues meas: & quòd à nullo aliorum diſcipulorum exegit Chriſtus maiorem amorem, quàm à Petro: quia in eo uno gregis ſui, pro quo mortuus eſt, ſalutem ponere uidebatur, ut ſuſtineret partes ſuas in Eccleſia.

In ſcripturis. *Luc.22.* Inueniet quòd contendentibus de primatu Apoſtolis, Chriſtus indicauit, Petro illum commiſiſſe, cùm inquit: Simon, ecce Sathanas expetiuit, ut cribraret uos ſicut triticũ: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos: quod clarioribus *Iohan.21.* uerbis conſcenſurus ad Patrem idẽ Dei filius patefecit, cùm dixit: Simon Iohãnis diligis me plus his? paſce agnos meos.

Inueniet quòd quãuis Apoſtoli omnes miſſi ſunt à Chriſto eius legati in uniuerſum orbem, ex eo tamen non conſequi, omnium authoritatem fuiſſe oecumenicam, & æqualẽ, *In ſcripturis.* & quòd omnes fuerint Petro pares: ſiquidem ſine ordine fuiſſet Apoſtolicus ordo, & Eccleſia tota fuiſſet ſine capite, & omnes Apoſtoli fuiſſent acephali ſacerdotes: præſertim cùm nulli Apoſtolorum niſi Petro ſingulariter dictum ſit: *Math.16.* Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Præterea in cælis dixit, non in cælo, ſicut reliquis Apoſtolis, ut indicaret, uniuerſaliorem Petro datam fuiſſe authoritatem ligandi atque ſoluendi, quàm reliquis Apoſtolis, aut congregationi eccleſiaſticæ: etenim in plus ſe habet cæli, quàm cælum. Quòd ſi par fuit omnibus Apoſtolis authoritas, alio quodam modo parem fuiſſe dicendum eſt.

In ſcripturis. *Math.16.* Inueniet claues Regni cælorum uni promiſſas, datasque Petro, & ſucceſſoribus eius, non cæteris Apoſtolis, aut Eccleſiæ: quod ſatis apertè patet ex uerbis Chriſti, cũ inquit: Tibi dabo claues &c. nam non dixit: tibi dabo claues, & cæteris Apoſtolis, aut Eccleſiæ: ſed tibi Apoſtolorum uertici, tibi Eccleſiæ capiti, & fundamento.

In ſcripturis. *Act.1.* Inueniet quòd ſemper ſe geſſit Petrus inter Apoſtolos tãquam caput Apoſtolici collegij: Petrus namque fuit author

eligendi

eligendi Matthiam in locũ Iudæ, conſtituit Iacobum Epiſcopum Hieroſolymorum, excelluit omnibus in uirtute miraculorum &c.

D. Chryſoſt. Homil. 87. in caput Iohan. 21.

Inueniet Petrum uocatum Fęlix Eccleſiæ fundamentum, & beatum cæli ianitorem, cuius arbitrio claues Regni æterni aditus creduntur: cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas fit in cælo, ut quæ in terris ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem accipiant & in cælo.

Anicetus Papa in epiſt. Decretali ad Epiſcopos Galliæ.

Ex ſcripturis in Hilario in Matt. & lib. 6. de Trinit.

Inueniet Petrum omnium gentium uocationi, & cunctis Eccleſiæ Patribus præpoſitum, atque ſingulari fidei ſublimitate, & beatitudinis felicitate dotatum, ut ſacram inuiolabilis petræ firmitatem acciperet, ſuper quam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus præualeret: nec in ſoluendis, aut ligandis quorumcumque cauſis, aliud ratum eſſet in cælo, quàm quod Petri deciſum eſſet arbitrio.

In Leone Papa in ſermone 3. de paſſione Domini, & ſabbatho poſt primam Dominicam Quadrageſimæ.

Petri iudiciaria poteſtas.

Inueniet quòd Petrus eſt caput Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ unionis origo, & quòd in nouo teſtamento poſt Chriſtum dominum à Petro ſacerdotalis cœpit ordo: quia ipſi primò Pontificatus in Eccleſia datus eſt, dicente Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.

In epiſt. Anacleti ad Epiſcopos Italiæ.

Matth. 16.

Inueniet quòd licet ſcriptum ſit, quod fundamentũ aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: & quòd Chriſtus eſt lapis ille angularis, qui facit utraque unum, & in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino: tamen quemadmodum Moyſes conſcenſurus in montem ut cum Deo loqueretur pro populo, reliquit poſt ſe Aaronem, cui in gubernãdo populo ſuas uices commiſit: Ita totius humani generis apud Deum legatus, ac noſtræ ſalutis author & parẽs Chriſtus aſcenſurus in cælum, ut tamquam ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, per proprium ſanguinem introiret ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, ſedensq́. ad dexteram Patris promiſſum Spiritum ſanctum in filios adoptionis effunderet, reliquit poſt ſe Petrum, ut tãquam petra ac lapis ingens, & ceu Vaticani immobile ſa-

1. Cor. 3. Eph 2.

Exod. 24.

1. Iohan. 2.

Heb. 8.

Diuus Aug. de uerbis Domini in Euangelio Matth. ſerm. 13. in principio.

xum ædificandæ Eccleſiæ ſuæ pondus, loco ſui ſuſtineret, atque ſuas partes in ſuſtinendo eccleſiaſtico onere ſuſciperet, dicens ei: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Exquò Petrus à Chriſto petra & cognomen,& firmitatem accepit: Vt ea ratione qua Petrus erat petra petræ, numquam fides eius deficeret, & numquam portæ inferi præualerent aduerſus illum.

Math. 16. D. Aug. Tom. 7. Homil. 1. Act. 10.

In D. Chryſ. ſuper actus Apoſtolorum.

Inueniet quòd Petrus ſuper omnes, qui filij ſunt, poteſtatem accepit, non ut Moyſes in gente una, ſed in uniuerſo orbe.

In eodem ſuper Iohan. Homi. 87. ex cap. 21.

Inueniet quòd Dei filius Iacobum localiter per Petrum in uno loco terminat: Petrum autem per ſe ſine aliquo medio totius orbis ordinat magiſtrum atque doctorem.

In eodem ſuper Math. In Petro iudiciaria poteſtas.

Inueniet quòd Dei filius, quæ Patris eſt, & quæ ipſius filij, poteſtatem Petro ubique terrarum conceſſit: & homini mortali omnium, quæ in cælo ſunt, dedit authoritatem, dando eidem claues, ad hoc ut Eccleſiam ubique terrarum amplificaret.

In eodē Chryſ. ſuper Math.

Inueniet Apoſtolos quoddam humanum ſcandalum concepiſſe, quod in ſe occultare non potuerunt, & timorem cordis non ſuſtinebant, in eo quod uidebant Petrum ſibi præferri, exquò acceſſerunt ad Ieſum dicentes: Quis maior eſt in Regno cælorum?

In eodem ſuper actus Apoſtol. Iohan. 21. Iohan. 10.

Inueniet quòd Petro Dominus indiſtinctè oues ſuas commiſit, dicens: Paſce oues meas, Vt ſit unum ouile, & unus Paſtor.

In eodē Math. 16.

Inueniet quòd Dominus generatim atque uniuerſè Petro dixit: Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

In Cyrillo in lib. Theſaurorum.

Inueniet quòd nulli alij quàm Petro Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.

In D. Chryſ. ad conſulta Bulgarorum. Math. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Inueniet præſtantiſſimum quendam ex Patribus Petro in perſona Chriſti ita loquentem: Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas: quia ter me trepidus ac timidus negaſti: nunc autem reductum, ne credant te fratres gratiam &

clauium authoritatem amiſiſſe, quia amas me, coram ipſis, id tibi iam confirmo, quod meum eſt plenum. *Iohan. 13.*

Inueniet quòd Apoſtoli in euangelijs & epiſtolis affirmauerunt in omni doctrina Petrum eſſe loco Dei, & quòd illi omnes ex Dei iuſſu caput inclinant: & primates mundi illi tamquam domino Ieſu Chriſto obediunt. *In Cyrillo 1 lib. theſaurorum.*

Inueniet quòd congregatam & fundatam ſuprà petram confeſſionis Petri dicimus uniuerſalem Eccleſiam, ſecūdum diffinitionem Saluatoris, in qua neceſſarium eſt ſaluti animarum noſtrarum remanere, eique obedire, eius ſeruantes fidem & confeſſionem. *In epiſt. Maximi ad Orientales.*

Inueniet quòd eſt petra Chriſtus, eſt petra fides de Chriſto, quam confeſſus eſt Petrus, eſt petra Petrus ipſe confitens Chriſtum: & quòd hæc adeò ſibi non aduerſantur, ut niſi credas, Eccleſiam, ſupra Petrum confitentem Chriſtū ædificatam eſſe, nihil credas. Hinc nimirùm diuus Auguſtinus uerba illa Domini dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, modò de fide, modò de Chriſto, modò de Petro ipſo, modò de Eccleſia in perſona Petri intellexit. Hæc enim uſqueadeò connexa ſunt, & inter ſe copulata, ut re uera aliud ſine alio eſſe non poſſit. Exquò delirant maximoperè hæretici, cùm dicunt, Eccleſiam ſuper fidem ſolam Petri, ſemoto homine, fundatam eſſe. Ponunt enim accidentia ſine ſubiecto: nullo enim unquam temporis momento fides conſiſtere poteſt ſeparata ab homine. Quocirca ſi fundamentum aliquod habere debet fides, in homine habere neceſſe eſt. Quid eſt namque fides ipſa per ſe, niſi qualitas quædam, niſi accidens in mente hominis quoddam? Quamobrem qui fidem ſolam ſine homine multitudini credentium pro fundamento ſubiicit, putat fidem per ſe ſubſiſtere, & ponit accidens ſine ſubiecto: immo ponit accidens ſubiectum & fundamentum ſubſtantiæ. *In Staniſlao Hoſio de fide & ſymbolo, cap. 26.* *Matth. 16.*

Inueniet quòd licèt ſuper omnes Apoſtolos fundata ſit Eccleſia, & cuncti claues Regni cælorum acceperint: tamen in primis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, & inter duode- *In D. Hieron. in lib 1. contra Iouinianum.* *Ephes. 2.*

cim unius eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.

In epiſt. 3. Anacleti, qui fuit temporibus Apoſtolorum.

Inueniet quòd licèt omnes pares eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe id ipſum uoluerunt, ut reliquis omnibus Apoſtolis præeſſet, & Cephas, id eſt, Apoſtolorum caput diceretur, & omnium Principatum obtineret.

In Pole & Pighio.
Gal. 2.

Inueniet quòd Paulus Petrum reprehenderit, id tamen non minuit authoritatem Petri. Etenim in Eccleſia Dei, non dignitas, ſed charitas facit ut minor reprehendat maiorem: quamquàm fortaſſis Petro in faciem non reſtitit Paulus, ſed uni ſeptuaginta duorum diſcipulorum, ut affirmat Clemens Origenis præceptor, in quarto diſpoſitionũ uolumine, Oecumenius in collectaneis explanationum, & Euſebius Cæſarienſis in primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Id ipſum de Irenæo Lugdunẽſi in Gallia epiſcopo dicendum eſt: nam ſi Irenæus, ut refert Socrates in Eccleſiaſtica Hiſtoria, libro quinto, capite uigeſimoſecundo, Victorem Epiſcopum Romanum redarguit, eò quòd Orientales aliter feſtum Paſchatis quàm Eccleſia Romana ſeruantes, cõmunione priuauerit, id profectò charitatis, non poteſtatis fuit.

Ex ſcripturis in Pole.

Inueniet quòd Pauli Apoſtolatus in Petri Apoſtolatum concreuit in Romana Eccleſia, in qua amborum Apoſtolatus in unum coaluit: quod in nulla alia Eccleſia de duobus Apoſtolis accidiſſe uidemus, ut Eccleſia Dei uerè eſſet una, & oecumenica. Nam Paulo Euangelium præputij, ſicut & Petro Euangelium circuncisionis creditum eſt.

Gal. 2.
In ſcripturis.

Inueniet quòd poteſtas alijs Apoſtolis tradita, dignitatem Petri nihil imminuit, ſicut de Moyſis dignitate à Deo data nihil detractum eſt, cùm Deus de eodem ſpiritu, quem illi dederat, abſtulit, ut ſeptuaginta ſenioribus impertiret, qui cum ipſo populi onus ſuſtinerent, ut inquit ſcriptura, ne Moyſes ſolus grauaretur.

Num. 11.
In ſcripturis.

Inueniet quòd Petro omnium primo reuelauit Chriſtus architecti præſtantiam, ex quò meritò præſtantiſſimum illi

locum ipſe operis author dare debuit: immo loquente Petro cecidit Spiritus ſanctus ſuper credentes, & nubes lucida obumbrauit diſcipulos, & uox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Quamobrem dum loquitur Petrus, ſummum totius Trinitatis & diuinatis myſterium mundo aperitur. *Act. 10. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.*

Inueniet quòd quamuis commune omnibus Chriſtianis nomen ſit petræ (omnes enim à Chriſto factæ ſunt petræ) in hac tamen nominis communitate permagnum diſcrimen ineſt: nam non omnes æqualis dignitatis, ac præſtantiæ gradum, nec parem nobilitatis locum in ædificio Eccleſiæ obtinent. Totum hoc explicat Paulus exemplo membrorũ corporis: Licèt enim omnia dicantur membra, aliud tamẽ alio eſt nobilius, ut oculus pede. Et Iſaias in perſona Dei loquẽs de Eccleſiæ ædificatione ſub nomine Hieruſalem dicit: Ecce ego ſternam per ordinẽ lapides tuos, & fundabo te in ſaphyris, & ponam iaſpidẽ propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos oẽs terminos tuos, lapides deſiderabiles &c. *Ex ſcripturis in Polo. Rom. 12. 1. Cor. 12. Iſaia 54.*

Inueniet quòd, Simon Bariona, quod nomen miſeriæ ac fragilitatis eſt, mutatur in Petrum, & appellatur beatus, poſt ueram Chriſti diuinitatis agnitionem, & poſt reuelationem à patre de Chriſto, & eiuſdem confeſſionem. Chriſtus igitur ſuper illum fundauit Eccleſiam, in quo primùm cognitionem Eccleſiæ propriam inuenit: quique ſolus pro Domino in periculo conſtitutus eduxit gladium: & à quo primùm inter homines Chriſtus reſurgens uidendus erat: & quem ſolum ex omnibus diſcipulis ſibi æquauerat, & parem fecerat Dominus in ſolutione tributi. *In ſcripturis. Iohan. 1. Matth. 16. Matth. 16. Iohan. 18. D. Chryſoſt. in epiſt. ad Corin. 1. Homil. 38. Matth. 17.*

CAPVT XXXV.

De præſtantia Romani Pontificis.

INVENIET quòd ſicut una eſt Eccleſia, ita ſuper unum, qui claues eius accepit, uoce Domini fundata eſt: per quem fit, ut epiſcopatus etiam unus ſit, multorum epi- *In D. Cypriani ad Iubaianũ & Antonianũ lib. 4 epiſt.*

epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus.

Inueniet quòd ſalus Eccleſiæ à ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes.

In D. Hieron. cõtra Luciferianos

Inueniet quòd non aliunde ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, dũ epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione cõtemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur.

In D. Cypriano ad Florentiũ Pupianum libr. 4. epiſt. 9. et ad Cornelium, lib. 1. epiſt. 3.

Inueniet quòd ideo per membra ſua Sathanas præpoſitum Eccleſiæ ſua infeſtatione perſequitur, ut gubernatore ſublato atrociùs atque uiolentiùs circa Eccleſiæ naufragia graſſetur: intelligit enim Sathanas concordiam ſimul iunctã omnino uinci non poſſe.

In D. Cypriano, lib. 1. epiſt. 3.

Inueniet quòd ubi eſt Romanus Pontifex, ibi eſt uera Eccleſia, & quod eſſe cum Romano Pontifice idem eſt, quòd cum catholica Eccleſia communicare.

In eodem lib. 1. epiſt. 6.

Inueniet quòd Chriſti humanitas, id eſt, ipſe homo, cui tota æternitas pleniſſimam dedit poteſtatem, quem unus triũ aſſumpſit in unitate perſonæ, tranſuexit ad patrem ſuper omnem principatum & poteſtatem, ut adorarent eum omnes Angeli eius, quem totum dimiſit per ſacramentum, & poteſtatem Petro, & Eccleſiæ eius.

In Cyrillo lib. Theſaurorum. Eph. 1. Heb. 1.

Inueniet quòd ſicut Chriſtus accepit à patre dux ſceptrũ Eccleſiæ gentium, ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, ut ei cuncta curuentur, pleniſſimam poteſtatẽ, ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit.

In eodem Cyrillo eodem lib.

Inueniet magnum quendam Patriarchã in perſona Chriſti dicentem Petro: Tu cum fine, & ego ſine fine, cum omnibus, quos loco tui ponam plenè & perfectè ſacramento & authoritate cum eis ero, ſicut ſum & tecum.

In eodem, eodem lib.

Inueniet quòd Epiſcopus Romanus eſt petra refugij, & quòd ipſi ſoli libera poteſtate ſit ius diſcernendi ſecundum claues à Domino ſibi datas, & quòd omnia ab eo definita,

In Concilio Chalcedonenſ.

teneri

teneri debent tamquam à uicario Apoſtolici throni.

Inueniet, quod quæ ſunt, à Deo ordinata ſunt: & quod requirit ordo, ut inferiora à ſuperioribus gubernentur, & ad unum tandem perueniatur, tamquam principem, & moderatorem cunctorũ, quæ infra ſe ſunt: Et quod ſicut grues unam ſequuntur, & in apibus unus eſt Rex, ita & in Eccleſia militanti, quæ inſtar triumphantis ſe habet, unus eſt omnium moderator & arbiter Ieſu Chriſti Vicarius: à quo tamquam à capite omnis in ſubiecta membra poteſtas & authoritas deriuatur, quæ à Chriſto domino Deo noſtro ſine medio in ipſum influit. *In bulla retractationis Pÿ II.*

Inueniet quòd unus eſt Chriſti thalamus, una ſponſa, unum ouile, unus paſtor & omnium epiſcoporum unus epiſcopus Romanus præſul beati Petri ſucceſſor, & Ieſu Chriſti Vicarius. Petrus namque in Antiochia primùm ſedit, deinde Romam uenit: quo quidem tempore florentiſſimam hanc urbem Neapolim fuiſſe ingreſſum Petrum res duæ teſtificãtur: Ara ſcilicet uenerabilis ad fores templi hoc in cœnobio mei Ordinis præclariſſimo, in qua rem diuinam Eucha riſtiæ ſacramento fecit, & templum ipſum uenerabile, quod ex eadem Ara & Petri nomine æternum nomen ſeruans, ſanctus Petrus ad Aram nominatur. Quæ duo loca, ob innumera Romanorum Pontificum de condonatione peccatorũ priuilegia, quas communi nomine pontificias indulgentias, & ſpirituales gratias appellamus, ex theſauro Eccleſiæ, atq. ex plenitudine Pontificiæ poteſtatis in uiuos, atque in mortuos Chriſti fideles quotidie, ſed in ſolẽnibus maximè diebus, maiori munificentia iiſdem in locis irrogata, uniuerſa hæc ciuitas Neapolitana re ipſa religioſiſſima, ſummis & quotidianis honoribus deueneratur: eaque præcipuè uigeſimoquinto quoque anno innumerabili cunctarum fermè gentium concurſu celebrantur. Etenim clauſis Romæ anno Iubilei, ut appellant, Beati Petri foribus, hoc in templo iiſdem cærimoniis priuilegiiſque aperiuntur, cum publica piè accedentium ſuorum ſcelerum uenia, & peccatorũ omnium *In eadem. Conſule Epiſt. 3. Anacleti Papæ.* *D. Petri ad Arã priuilegia.*

nium

nium condonatione. Sed ad rem redeo. Cùm Petrus Roma, in quam uenerat, diſcedere uellet, Neronis ſæuitiam & impietatem declinans, à Domino prohibitus eſt, & ibi glorioſo martyrio ex hac uita migrauit.

In eadem bulla retractationis Pij II.

Inueniet quòd inter Romanos Pontifices plurimi pro Chriſti nomine aſperrimos perpeſſi cruciatus, & morte mulctati, coronā martyrij ſuſceperunt. Plurimi confeſſores egregij uita, moribus, & doctrina fulgentes, quamuis ſine ſanguinis effuſione, non tamen ſine periculis, & labore, ac uoluntate parata pro conſeruanda ſacri Euangelij authoritate moriendi, ad cœleſtem gloriam peruenere, ut Gregorius, Damaſus, Leo, Innocentius, Bonifacius, Benedictus, & cæteri complures alij.

In D. Aug. contra literas Petiliani, lib. 2. c. 51. Matth. 23.

Inueniet, quòd propter malos paſtores non eſt cathedræ ſanctitas deſerenda, neque gregis unitas diuidenda: quia neque Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait: Dicūt enim & nón faciunt, Cathedræ in qua ſedebant, ullā fecit iniuriā.

In eodem Aug. eodem lib. ca. 40.

Inueniet quòd merito ſanctiſſimi uocantur, qui ſedent in Petri Cathedra. Quamuis enim non ſemper immunes fuerunt Romani Pontifices à peccatorum maculis: obtinuit tamen hoc uenerabilis & efficax oratio Chriſti, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno eius in ſeculum: præſertim cùm qui in eo ſedent, quadam unctionis, & ſacramenti ſanctitate prædíti ſint, qua nunquā carere poſſunt.

In eodem tractatu 5. in Iohan.

Inueniet, quòd qui fuerit ſuperbus uerbi Dei, & ſacramentorum miniſter, cum Diabolo & Iuda reputabitur, ſed Chriſti donum numquam contaminatur. Quod per illum fluit, purū eſt: quod per illum tranſit, liquidum uenit ad fertilem terram. Putas ne quia ipſe lapideus eſt, nullum fructū ferre poterit? per lapideum canalem aqua ad areolas trāſit, in ipſo nihil generans: at hortis plurimum fructum affert. Spiritualis quidem lux miniſterij lux quædam eſt, quæ ab illuminandis pura excipitur, et ſi per immundos tranſeat, non inquinatur.

Inueniet

Inueniet quòd quàmuis ſpiritum Chriſti multi non habeant, quo ſancti ſint, bene tamen habent, quo alios ſanctos reddant, ſiue cùm baptizant, ſiue cùm peccata remittunt, ſiue cùm Dei uerbum annuntiant, deq́ue ſcripturæ ſententia iudicant. Sint duo annuli, unus aureus, ferreus alter, uterq́ue Regia imagine ſculptus, ceræ ambo imprimantur: quid inter ſignum hoc, & illud intererit? nihil. Diſcerne materiam in cera, etiam ſi ſapientiſſimus exiſtas, dic quod nam ferri, quod nam ſit auri ſignaculum? unum eſt utrumque, materia eſt diuerſa: character unus eſt, forma una, abſolutio eadem, uerbum idem. Noli igitur eum, qui te purgaturus eſt, expendere: noli eum, qui te iudicaturus eſt, iudicare. *In Gregorio Nazanzeno de ſancto lauacro.*

Inueniet quòd Hæretici, etiam ſi omnes Chriſti ſacerdotes incorrupti uiuerent, non tamen ab iniurijs ſe abſtinerent: quemadmodum à probris, & conuitijs in Chriſtum olim Iudæorum iniquitas ſe non abſtinuit, tametſi eſſet Dei filius, & ſanctus ſanctorum. *Ex uſu.*

Inueniet quòd poſt Conſtantinum Magnum omnes Principes & Imperatores catholici ſuos faſces, ſua ſceptra, ſua colla ſemper Vicario Chriſti ſummiſerunt. *In D. Thom. opuſculo 20. cap. 17 & ex uſu.*

Inueniet quòd hæc eſt lex Euangelici Regni, ut omnes Imperatores & Reges obliuiſcantur proprij Regni & Imperij: & quicumq. in ouile Chriſti, aut Regnũ eius ingredi admittiq́ue uoluerint, aut admiſſi intus manere, ſub illo ſe humilient neceſſe eſt, quamuis piſcatore, quamuis ex infima plebe aſſumpto, cui Chriſtus ſui ouilis regimen committere dignatus eſt. *Ex uſu & ratione.*

Inueniet quòd primi Reges Galliæ & Angliæ ſua Regna, & Imperatores omnes ſua Imperia à Romano Pontifice recognouerunt. *In hiſtorijs.*

Inueniet quòd Lucius Rex Anglorum ab Eleuterio Romano Pontifice potiùs, quàm ab Epiſcopis Galliæ, qui erãt propinquiores, fidem acceperit: de quo alia ratio reddi nõ poteſt, niſi quia Romæ Petri ſucceſſorem eſſe ſciebat, quem Eccleſiæ Chriſti in terris Vicarium agnoſcebat: quod etiam *In Polo ad Regẽ Angliæ.*

clariore teſtimonio confirmatur. Nam cùm poſteà in Britannia Barbarorum infeſtationibus fides intercidiſſet, iterũ renouata eſt à ſucceſſore Petri Gregorio Epiſcopo Romano, qui Auguſtinum, & alios monachos illuc docẽdi cauſa miſit.

In Conc. Chalcedonenſi, actione 2.

Inueniet quòd in Concilio Chalcedonenſi, longè omniũ celeberrimo, ſic Pontifici Romano Leoni I. acclamatum eſt: Omnes ita credimus, Papa Leo ſic credit, Cyrillus ita credit, Papa Leo ita interpretatus eſt. & iterum: Omnes ſic credimus, Papa Leo ſic credit, Anathema ei qui partit, & ei qui diuidit. Hæc fides Leonis Archiepiſcopi, Leo ſic credit, Leo & Anatholius ſic credunt. & iterum: Petrus per Leonem ita loqutus eſt, Apoſtoli ita docuerunt, piè & uerè Leo docuit. & paulò poſt: Omnes ita credimus, ſicut Leo, ita credimus. & iterum: Viuat per multos annos Leo ter ſanctiſſimus, oecumenicus, & uniuerſalis Patriarcha.

In Socrate lib. 2. cap. 8. eccl. hiſto. In epiſt. Innocentij Papæ 92. In decretis diſt. 22. & in diuo Aug. epiſt. 90.

Inueniet quòd Concilia illa, in quibus Romanus Pontifex non interfuit, nec in locum ſuum aliquem deſtinauit, iuxta eccleſiaſticam regulam, qua cautum eſt, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Cõcilia celebrari, nullam authoritatem habuerunt.

Ex ſcripturis in Pighio fol. 286.

Inueniet quòd maior eſt Petri, & ſucceſſorũ Petri, quàm eccleſiaſticæ congregationis authoritas: quia omnia præconia, prærogatiuæ, & priuilegia catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ, in tantum de illa uerificantur, in quantum Petro, & ipſius Cathedræ unitur, & illi haud ſecus ac fundamento ſuo ædificium inhæret, & innititur. Huiuſmodi Eccleſiæ promiſſum eſt, quòd inferorum portæ aduerſus eam non ualebunt, quòd habebit Spiritum ſanctum moderatorẽ, & quòd numquam in fide errabit.

In eodem ibidẽ.

Inueniet quòd ſiquid à petra Petri fuerit auulſum, aut ſeparatum, ruina eſt: nec pertinet ad Chriſti Eccleſiam, & à promiſſis eius alienum eſt.

Ex ſcripturis & canonibus in Pighio, fol. 207.

Inueniet ex theologicis principiis, ex euangelicæ ſcripturæ authoritate, ex Apoſtolicis & ſynodalibus canonibus, ex Eccleſiæ orthodoxæ communi ſenſu & recognitione, non ſo-

lùm

lũm uniuerſalium Conciliorum conuocationẽ ad Petri ſucceſſorumq́ue eius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidentiũ authoritatem propriè pertinere, ſed & omnem eorum authoritatem, omne robur, omnemq́ue firmitatem actionum ſynodalium omnium prorſus à Romani Pontificis authoritate dependere: ita ut quod ille firmauit in ſynodo, hoc robur obtinuerit: quod refutauerit, habere non potuit firmitatẽ.

Inueniet Concilia nihil poſſe, niſi ad quæ conuocata ſunt, & ex conſenſu Romani Pontificis pendere omnia. *In Leone Papa ad Anatholium.*

Inueniet quòd unius Romani Pontificis inflexibili conſtãtia & authoritate, ſemper in Eccleſia conſeruata ſit orthodoxæ fidei ſynceritas, unitas, ordo, & diſciplinæ uigor. *In Pighio fol. 315. Eccl. 1. Hiſt.*

Inueniet quòd controuerſiæ & quæſtiones fidei uiuo aliquo iudicio terminari oportet: hocq́ue ad Hierarchiæ eccleſiaſticæ præſidem pertinere. *Ex ſcripturis in Pighio, fol. 318. eccl. hierarch.*

Inueniet quòd ad Epiſcopum Romanum pertinet corrigere errores in uniuerſa Eccleſia: & efficacior eſt authoritas Romani Præſidis ad conuincendos Hæreticos omni doctiſſimorum diſputatione. *In ſynodali epiſt. Conc. Mileuitani ad beatum Innocen.*

Inueniet quòd nihil iuris habent ſine Romani Pontificis authoritate ſeculares Principes in iudicijs ſynodalibus: quod non modò Conſtantini Magni, & Theodoſij, & Valentiniani, & Martiani, & Baſilij Imperatoris, & aliorum catholicorum principum patet exemplo, ſed etiam Theodorici alioqui parum orthodoxi Regis, recognotione. Hic enim Theodoricus in Concilio quodam, quod in cauſa Symmachi Romani Pontificis Romæ celebratum eſt, in quo cùm iſte de grauioribus quibuſdam criminibus accuſaretur ab æmulis & aduerſarijs, interloqueretur autem Concilium, à ſe iudicari non poſſe primæ ſedis Epiſcopum, prouocabant illi ad Regis arbitrium, ut quem ſciebant infenſum Pontifici: ille uerò ſeu tantorum Patrum authoritate & conſenſu permotus, ſeu (ut tunc multi crediderunt) ob exemplum diuinitus inſpiratum, reſpondiſſe legitur: Synodalis eſſe arbitrij in tanto negocio ſequenda præſcribere, nec ad ſe quic-

Ex uſu, ratione & hiſtorijs.

Martianus Imperator in Chalcedonenſi Concilio, diſt. 96. cap. Nos.

Baſilius Imperator in fine Concilij Octaui.

D. Ambroſius ad Valentinianum.

quam præter reuerentiam de rebus eccleſiaſticis pertinere, totum permittens poteſtati Pontificum.

Ex ſcripturis in Pighio, fol. 323.

Inueniet quòd cū Romani Pontifices damnant hæreſes, & hæreticos homines, non ſunt iudices in cauſa propria, ſed in cauſa Dei, & in cauſa ſibi à Chriſto commiſſa: illis enim concredita fuit totius Eccleſiæ cura, & adminiſtratio.

In ſpeculatore in tit. de legatis in. § nunc oſtendendum, uerſic. 9.

Inueniet quòd Papa eſt Petri ſucceſſor, & Vicarius Chriſti, uicem non Petri hominis, ſed ueri Dei gerens in terris.

Ex hiſtorijs in Pighio, fol. 332.

Inueniet quòd nec accuſare quidē præpoſitos ſuos permittitur ſubditis, quamuis in legitimo iudicio, teſtantur ſancti Patres, qui plurimi ſub Sixto Romano Pontifice conuenientes, Euphemium epiſcopum irreparabiliter damnaſſe leguntur, quòd Polycronium Hieroſolymitanum Antiſtitem Metropolitanum ſuum de grauioribus quibuſdam, quamuis ueris criminibus, accuſauerat. Quòd ſi nec accuſare prælatum ſuum, etiam coram legitimo, & ſuperiori iudicio, etiam de ueris, & quæ probare poteſt, criminibus, ſubdito licet, ſed grauius punitur accuſator pro eiuſmodi præſumptione, & temeritate, quàm reus & accuſatus pro comprobatis, quā-uis ueriſſimis criminibus: quid demum merentur illi, qui in eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidem, totius Chriſti ouilis, hoc eſt, catholicæ Eccleſiæ paſtorem & rectorem ab eodem conſtitutum Chriſto, inſolentiſſimè inſurgentes, ſuo illum iudicio conantur ſubijcere? quemadmodum ſemper præſumpſerunt Hæretici & ſchiſmatici omnes: præſertim autem malè inſtituti quidam hoc tempore, & in Concilio Baſilienſi aduerſus Eugenium.

Ex hiſtorijs in Pighio fol. 340.

Inueniet, nullum unquam Romanorum Pontificum de facto depoſitum, cuius certa fuiſſet electio: quòd ſi aliqui inaugurati fuere, uel non erant ueri Pontifices, ſed intruſi: uel fuerunt tandem in priſtinam dignitatem reſtituti.

Ex catholicis doctoribus in Pighio fol. 342.

Inueniet quòd nullo caſu, niſi apertæ hæreſis morbo laboraret, contra Apoſtolicæ Sedis authoritatem: in uno autem caſu tantùm præter illius authoritatem celebrari Concilia poſſunt, nimirùm cùm ob dubiam & incertam electionem,

eſt

eſt inter aliquos de Papatu contentio, ob quem caſum Conſtantienſe Concilium celebratum fuit, cùm Eccleſia ſub tribus Pontificibus laborabat : ſed iſtiuſmodi Concilia nihil poſſunt, præter unum illud, ob quod licitè congregari poſſunt. Hinc decreta Conſtantienſis Concilij nullam authoritatẽ obtinuiſſent, niſi quatenus à Martino V. cõfirmata ſunt.

Inueniet mortem ciuilem, aut canonicam locum non habere in Romanis Pontificibus: Canonicam quidem, quia Eccleſia, aut ſynodus nullo caſu ſuperiorem ſuper Papam authoritatem habent, præterquàm in caſu, ut diximus, manifeſtæ hæreſis, uel ſchiſmatis : uel ſi ſponte, ſua non reluctante Senatu, imperio ſe abdicauerit, aut ſuum diem obierit. Ciuilẽ uerò, quia cùm Petrus ſeruaretur in carcere, nequaquam primitiua illa Eccleſia cõuenit ad ſucceſſorem illi deligendum, ſed oratio, inquit Lucas in actibus Apoſtolorũ, fiebat ſine intermiſſione pro eo ab Eccleſia : nos inſtruens, quid nobis in conſimili caſu faciendum ſit. Præterea cùm perfidus ille Imperator Conſtantius per Theodoram Calliopam Italiæ Exarchum Martinum ſanctiſſimum Põtificem catenis uinctum ad ſe Conſtantinopolim duci iuſſiſſet, & inde Cherſonam Ponti ciuitatem (ubi & beatus Clemẽs Romanus Præſul longè anteà exulauerat) relegaſſet: numquid Clerus populuſque Romanus continuò proceſſerunt ad alterius electionem Pontificis? neque enim ſolùm expectauerunt eius mortem, ſed cùm iamdudum in exilio obiiſſet, nec tamen mortis eius ſatis certa perferrentur indicia, uacauit ſedes poſt eius obitum anno integro, & menſibus ſex. Immo certè inueniet quòd numquã mentis alienatio in Romanos Pontifices ita inualuit, ut iure de gradu deijci potuiſſent : pro eis enim rogauit Chriſtus, ut eorum fides & authoritas nullo unquam modo in regenda Chriſtiana republica deficeret.

Ex ſcripturis & hiſtorijs in Pighio fol. 337. & 342.

Act. 12.

Luc. 22.

Inueniet Pontificem, & epiſcopum Romanum eſſe proximum Iudicem poſt Deum, primatem & dominum omniũ, utpotè qui non modò eſt in Eccleſiæ primatu ſucceſſor, ſed

In Concilio Chalcedonen.

etiam

etiam in doctrinæ ſoliditate, & in paſcendo ſibi commiſſo grege diui Petri cõſors & hæres.

In Concilio generali Conſtantinopolitano VIII. & in uita Hadriani Papæ.
De Honorio uide Melchiorem Canum lib. I. fol. 415.

Inueniet Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum præſulibus iudicaſſe: de eo uerò quemquam iudicaſſe non inueniet. Et licèt Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema dictum fuiſſe, quidam affirmant: id nimirùm uel aduerſariorum calumnia eſt, uel (ſi uerum fuit) euenit, quia fuerat de hæreſi accuſatus: propter quam ſolùm licitum eſt minoribus, maiorum ſuorum motibus reſiſtere, & prauos ſuos ſenſus liberè reſpuere: quamuis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferre ſententiam, niſi eiuſdem primæ ſedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet: quia prima ſedes iudicat omnes, & ipſa à nemine iudicatur, ut patet in depoſitione Photij, & in animaduerſione Tharaſij, qui contra ſacras regulas, & ſanctorum Romanorum Pontificum ueneranda decreta, repentè de curiali adminiſtratione, ſecularique militia, & laicali cœtu ad Conſtantinopolitani Patriarchatus culmen fuerant promoti.

In decretis Gelaſii Papæ.
In D. Ambroſio ad Valentinianũ Imperatorem cõtra Auxentium.
In Hiſt. Eccl. lib. 10. cap. 28.

Inueniet laicos proceres omnes, etiam ſi Regali & Imperiali dignitate præfulgeant, in rebus ſacris Pontificis Romani iudicio ſubeſſe: Pontificem uerò Romanum eſſe ab omni laicorum imperio immunem. Quocirca neque ligari, neque ſolui poſſe à ſeculari poteſtate: quia nulli, niſi Dei iudicio, eſt ſubiectus: etiam ſi à recta fide fuerit alienus. Reijci enim Romanus Pontifex poteſt, ſi à recta fide defecerit: iudicari non poteſt, niſi idem ſponte ſua aliorum iudicio ſe ſubiecerit, ut nonnullos ſummos Pontifices feciſſe legimus: Vel niſi dixerimus eiuſmodi Romanum Pontificem iure ab omnibus iudicari poſſe, & quod idem ipſe iam ſtatim pòſt agnitam hæreſim, de ſummo illo dignitatis gradu eodem ipſo iure deiectus ſit.

Lege Dom. Soto. 4. ſenten. diſt. 22. quæſt. 2. art. 2.

Inueniet quòd quemadmodum aliud eſt in Petro quod ſpectat ad hominis priuatam excellentiam, aliud quod pertinet ad communem Eccleſiæ utilitatem: quòd negauerit

Chriſtum,

Chriſtum, hominis erat: quòd confirmaret fratres, erat Eccleſiæ: illud proprium, hoc commune erat. Similiter quòd fides Petri propria ſemper interius ſeruaretur, hominis priuilegium erat: quòd verò alijs confirmandis ſolidam fidem proponeret, nec in fidei iudicio deficeret, Eccleſiæ publicum priuilegium erat. Romanus igitur Pontifex non fuit hæres priuilegiorum, aut culparum Petri propriarum, quæ certè ex accidenti publicæ Petri poteſtati coniungebantur: ſed ſucceſſit in ijs, quæ ſpectabant ad Eccleſiæ communes & neceſſarias commoditates. Quemadmodum igitur in Petro, ita etiam in Romano Pontifice Petri ſucceſſore dicendum eſt. Nam licèt ſummus Pontifex hæreticus eſſe poſſit (tametſi hoc à præſtantiſſimis quibuſdam Theologis non recipiatur) at quod in fide, iudicio contra fidem definierit, id certè nullo modo fieri poteſt: ſicut enim pro Petro, ita etiam pro Petri ſucceſſoribus rogauit Chriſtus, vt non deficeret eorum fides. Fides, inquam, ad communem Eccleſiæ vtilitatem: ſiquidem fides interior Romani Pontificis Eccleſiæ non eſt neceſſaria: nam illius occultus & priuatus mentis error Eccleſiæ Chriſti nocere non poteſt. Quapropter non eſt neceſſe, vt pro interioris fidei conſeruatione Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat: at quòd dum ea decernuntur, quæ fidelibus credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed diuina manu teneantur, id Eccleſiæ opus eſt: ne per publicæ poteſtatis errorem Eccleſiā faciant in cōmuni veritatis ignoratione verſari.

Ex ſcripturis in Melchiore Can. lib. 6. fol. 417.

Luc. 22.

Pighius tenet quod Romanus Pontifex nullo modo hæreticus eſſe poteſt. vide in Hierarch. Eccleſ.

Inueniet, ſolum Romanum Pontificem habere adminiſtrationem vniuerſalem in vniuerſo orbe, eſſe beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſorem, verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ principem, omniumque Chriſtianorum magiſtrum, atque doctorem, paſtorum paſtorem, patrum patrem, Romanorum, & Chriſtianorum omnium Pontificem ſummum: quò fit, vt Concilia illa ſint oecumenica, quæ etiam vnius Pontificis Romani authoritate celebrantur.

In Concilio Florentino ſub Eugenio 4.

Inueniet

In Pighio lib. 5. cap. 15.

Inueniet, non poſſe à fidelibus prouocari à iudicio Romani Pontificis ad qualecumque uniuerſale Concilium.

In eodē fol. 274.

Inueniet quòd unius Romani Pontificis, & Apoſtolicæ ſedis iudicium certius eſt, quàm totius orbis Concilij illius authoritate ſecluſa.

In eodē, fol. 286. Eccl. Hierarch.

Inueniet, nullum eſſe uerbum in ſcripturis, quod propriè loquatur de Concilijs uniuerſalibus: multa uerò quæ loquantur de Petro, & Petri ſucceſſoribus, & de Concilijs ſacerdotalibus.

Ex Concilio Baſilienſi & Conſtantienſi.

Inueniet quòd etiam tempore ſchiſmatis, cùm Concilia ſummam authoritatem obtinent, poſtquàm abſoluta fuerint, nulla eſſe niſi ſui capitis, id eſt, Pontificis Romani fuerint authoritate firmata.

In Concilio Nyceno II. quæ eſt ſeptima ſynodus generalis & in decretis Marcelli Papæ.

Inueniet non eſſe ueram ſynodum, quæ Romani Pontificis authoritate caret: exquò Conciliū Ariminenſe ſub Cōſtantio, Epheſinum profanum à Dioſcoro, Conſtantinopolitanum à Photio, & iſtiuſmodi reliqua profana Conciliabula deiecta fuere, eò quòd non erant Romani Pontificis authoritate collecta.

In Concilio Chalcedonenſi.

Inueniet Pontificem Romanum orthodoxam ueritatem aduerſus generale Concilium Epheſinum profanum tutatum fuiſſe, & impietatis authorem Dioſcorum non ſolùm à ſede Alexādrina, ſed ab uniuerſa Chriſti Eccleſia abieciſſe.

In Eccl. Hiſtorijs.

Inueniet quòd orthodoxis uenerabilior, contrà uerò hoſtibus orthodoxæ fidei formidabilior ſemper fuerit unius Romani Pontificis, quàm omnium Conciliorum authoritas, ut de Leontio Arriano Antiocheno patriarcha, & de Celeſtio conſtat, qui nulla ſynodali authoritate, nullis doctiſſimorum Patrum aduerſum eum ſcribentium rationibus, diſputationibuſque, niſi unius Pontificis Romani authoritate ſuperari potuit: non audens (ut refert diuus Auguſtinus libro ſecundo aduerſus eundem) Beati Innocentij literis reſiſtere: ſed promiſit omnia quæ Sedes Romana damnaret, ſe etiam damnaturum. Nam & rationes, & ſcripturas eludebat facilè, at Romanæ Sedis authoritatem toto orbe

recognitam,

recognitam, nec eludere potuit, nec contemnere.

Inueniet quòd ad Eccleſiam catholicam non pertinent, qui Romano Pontifici non ſubſunt, & non obediunt. Fides enim Sedis Apoſtolicæ regula eſt orthodoxæ fidei. *In Pighio lib.4. cap.13. Eccl. hierarchiæ.*

Inueniet quòd ſubeſſe Romano Pontifici eſt de neceſſitate ſalutis: quia qui Chriſtum imitantur, ut ipſius oues uocem eius audire debent, manentes in Eccleſia Petri, non inflantes ſe uento ſuperbiæ, ne fortè tortuoſus ſerpens propter contentionem eorum, illos, ut Euam olim de Paradiſo, eiiciat. *In Cyrillo in lib. Theſaurorum.* *Gen. 3.*

Inueniet quempiam ordinatum fuiſſe Epiſcopum numquam, ſine authoritate Romani Pontificis: & ſine Apoſtolicæ Sedis conſenſu omnem promotionem Eccleſiaſticam eſſe irritam. *In epiſt. Ciriaci Papæ ad Aphricanos epiſcopos, & in epiſt. Gregorij Magni ad Conſtãtium Auguſtum.*

Inueniet non confirmatos authoritate Romani epiſcopi, non fuiſſe agnitos pro epiſcopis ab orthodoxo populo. *In hiſtoria Antiochena Synodi & Iulij Papæ.*

Inueniet quòd Romanus Pontifex ex plenitudine poteſtatis ſuper uniuerſos Chriſtianos principes poteſt hæreticos, & ſchiſmaticos Reges, & Imperatores ob crimen hæreſis priuare ſuis imperiis: & in temporalibus prorſus eximere Chriſtianam plebem ab obedientia & ſubiectione, & iuriſdictione eorum. *Ex ſcripturis in Driadone de libertate Chriſtiana lib.1. cap.14.*

Inueniet quòd omnes Chriſtiani, ut membra ſunt capitis Chriſti, tenentur ab Apoſtolico uertice, & throno Romanorũ Pontificũ quærere, quid ipſi credere & tenere debeant. *In Cyrillo in libro Theſaurorũ.*

Inueniet neque Patriarcham Conſtantinopolitanum, neque Antiochenum, neque Alexandrinum, neque Hieroſolymitanum, neque aliorum quempiam ſe intromiſiſſe unquam in Romanam Sedem: ſedes autem Romana in omnibus ſe principem tenere locum ſemper oſtendit, iudicans omnes: à nemine, niſi à Domino, iudicanda. *Ex uſu & hiſtorijs.*

Inueniet quòd Athanaſius & Paulus confugientes ad Iulium Papã, citatis & excõmunicatis Hæreticis, reſtituti ſunt. *Socrates in hiſt. eccl. lib.2. ca.15.*

Inueniet ex umbra ueteris Synagogæ præſides Eccleſiæ tantam iuriſdictionẽ habere, ut omnes obtemperare tenean- *Deute. 17. & in Pighio fol. 150.*

Gg tur

tur ſimpliciter ac diligenter præcepto, ac diffinitionibus doctrinæ eorum, tamquam præſidentium Cathedræ, & loco, quem elegit Dominus: & qui non obedierit eis, morietur.

In D. Thom. in opuſculo primo, cap. 66.

Inueniet unum Romanum Pontificem habere in Eccleſia Dei ſummum imperium, & diuinos theſauros diſpenſandi plenitudinem poteſtatis, & quòd Romano Pontifici ſubeſſe, eſt de neceſſitate ſalutis: ſicut ut ſalua ſint membra, oportet capiti eſſe annexa, & eius neceſſariis motibus obedire.

In D. Bernardo ad Eugeniū Papam.

Inueniet quòd Romanus Pontifex eſt ſacerdos magnus, ſummus Pontifex, princeps Epiſcoporum, hæres Apoſtolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abrahā, ordine Melchiſedec, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus.

In conſtitutionibus Conc. Vaſenſis ſub Leone I. et Theodoſio iuniore.

Inueniet à catholicis Patribus publicè ſancitum fuiſſe, ut nomen illius, qui Sedi Apoſtolicæ præfuerit, tamquam omnium Domini, in omnibus Eccleſiis, in Miſſa recitaretur.

Ex uſu & recognitione in Pighio lib. 4. c. 11. & ſequentibus.

Inueniet totum orbem ſemper Romanorum Pontificum magis, quàm Imperatorum iudicium, & authoritatem ſecutum fuiſſe.

Inueniet authoritatem Eccleſiæ in Apoſtolica ſede Romana relucentem, cùm eam in rebus arduis fidei conſuluerit Hieronymus ex Aſia ad Damaſum: Auguſtinus ex Aphrica ad Innocentium, & Bonifacium, & Cyprianus ad Cornelium: Athanaſius ex Aegypto ad Marcum, & Iulium: Ambroſius ex Italia &c. Immo uerò inueniet etiam Hæreticos & ſchiſmaticos poſt longas concertationes & diſſenſiones, & poſt multa ſcripturarum examina tandem ex longinquis orbis terrarum partibus Romam ad Sedem Apoſtolicā confugiſſe, quò ex uetuſtiſſimo & incorrupto Romanæ Eccleſiæ depoſito orthodoxæ fidei regulam acciperent, ut in Concilio in Tyanis congregato factum fuiſſe teſtis eſt diuus Baſilius, epiſtola octuageſimaſecunda ad Patrophilum epiſcopū.

Denique inueniet quòd eccleſiaſtica Hierarchia eſt neceſſaria, ſi modò Eccleſia eſſe debet: quòd eadem inſtituta fuit à Chriſto, & in ea Petrus obtinuit primatum: quòd Ro-

manı

mani Pontifices in Petri locum ſucceſſerunt: quòd ijdem Romani Pontifices eundem primatum magna cum libertate ſuper Eccleſiam uniuerſam ſemper exercuerunt: quòd Concilia omnia Romani Antiſtitis iudicio, atque cenſuræ ſubiecta ſunt: quòd nemo à Romani Pontificis authoritate, niſi qui ad Chriſti ouile non pertinet, exemptus eſt: quòd Spiritus ſanctus, etſi adſit omnibus in Concilijs ſiue oecumenicis, ſiue ſacerdotalibus, in iis tamen quæ ſunt fidei in nullo adeſt ita plenè, ut in ſummo Pontifice: quòd Papa conſecratur ut ſacerdos, & coronatur ut Rex: quòd unitas catholicæ, & orthodoxæ Eccleſiæ non ex unitate regij muneris, ſed ex unitate ſacerdotij pendet: quòd conſenſus & confeſſio catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ, cuius caput & moderator eſt Romanus Pontifex, pendet ex certiſſima, & infallibili amuſſi, & regula rectæ ſcripturarum intelligētiæ: quòd quemadmodū Eccleſia eſt os catholicæ ueritatis, quo Deus ſua patefacit arcana, non tantùm hominibus, ſed etiā Angelis, ut teſtatur Paulus, ſic idem Deus per Vicarium ſuū in terris Romanum Pontificem omnia ſaluti neceſſaria explicat & aperit ipſi Eccleſiæ: quòd ad ſummum Romani Pontificis iudicium, & ad ſupremam illius poteſtatē omnia tamquam ad lydium lapidē referenda ſunt: & quòd illi ut Deo, & Chriſto ſubiecti eſſe debemus. In eo enim ſuper cæteros mortales omnes latitat, & reſidet Chriſtus, & ſine eo uera Eccleſia in terris eſſe non poteſt: quemadmodum neque poſſunt humana membra ullo modo ſapere, aut uiuere ſine capite.

Ephes. 3.

CAPVT XXXVI.

Exprobratur nō nullorum Chriſtianorum Principum ſegnities in defendenda et propagāda Chriſtiana republica.

QVAE cùm ita ſe habeant, ut profectò ita ſe habent: quid eſt, Rex pientiſſime & potentiſſime, quòd tot ueteris diſciplinæ euerſores, tot aſſertores nouorum dogmatum, tot nouorum myſteriorum magiſtros, tot perfidorum, & improborum hominū duces, non modò uſquequaq.

paſſim in quàmplurimis Chriſtiani orbis prouinciis, ſed in tua etiam iam olim ſemper ſacroſancta & Chriſtianiſſima Gallia impunè uiuere, atque (quod longè deteſtabilius eſt) ſuperbiſſimè regnare, & dominari permittitur? O Princeps cauſa, huccine rerum uenimus? O Chriſte, hæc ſunt fidei tuæ incrementa? his artibus Regnum tuum adminiſtratur? His armis huius tẽporis principes tuam ſacram Rempublicam, tuam ſponſam Eccleſiam tuentur? Hunc ſanguinem pro teſtamento tuo, & pro patrijs legibus effundunt? Hæc eſt data dextera, qua cum tuorum, tuorum dico, non ſuorum regnorũ gubernacula ſuſceperunt, ſe iureiurando obſtrinxerunt, uſque ad ultimum ſpiritum pro lege ſancta tua pugnaturos? Hic eſt enſis? hic eſt ille gladius, quem pro tui nominis gloria ex ſacerdotali munificentia, & ex pontificia liberalitate ſuo lateri accomodauerunt? Hæc ſunt tela, quæ in hoſtes tuos iaciunt, & obijciunt? Hoc exercitu expugnatur impietas? His cohortibus hoſtes Dei proſternũtur? Huiuſmodi ſunt duces militiæ tuæ? Hi ſunt Reges illi Catholici? Chriſtianiſſimi? Fidei defenſores? Primogeniti Eccleſiæ? Chriſtianæ reipublicæ propugnatores, per quos ſepulchrũ tuum toties receptũ fuit, & inſtauratum? qui tot Aphricæ & Aſiæ chriſtianis Principibus ereptas urbes recuperauerũt? per quos tot Hiſpaniarum Regna ab impietate Maurorum expurgata ſunt? qui tot terreſtribus, & naualibus copijs aduerſus tui nominis hoſtes toties dimicauerunt? Hi ſunt illi magni Conſtantini, Pipini, Caroli, qui tot munificentiſſima templa per uniuerſum orbem tanta pietate tuo ſancto nomini dicauerunt? O Chriſte, in quæ nam tempora me ſeruaſti, ut hæc uideam, ut hæc ſuſtineam. Euertitur templum tuum, ò Deus, Religio tua in ſuperſtitionem commutatur, dies feſti tui, cærimoniæ tuæ, cultus tuus, ſacra tua, ſacerdotes tui profanantur, & proceres tui, præfecti, & prætores tui, miniſtri tui, ſerui tui hæc uident, hæc patiuntur, & tacent, diſſimulant, tolerant, &, quod grauius eſt, illorum nonnulli ſceleratis & profanis eorum factionibus fauent.

Hæc

Hæc uerò eſt uia, hic ſcilicet eſt modus tantoperè laboranti Chriſtianæ Reipublicæ ſubueniendi, atque iam olim fortunatiſſimos, nunc autem miſerrimos, ac prorſus à Barbaris & Chriſtiani nominis hoſtibus tanto cum totius Chriſtianæ Reipublicæ detrimēto oppugnatos, & expugnatos Cyprios recuperandi atque recipiēdi? An quod inſtat ceruicibus ueſtris maximum malum, non uidetis, & quæ futura ſunt uobis Barbarorum & inimicorum ueſtrorum reliquijs innumera incōmoda, non animaduertitis? Quid ſuſtinetis? quid diſſimulatis? quid toleratis ultrà? An neſcitis quòd in cæteris humanis rebus omnibus tolerantia aliqua ex parte tolerabilis eſſe poteſt: in ijs autem rebus, quæ ad Dei cultum, & animarum ſalutem, Reipublicæq́ue tranquillitatem, & incolumitatem attinent, nefas aut impium aliquod diſſimulare, maximè impium eſt, atque nefandum. Et uobis præſertim, Principes uiri, qui cum ueſtrorum Regnorum hæreditate, Religionis tutelam ſuſcepiſtis. Idcirco gladium, idcirco ſceptrum geritis, idcirco ius & imperium in eos, qui in dominatu ueſtro ſunt, habetis, ut eadem illa in eoſdē, cùm opus fuerit, exerceatis. In poteſtate, in manu ueſtra eſt ſalus populorum: quia tutela Religionis & Reipublicæ, ueſtræ fidei commendata eſt. Quòd ſi uos ueri cultus Dei, & Chriſtianæ reipublicæ curam & defenſionem abiicitis, quis nam eorundem patrocinium ſuſcipiet? Non permanere autem in ſuſcepta catholicæ Eccleſiæ defenſione, aut perfidia eſt, aut animi imbecillitas.

Tolerantia in rebus humanis aliqua ex parte tolerabilis eſſe pōt; in ijs autem rebus quæ ad Religionem ſpectant eſt prorſus impia.

Principes, idcirco principes in populo Dei conſtituti ſunt, ut ſint catholicæ Eccleſiæ, & religionis propugnatores.

CAPVT XXXVII.

HIS maximè temporibus, quibus nonnihil reſpirare Chriſtiana Reſpublica cœpit, ſingulari diuini Numinis fauore & beneficio recreata: quò omnes apertè intelligerent, Chriſtianum populum Deum habere placatum. Neque enim tantum hoſtem inſtructiſſima, & ſemper uictrici claſſe ſuffultum, ceruicibusq. Italiæ tam immaniter minitantem,

Obiter meminit Author uictoriæ ſingulari Dei beneficio partæ ad Naupactenum Sinum.

Et ſi christiani Duces fortiter pugnauerunt, victoria tamen à Deo fuit.

tantem, vno nauali prælio tam breui, hoc eſt, trium aut quatuor horarũ ſpacio his proximè præteritis diebus Chriſtiana claſſis ſuperare potuiſſet, niſi pro ea omnipotens ſummi Dei manus ſtetiſſet. Dimicauerũt quidem fortiter Chriſtiani duces, Iohannis Auſtriadis egregia & præclariſſima virtus in hoc bello ſummè enituit, præcelſæ Columnæ robur fuit inuictum, fuit & Venetorum præfectorum vincendi ſtudium, & animi àrdor præſtantiſſimus: omnes pro dignitate fecerunt. Attamen ſola manus Domini fecit virtutem, ſola manus Domini exaltauit nos. Vnus Dominus exercituum, vnus Dominus fortis & potens, vnus Dominus potens in prælio ad nihilum deduxit inimicos noſtros, & concluſit triremes hoſtium, & formidabilem Turcarum claſſem totam in manus noſtras. Deo igitur non hominibus reſiſtit, & aduerſatur quicunque his pulcherrimis & feliciſſimis incœptis non aſpirat, & fauet: atque non humana, ſed diuina conſilia interturbat, quicunque à tam præclaro, & neceſſario Chriſtianorum principum inito fœdere ſe ſubducit, aut alios ſubducere ſtudet: tanto præſertim Pontifice maximo GREGORIO nimirum XIII. huius tam ſanctæ, & diuinæ conſpirationis duce & moderatore.

Idcirco Deo, non hominibus reſiſtis, qui tam amabile christianorũ Principum initum fœdus diſſoluis, aut his feliciſſimis incæptis non faues.

CAPVT XXXVIII.

Hortatur Author Principes christianos ad concordiam & conſociationem pluribus rationibus.

QVamobrem vniuerſos Chriſtianos proceres & Reges, & omnes quotquot Chriſto nomen dediſtis, appello, atque per vſquequaquè labefactatam & labentem Chriſtianam Religionem, & per iam dudum in extremis vndique laborantem Chriſtianam Rempublicam rogo, atque obſecro, vt memoria veſtra repetatis, & vobiſcum æquo animo recolatis, Chriſtianos omnes eſſe vnius Patris Dei, & vnius matris Eccleſiæ filios, vnius mediatoris Chriſti fratres, & cohærēdes, vnius eccleſiaſtici corporis membra, vnius cæleſtis Hieruſalem ciues, vnius Chriſti Vicarij in terris tutelæ commendatos; vt ſicut eſt vnus Deus, vna fides,

&

& vnum baptiſma: ita ſit vnum ouile, & vnus paſtor, cor vnum, & anima vna. Mementote, quòd omnes quotquot Chriſto nomen dederunt, ſunt vnius incruentæ illius hoſtiæ, & vnius ſacræ illius menſæ participes, in qua norunt fideles quid contineatur: exquò lites, iurgia, bella inter Chriſtianos multò magis nefanda ſunt, quàm inter reliquas gentes, eo quòd peculiari & quotidiano noſtræ religionis ſacrificio, pacem & vnitatem, atque concordiam mutuam profitemur. Reuocate in memoriam veſtram illud ſanctiſſimi Vatis diuinum carmen, quo nunc Apoſtolica & catholica Eccleſia pro concordia fratrum, & pro parta de hoſtili claſſe victoria Deo gratias agens, paſſim vtitur, inquiens: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum &c. Mementote quas funeſtiſſimas tragœdias, & faces ſemper excitauerit diſcordia, quæ fuerit Patrum veſtrorum Religio, diuinarum legum obſeruantia, perpetuus Chriſtiani populi vſus, catholicæ Eccleſiæ conſuetudo, ſenſus, atque conſenſus, Apoſtolicæ ſedis in vniuerſo chriſtiano orbe tot ſeculis reuerentia, & authoritas, Regum, & nationum omnium in ſacerdotes Dei obſeruantia, & in Romanos præſertim Pontifices obſequium & obedientia. *Pſal. 132* Animaduertite quæ fuerint ſemper Hæreticorum artes, quæ fraudes, quæ doctrina, qui conatus, quæ ſit vera Eccleſia, quæ commentitia, quæ ſunt huius peſtilentes Cathedræ, & Synagogæ, quæ illius ſacræ ſocietates, atque collegia, quæ ambarum modeſtia, inſtitutum, diſciplina, mores, & fines. Cauete ne vos de ſacerdotalibus manibus accepiſſe gladium in ruinam, non in tutelam Eccleſiæ videamini, neque alteram tunicam tollere vnquã audete, quam Apoſtoli habere prohibentur: ſiquidẽ vna & inconſutilis eſt Chriſti tunica, vna vera & ſalutaris Chriſtianæ fidei traditio, atq. doctrina.

CAPVT XXXIX.

Eſſe Regem & chriſtianiſſimũ Regem quid ſi.

TE autem, Chriſtianiſſime & præſtantiſſime Rex, cui hunc (qualis ipſecunque ſit) paruum laborem in primis

gnificas, & quã tam uim habere debeas in Chriſtianis & generoſis pectoribus.

mis ſuſcepi, ne fluctuantis Chriſtianæ reipublicæ, & præſertim ne tãtoperè laborantis Regni tui pernicioſiſſimos motus, & impendentem ruinam diſſimulaſſe uiſus eſſem, Præcipuè uerò cùm hoc fuerit ſemper canonicorum Regulariũ, & maiorum meorum peculiare, atque perpetuum inſtitutum, illa nimirùm animo agitare, atque efficere, quæ maximè ad Chriſtianam religionem excolendam, atque ad communem orthodoxorum ſtatum, necnon ad piorum principum exiſtimationem & incolumitatem, & publicè, & priuatim facere uiderentur. Cuius quidem rei teſtis eſt magnus ille canonicorum Regularium inſtaurator pater meus, & totius Eccleſiæ doctor inſignis Aurelius Auguſtinus, qui eo tot doctiſſimorum librorum magnificentiſſimo, & uerè diuino apparatu, de tot catholicæ fidei hoſtibus triumphauit, ut meritò ab uniuerſa Eccleſia ueritatis aſſertor, Hæreticorum malleus, ſcientiæ uas ſummum, ſummumque decus præſulum diceretur. Teſtes etiam eſſe poſſunt (ut de tot eiuſdẽ ſacri canonici ordinis ſanctiſſimis & eruditiſſimis non uita functis modò, ſed uiuentibus etiam doctoribus ſileam) clariſſimi & celeberrimi patres illi Ricchardus & Hugo, qui ex præclara Pariſienſi Victorina illa canonica tãquam ex corde Eccleſiæ prodeuntes, tot præclariſſimis lucubrationibus, tantaq. uitæ innocentia uſqueadeò fuerunt de uniuerſa Chriſtiana republica, deque uniuerſo Gallicano Regno (in quo diu tam ſanctè & glorioſè uixerunt) benemeriti, ut nunc eorum nomina ab omnibus ſumma cum ueneratione circũferantur, & iure ſint immortalitati conſecrata. Tantorum itaque Patrum regijs & certis ueſtigijs inhærens, atque illuſtria, & uenerabilia exempla perſequens, Te, cui in primis (quemadmodum dicebam) Chriſtianiſſime & præſtantiſſime Rex, hanc paruam operam gratis, & ex animo deuoui, Te, inquam, per ſummum Numen, & per omnes Cælites, atque per diuina & humana iura omnia oro, obteſtorque, ut te Regem & Chriſtianiſſimum Regem eſſe memineris: Regem dico, id eſt, Dei miniſtrum, paſtorem populorum, iuris

Canonicorum Regularium præcipuum inſtitutum in excolenda & propagãda Chriſtiana religione explicatur, quorum præclara ueſtigia in his, quos ad Chriſtianiſſimum regem ſcripſit libellis ſe pſecutum fuiſſe, fatetur author.

ris patronum, iuſtitiæ cuſtodem, expulſorem malorum, ſcelerum & facinorum uindicem, bonorum parentem, publicæ tranquillitatis & felicitatis ducem, & quaſi propugnaculum, murum & antemurale. Chriſtianiſſimum uerò, hoc eſt, præcipuum chriſtianæ religionis cultorem, præcipuum catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ propugnatorem, præcipuũ impietatis hoſtem, præcipuum nouarum religionum, & hæreticorum hominum exterminatorem, præcipuum Vicariorum Chriſti, id eſt, Romanorum Pontificum defenſorem, præcipuum catholicæ ueritatis aſſertorem, præcipuum denique eccleſiaſticarum legum, & paternarum traditionum adſtipulatorem. Harum rerum ſi memineris, Optime, ſapiẽtiſſime & inuictiſſimè Rex (ut te perpetuò meminiſſe tot pro uera religione exantlati labores, tot quibus aduerſus impios perfunctus es pericula, tot de tot, ac tantis Eccleſiæ catholicæ hoſtibus habitæ uictoriæ, tot tibi parti triumphi, & poſita trophæa teſtantur) credat, credat mihi Maieſtas tua, tuta erit religio, tua regna tutiſſima, diuina lex intacta, paterni ritus integri, maiorum teſtimonia incorrupta, Chriſti & Eccleſiæ hoſtes profligati, omnia priſtinum ſplendorem, & priſtinam dignitatem conſequentur: quodque non eſt his omnibus minus, & Maieſtati tuæ ſummopere optabile eſſe debet, uetuſtiſſima, & ampliſſima illa de ſeruata, & conſeruata toties ueræ religionis maieſtate, inſignia, quæ à tot maioribus tuis Chriſtianiſſimis Gallorum Regibus cum regni hæreditate Maieſtati tuæ tradita ſunt, non modò inuiolata ſeruabuntur, ſed eadem etiam, & maiora quoque: tantoq́. maiora, quanto nunc difficiliora ſunt, quàm unquam anteà fuerint, & regni tui, & totius chriſtianæ Reipublicæ tẽpora, poſteritati tanta cum animarum incolumitate, & Dei, tuique nomini gloria clariora, & illuſtriora tranſmittentur.

Cõcludit author & promittit ōia proſpera & tuta Chriſtianiſſimo Regi, ſi ſuæ dignitatis atq. paternarũ & auitarum artiũ memor, in ſuſcepto catholicæ ueritatis patrocinio perſeuerauerit.

CAPVT XL.

EO QVE maximè, ſi nũc Chriſtianiſſima Maieſtas tua, publicæ Chriſtianorum cauſæ fauens, ut multum cer-

Valde commodũ atque honorificũ fore chriſtianiſſ

mo Regi nonnullis rationibus demõſtratur, ſi eadẽ Maieſtas chriſtianiſſima Gallicanas opes aduerſus Turcam pro communi Chriſtianorum fœdere iunxerit.

tè fauere poteſt, ſe quoque ad immaniſſimorum chriſtiani nominis hoſtium opes frangendas accinxerit: quod profectò iurè & cõmodè immo honorificentiſſimè etiam à Maieſtate tua fieri poſſe ſatis, ut arbitror, perſpicuum eſt. Siquidem decet potentiſſimum Regem in primis chriſtianæ reipublicæ patrocinium atque tutelam ſuſcipere, ac cum ſacris, catholicis, & ſereniſſimis Principibus illis conſociari, qui aduerſus communem hoſtem pro communi Chriſtianorum ſalute, & dignitate arma tam feliciter, & glorioſè adminiſtrãt. Et quis ſe acerrimum propugnatorem communis libertatis præſtare debet, niſi is, qui inter omnes chriſtianos Reges præcipuo quodã eulogio ſemper Chriſtianiſſimus dictus eſt, & fuit ſemper chriſtianæ dignitatis & libertatis præcipuus uindex? An aliqua fides ſeruanda eſt illi, qui Deo, hominibusque periurus, nulli unquam fidem ſeruauit? quiq. numquam oblatam occaſionem prætermittit, Chriſtianorum regna etiam contra ius, & fas inuadendi, expugnandi, diripiendi, occupandi, &, quod longè deteſtabilius eſt, Mahometanis ſacris, & ſuperſtitionibus initiandi. Vtinam Gallicani regni conſiliarij atque primates, & reliqui quoquè chriſtiani Principes hæc & ſimilia æquo animo dijudicarent, hacque præſertim tempeſtate, in qua illis tanta datur chriſtiani imperij propagandi, atque de uniuerſa chriſtiana Republica benemerendi opportunitas: quandoquidem non modò tot chriſtianarum urbium, prouinciarumque direptiones & iniurias ulciſcerẽtur, ſed priſtinam etiam chriſtiani nominis uirtutem, & maiorum ſuorum laudem iam propè ſeneſcentem, ab obliuione hominum, atque à ſilentio uindicarent: nec tã fœdè permitterent deuictum hoſtem iterum in uictores inſolenter, & ſuperbiſſimè inſultare. Cæterùm, Optime Rex, quod ad perturbãdam chriſtianam Rempublicam & religionem fieri ſibi fas eſſe alij putant, id Maieſtati tuæ ne cogitare quidem unquam liceat. Etenim illud regnum diuina prouidentia tuæ fidei concreditum eſt, quod ſemper religioſiſſimum fuit, & à ſacris ſeditionibus alienum: illorum præterea

Patrum

Patrum & Regum es hæres, qui ſemper ſancti, & Auguſti habiti ſunt, atque fuerunt ſemper religionis colentes, & chriſtiani populi propugnatores, ut tot Gallorum Regum in Sarracenos, atq. in Barbaros, & in contumaces Reges uictoriæ teſtimonio ſunt: quorum Maiorum tuorum præclara, & uetuſtiſſima exempla te imitari, Rex inclyte, tutius iudico, quàm callida, & periculoſa illorum conſilia audire, qui honeſto quodam, ſed falſo certè pietatis & religionis titulo, rebus nouis ſtudentes, Rempublicam undique euertere, atque præclarum & ſanctiſſimum fœdus iſtud (quo nihil optabiliùs atque beatiùs Chriſti fidelibus accidere poterat) diſſoluere adnituntur. Hæc habui, Præſtantiſſime Rex, quæ his meis monitis, & precibus hoc tempore Maieſtati tuæ deferenda iudicaui: non quia de ſumma, & diuina tua integritate & religione aliquo modo dubitarem, ſed ut Maieſtas tua commodiùs & tutiùs declinaret perfidorum hominum inſidias, quas tibi undique improbi, & turbulenti homines tetenderunt: ita ut non ſine ſingulari quodam diuini Numinis beneficio factum eſſe pij omnes affirmet, Maieſtatem tuam à tanta Gallicani regni contagione, & damnatarum opinionum lue prorſus intactam permanſiſſe: cùm tot Galliæ Reguli tam breui, & tam indignè à uera religione defecerint. Sed hoc erit ſummæ pietatis tuæ apud omnem æternitatem immortale teſtimonium, inſigne, & nouum aliquem titulum, & tibi, & poſteris tuis Gallorum Regibus pariturum: præſertim ſi, ut dicebam, cum tutela religionis, reipublicæ patrocinium coniunxeris, reſpexeriſq. Orientis populos, & præclariſſimam illam Rempublicam, quæ felicibus Chriſti auſpicijs fundata, & aucta, cùm fuerit ſemper Chriſtiani nominis decus, & totius chriſtianæ Reipublicæ propugnaculum, nunc impiorum, & perfidorum Barbarorum ui, ereptis Cyprijs, detruncata, una in primis communis hoſtis impetum, atque tam acerbi, & diuturni belli molem patienter, & conſtanter ſuſtinet, tua ope, tuis copijs, tuo conſilio, tua præſertim præſtantiſſima uirtute recreanda.

Cur tam religioſiſſimo & chriſtianiſſimo Regi, utpote qui ſemp fuerit de chriſtiana religione atq. Rep. optimè meritus, parenaticos & inſtitutorios libros Author ſcripſerit, explicatur.

Præclariſſimæ reipublicæ Venetæ tutelam chriſtianiſſimo Regi commendat author, & magna bonorum omniũ ſpes in ipsũ chriſtianiſſimum Regẽ de amiſſa Cypro recuperãda innuitur.

Quod utique adhuc ſumma bonorum omnium opinione de tua fratriſque tui Henrici III. præſtantiſſimi Principis inuicta & ſingulari pietate,& magnanimitate expectatur.

F I N I S.

KAROLVS. IX. REX. GALLIAE. NATVS
EST. V. KAL. QVINCTIL. MDL
REGNARE. COEPIT. NON. DECEMB. M.D.LX
OBIIT. III. KAL. IVNII. MDLXXIIII
IVSTA. EI. PERSOLVTA. SVNT. ROMAE
IN. SACELLO. PONTIFICIO
X. KAL. QVINCTIL. MDLXXIIII.

LVDOVICI MAIORANI GRAVINATIS

Canonici Regularis Lateranenſis.

DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV ORATIO, QVAM MISIT AD PATRES IN CONCILIO TRIDENTINO.



R O M AE,
Apud Vincentium Accoltum, & Valentem Panitium Socios.
M D L X X V.

HERCVLI GONZAGAE
S.R.E. CARDINALI,
Atque Concilij Tridentini
Præſidi ampliſsimo,

LVDOVICVS MAIORANVS
GRAVINENSIS CANONICI,
ORDINIS LATERANENSIS. F.

CVM optimo, ac ſummo Deo placuerit, Pontificem Max. Pium IIII. pro ſua in chriſtianam Rempublicam paterna charitate, in tot ſeditionum & diſcordiarũ tempeſtatibus, omni ſtudio & pietate curare, vt tandem Tridentinum Concilium ad optabilem, & cunctis ſalutarem, atque felicem exitum perduceretur, hacque de re cum ad ſingulos chriſtiani orbis Principes idem ſanctiſsimus Pontifex oratores mitteret, vt ſacrorum Antiſtites, euangelicæque doctrinæ interpretes & profeſſores ob il-

lud

lud idem Tridentum ſe conferrent, cumque deinceps nonnullorum ex ampliſsimo Cardinalium collegio, Patrum, multorumque Epiſcoporum profectione apud omnes eadem de re ſermo, in dies magis, ac magis percrebuiſſet: Viſum eſt non modo mihi, verum etiam nonnullis ſummis viris, quibus hunc animi mei ſenſū aperueram, fore neque ab ipſa re, neque a chriſtiani ſacerdotis & concionatoris munere alienum, me quoque, quamuis in Eccleſia Dei minimum, in tot tantiſque rerum difficultatibus, pro mea tenui parte chriſtianæ Reipublicæ non deeſſe. Nactus igitur ſuperioribus proximis diebus quendam ſatis opportunum meis ſtudijs receſſum, hæc quatuor totius huius Tridentini Concilij quaſi capita ſummatim (neque enim temporis anguſtiæ latius me vagari patiebantur) commentatus ſum, & in vnum perpetua quadam dicendi ratione redegi. Qua quidem in re mihi haudquaquam ea mens fuit, Ampliſsime Pater, vt tot ſanctiſsimos & ſapientiſsimos vniuerſæ chriſtianæ Reipublicæ diſceptatores & iudices, (quorum grauiſſimo iudicio & mihi, & cæteris pijs omnibus ſtandum eſt) his meis monitis erudire & inſtituere vellem: ſed vt tantummodo nonnullarum rerum, quæ mihi videbantur rationibus publicis non parum conducere, aditum eis patefacerem, remque ipſam non vniuerſam, ſed dumtaxat aliqua

ex parte eis indicarem, atq. innuerem. Exquo ipſi poſtea non ſecus, ac ſi a Speculatore quodam excitati, atq. admoniti, actutum, tamquam ſummi ac præſtantiſsimi duces, in aduentantes hoſtes irrumperent: atq. non amplius admonitoris uoce, ſed ſuapte uirtute & ſapientia, cætera omnia ex opportunitate adminiſtrarent, quoad profligatis uſquequaque aduerſariis, eſſent glorioſam uictoriam conſecuti. Verum, Optime Antiſtes, ut meam hanc commentationem Amplitudini tuæ præſertim mitterem, atque dicarem, multis rationibus ſum adductus. In primis autem, quandoquidem te a Pontifice Maximo eadem de re ſumma cum authoritate Legatum eſſe intelligebam: quamobrem me carere culpa, & quidem maxima non poſſe iudicabam, ad Patres in Concilio Tridentino ſcribentem, eum qui inter illos principem locum obtinebat, hoc eſt, totius Concilij præſidem, & moderatorem non agnoſcere: vt omittam tot ab Amplitudine tua in ſodalitatem noſtram ultro collata beneficia, tot in bene regenda noſtra Republica gratuito ſuſceptos labores, ſummumq. tuum ſtudium in noſtros homines, in eoſque maxime, qui chriſtianam eloquentiam, & bonas artes profiterentur. Erit igitur nunc tuæ & humanitatis, & pietatis, Vir clariſsime, eandem, licet minimi ponderis, ſcriptionem, tuo patrocinio commendatam, in tuam fi-

dem accipere: atque efficere pro communi chriſtianorum hominum utilitate, ut iſto in conſeſſu (ſi tamen ita oportere, & expedire uidebitur) publice ſuo tempore recitetur. Fortaſsis enim aliquibus, qui adhuc etiam chriſtianæ profeſsionis non ſunt prorſus immemores, huiuſce noſtræ admonitionis ſiue hortationis fructus, non erit iniucundus. At uero, faxit Deus, ut quemadmodum ipſi ad hanc paruam operam chriſtianis hominibus nauandã, non alio quam Religionis, & charitatis ſtudio impulſi ſumus: ita quoq. inclinatæ, & fere occidenti Reipublicæ aliquid adiumẽti hac noſtra admonitione afferamus. Interim Amplitudo tua tot ſapiẽtiſsimorum uirorũ præſidio munita, pro ſua prudentia & authoritate, enitatur atque elaboret, ut his longe optimis incoeptis (ex quibus certe chriſtianorũ omnium ſalus magna ex parte pendet) ultima quoque Deo adiuuante, reſpondeant. Ita enim profecto fiet, ut ſingulari diuini numinis ope, & præſtãtiſsima uirtute tua, tot corruptelarum commentitiorumq. dogmatũ monſtris domitis, atq. compreſsis, ad perpetuam chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem, & pietatis tuæ memoriam ſempiternam, immortalitati commendetur nomen alterius & præſtantioris, & clarioris Herculis. Deus Amplitudinem tuã, quã diutiſsime nobis incolumen cõſeruet, eiusq. rectiſsima conſilia chriſtianæ Reip. fortunet.

HERCVLES GONZAGA
S. R. E. CARDINALIS

R. P. D. Ludouico Maiorano Grauinati Canonico Regulari Lateranenſi. S.

ACCEPI literas tuas Idib. Februarij Romæ datas, ſimulque orationem tuam Patribus, qui in ſancto Tridentino Conuẽtu nobiſcum ſunt, miſſam: quam nonnullis doctiſſimis uiris legendam dedi, præſertim autem Ricchardo noſtro Vercellenſi, ueterano Eccleſiæ Catholicæ militi, & ſummo, ut tute ſcis, Theologo. Verùm quale is iudicium de ea fecerit, ex literis, quas ad me dedit, cognoſces: quas, ne tua præſtans uirtus debita commendatione fraudaretur, tibi mittendas curaui. Gratias & quidem mirificas agens, cumulatiſſimè etiam, ſi Deo placuerit, relaturus, quòd me tuarum uigiliarum, & huius tui honeſti laboris participẽ feceris. Te prætereà magnopere cohortor, ut hæc optimarum artium ſtudia, quæ non modò eorum profeſſoribus, ſed etiam eorum fautoribus maximo decori & ornamento ſemper fuerunt, nulla ratione intermittas: quod, ut commodiùs à te fieri poſſit, dabo operam opportuno tempore, ut & Pontifex Maximus, & ueſtræ Reipublicæ moderatores, non paruam, neque uulgarem & tuorum ſtudiorum, & dignitatis tuæ rationem habeant. Vale, Nosq́. & uniuerſum hunc ſanctum Tridentinum Senatum, apud Deum Altiſſimum tuis precibus iuua. Tridenti, Nonis Martij. M. D. LXII.

EIVSDEM ORATIONIS PARTES eodem ordine, quo hic depoſitæ cernuntur, explicatæ.

PRIMA, De utilitate, & neceſsitate Conciliorum, præſertim autem huius Tridentini, hoc turbulentiſſimo tempore.

SECVNDA, De corruptelis extirpandis, deque lapſa morum diſciplina in priſtinum ſtatum reſtituenda.

TERTIA, De modo, quo Euangelicæ doctrinæ, & Religionis, quæ nunc uigent controuerſiæ dirimendæ, atque ſedandæ ſint.

POSTREMA, De pace, & concordia ECCLESIAE.

LVDOVICI MAIORANI GRAVINATIS

CANONICI ORDINIS LATERANENSIS,

DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV Oratio, ad Patres in Concilio Tridentino.

Pars prima de utilitate & neceſſitate Conciliorum, præſertim autem huius Tridentini hoc turbulentiſſimo tempore.

SI vmquam ſummis Regnorum moderatoribus neceſſaria fuit in rebus dubijs prouidentia,& præſtãs quoddam animi robur, ne populorum ſuorum ſalus aduerſariorum incurſione periclitaretur, atque ne prouinciarum ſuarum iura hoſtili gladio uiolarentur: nunc profecto nunc,Proceres ſacri, qui habenas rerum tenetis, & a quorum ſacro & diuino nutu cæteri omnes christiani Principes pendent: nunc, inquam, uobis neceſſario tantis Europæ incommodis,& detrimentis

detrimentis obuiam eundum eſt, atq. etiam nunc eſt uobis tantopere afflictis & profligatis Romani imperij rebus inuicto & excelſo animo tãdem ſerio conſulendum. Cadens enim christiana Reſpublica, cadens quoque uera religio, quæ etiam apud tot chriſtiani nominis urbes, atque prouincias inteſtinis diſsidijs tam indigne labefactata eſt, atque conuulſa, indiget ueſtra ope, indiget ueſtro & conſilio, & auxilio, Patres: & uſq. adeo indiget, ut ſi Vos mature non opitulemini utriq. & hanc in aliquam contaminatam ſuperſtitionẽ, & illam ad ſummum interitum ruere neceſſe ſit. Ampliſsimum Orientis imperium corruit, Turcarum & Barbarorum inſidijs tam foede chriſtianis Principibus ereptum. Opulentiſsimum Pannoniæ regnum, totius olim chriſtianæ religionis firmiſsimum propugnaculum, hac noſtra tempeſtate ſimili caſu fractum eſt, & comminutum. Germania fere uniuerſa nouam ſacrorum rationem ſuſcitauit, nouum morem, nouam conſuetudinem in Rempublicam induxit. Britannia pariter omnis e ſinu gremioq. ſacroſanctæ communis parentis Eccleſiæ bis abſtracta eſt. Heluetiorum tot Pagi, & ab antiquũa Patrum inſtitutione, & a Republica deſciuerũt. Ipſa etiam Gallia, quæ alias ſemper fuit quaſi alumna, & nutrix ueræ pietatis, de commutandis ſacris, nouandiſque diuinæ religionis cærimonijs, proximis ſuperioribus

ribus diebus, ut ſcitis, turbulenter tumultuata eſt, & tumultuatur. In reliquum denique chriſtianum orbem, quæ uitioſæ & corruptæ conſuetudines, qui peſsimi & teterrimi mores non irrepſerunt? Inſtat præterea communis hoſtis, inſtat Orientis tyrannus: inſtat, inquam, nobis iam dudum magna ex parte ad Aphricæ ſyrtes diſiecta & capta claſſe uictis & perturbatis, nullaque ex parte nobis ipſis conſtantibus. Quamobrem, Patres, indiget ueſtra ope, & mature, ut dixi, chriſtiana Reſpublica. Vſquequaque enim & externis hoſtibus, & domeſticis laborat, ingraueſcitque in dies non modo externum, ſed etiam inteſtinum, & domeſticum malum: ad quos confugiat, a quibus opem & auxilium petat, quos appellet, quorum fidem imploret, chriſtiani populi grex, nullos habet niſi Vos, quos huic præcipuo & unico muneri uoluit Deus eſſe præpoſitos, uidelicet, illum paſcere ac tueri: ſiquidem Vos eſtis in terris ſigniferi, & duces populi Dei. Vobis in primis diuinitus delatæ atq. concreditæ ſunt præfecturæ totius orbis. Principes noſtri perinde ut Chriſti, ita quoque ueſtri ſatellites, atque miniſtri ſunt. Veſtrum eſt explorare, conſtituere, atque præſcribere, quid Reipublicæ, quid communi utilitati expediat: illis, & cæteris pijs omnibus fas eſt obtemperare, iuſſa capeſſere, dicto audientes eſſe. Vos poſuit Dominus cuſtodes, & *Ezech. 33.*

Tantis Chriſtianæ Reip. detrimentis addi poteſt, recens Cypri, & Guletianæ arcis, ac Tunetani propugnaculi iactura.

conſeruato-

conſeruatores ciuitatis ſanctæ: Vos dedit Deus ſpeculatores domui Iſrael. Quare e manibus dũtaxat ueſtris occiſorũ animas requiret: quia proſpexiſtis inſidias, gladiumque aduentatem, & non inſonuiſtis buccina, & ſignum e ſpecula non dediſtis, ut populus cuſtodiret ſe. Vnuſquiſque ueſtrum per ſe, nullo adiuuante, quodammodo certe poterat quondam tetræ & immanis belluæ, cæterarumque ferarum impetum, atque ferociam perhorreſcere, de ſua quiſque incolumitate eſſe ſolicitus, gregem ſine præſidio relinquere direptionibus, in fugam ſe ſe coniicere, terga dare: Nunc autem in tanta lectiſsimorum paſtorum, ſacratiſsimorumque procerum frequentia, in tot ducum ſapientiſsimorum, fortiſsimorumq. uirorum centuriis, quo minus una omnes iuſtitiæ & pietatis arma capiatis, nulla amplius excuſatio uobis uniuerſis iure reliqua eſſe poteſt: præſertim cum de uobis præpotens uerbum illud, omnipotens ſermo Dei, diuina ueritas, princeps omniũ
Matth. 18. Chriſtus dixerit: Vbi ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Aucta eſt, Patres, ſumme chriſtiana Reſpublica, per uniuerſum prope orbem radices egit, & propagata eſt, nullis Barbarorum excurſionibus uaſtabatur, aut uexabatur tunc, cũ ſacrorum Antiſtites, tunc, cum diuinæ Religionis cultores, & moderatores de pace, de moribus, de communi ſalute, deque

optimo

optimo ſtatu Reipublicæ una ſæpe, ac ſæpius con ſultabant. Nunc autem quid mirum, ſi & foris, & domi tot contumelijs operitur, tot calamitatibus opprimitur Reſpublica, cum publicæ illæ Seniorum animaduerſiones, cum communia illa ueterum, & prudentium hominum conſulta, cum catholica, quæ dicuntur, & œcumenica Patrũ Concilia, tot iam annos, tot iam ſecula conticuerint, intercapedinem conſultandi fecerint, ſint intermiſſa. Exoriebantur & olim quidem, atq. etiam inſurgebant quandoque turbulenti homines, adſtipulatores & defenſores nouarum ſentẽtiarum, ut chriſtianam diſciplinam, ut maiorum inſtituta commutarent, atque conuellerent: at ſtatim ſedabantur eorum ſeditiones, actutum coercebatur eorum temeritas, confeſtim eorum audacia frangebatur, illico eorum conatus cõprimebantur, protinus, repente, e ueſtigio opprimebãtur: quia hoc erat illis ſapientiſsimis Patribus noſtris præcipuum ſtudium, hæc præcipua cogitatio, quamprimum ſacros chriſtiani Imperij præfectos unum in locum congregare, omnium ordinum Conuentum agere. Seniores ſententiam ſuam de Republica ſinguli dicebant, quodque aſſenſione omnium, uel plurimorum comprobatum erat, id firmum, & in perpetuum ratum omnes habebant. Hoc quidem certe pacto, quos de ſtimulatoribus, & concitatoribus ſeditionum, quos de

commentitiæ religionis interpretibus christiana Reſpublica non egit triumphos? quæ lapſa morũ diſciplina in antiquum ſtatum, in priſtinam dignitatem non eſt reſtituta? quos potentiſsimos hoſtes, & domeſticos, & externos non expugnauit, non proſtrauit, non exterminauit? Vtinam, Patres, & apud nos non tam raro, ſed more maiorum frequenter, & aſsidue in communi Concilio de communi ſalute, ac de publicis rebus decretũ eſſet: quandoquidem in præſentia & leuium ſeditioſorumque fratrum inuidia, & externorum hoſtim ui & tyrannide fortaſsis tantopere non laboraremus. Verũ inter has tragoedias, inter hæc incommoda, quæ certe maxima ſunt, gratias quoq; agamus maximas ſummo procreatori & principi omnium Deo: quia reſpexit nunc tandem Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ. Iniiſtis enim tandem, uel initum quondam, nunc tandem diuini Numinis beneficio abſoluere contenditis, hoc generale & ſummum toties interruptũ Tridentinum Concilium. Summum, inquam, & generale: quandoquidem in eo non de ſalute tãtummodo ſociorum, non de propellendis tantummodo hominũ iniurijs, non de una tantummodo ſeditione ſedanda, uerum etiam de fratrũ noſtrorum, atque de propria animorum & corporum incolumitate & ſalute, uerum etiam de ſumma rerum agendum eſt. Singulis enim ætatibus,

tibus, etſi aliqua magna, & turbulenta diſcordiarum, & ſeditionum tempeſtate iactatam fuiſſe Petri nauiculam inficias certe iri non poſsit: attamen (uera ut fateamur) imbres, nimbi, procellæ illæ, haudquaquam fuerunt eiuſmodi, ut nauim curſum ſuum tenentem, impedirent, miſerrimũ ut naufragium, extremam ut calamitatem minitarentur. Nunc autem longe plurima eidem aduerſa, atque infeſta ſunt: etenim turbinibus, turbulentiſsimisque tempeſtatibus, tonitruis fulminibusq. undiq. quatitur, atque agitatur chriſtianũ nauigium, omniaq. uim & mortem uſquequaq. intentant. Ex altera enim parte nõnullorum imperitorum remigum pertinacia, cærimoniarum, & myſteriorum prope omnium remi fracti ſunt: ex altera uero quibus deprauatæ diſciplinæ fluctibus, quibus morum perditiſsimorum præruptis aquarum mõtibus non operitur, obruiturq.? quique præterea tantarum alluuionum, & foeditatum ſentinam exhauriat, ne unus quidem eſſe uidetur. Quotquot etiam nauim hanc conſcẽderunt, ad unum omnes, ſtomachi faſtidio laborãt, nauſeant, alacri & erecto animo eſſe nequeunt: uſquequaque moerore afflicti ſunt, & profligati, ut perditi ſe ſe huc & illuc obiiciunt, & proſternunt, omnia denique perturbata atque confuſa ſunt. Nuſquam conſilio, nuſquam pietati, nuſquam ſaluti locus eſt, niſi hic apud uos, Patres,

qui ſedetis in puppi, qui clauum chriſtiani Imperii tenetis, qui gubernacula totius chriſtianæ Reipublicæ tractatis. Sed quia, ut dixit eruditiſſimus ille, etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus nonnumquam à uectoribus admoneri ſolent: idcirco uos, optimi & ſapientiſsimi Patres, obſecro, atque obteſtor, ut quæ ipſe, qui uobiſcum eadem in naui ſum, iiſdem fluctibus, eadem tempeſtate quatior: quæ, inquam, ipſe de Republica, de communi ſalute, de religione hiſce chartis, quaſi quibuſdam internunciis, uobiſcum acturus ſum, æqui boniquе faciatis: atque etiam pro ueſtra in Rempublicā diligentia, proq. admirabili ueſtra ſapientia & prudentia, pro ueſtra quoque manſuetudine & humanitate, proq. magnitudine periculi, attente bonaq. cum uenia audire, & conſiderare ne grauemini: præſertim cum me ad id ſanctiſsimum munus obeundum ſola Reipublicæ charitas impulerit. Præſertim cum ipſe non ad conciliandam mihi hominum gratiā, ſed concitatus dumtaxat ſtudio pietatis, & ueritatis uobis hunc animi mei ſenſum exprimere, meā hanc de religione ſententiam dicere, inſtituerim. Præſertim cum non multa, & innumerabilia, ut Rhetores ſolent, ad inanem ingenij eloquentiæue oſtentationem, ſed perpauca quædam & neceſſaria, ut pios homines, & ſimplicis ueritatis amatores decet, atque ut huius loci, & horum temporum

Cic. in Philipp.

porum turbulētiſsimorum ratio exigere uidetur, ſim commemoraturus. Præſertim cum non ad unum, non ad paucos, ſed ad multos, ſed ad uniuerſos, deque multorum atque uniuerſorum incolumitate, & libertate uerba facturus ſim. Præſertim denique cum non præceptis, nō inſtitutis, non præſcriptis, ſed fraternis tantummodo precibus & obſecrationibus, ſed chriſtiana tantummodo admonitione, atque hortatione uobiſcum ſim acturus: in cuius admonitionis atque hortationis initio hoc in primis occurrit, nimirum, ut percuncter (date mihi, quæſo, hanc ueniā Patres) ut ſciſciter, ut quæram ex uobis.

Primum, Qui nam eſtis uos?

Deinde, Quamobrem iſto conueniſtis?

Poſtremo, Quis uos miſit?

Pars ſecunda de corruptelis extirpandis, deque lapſa morum diſciplina in priſtinum ſtatum reſtituenda.

Hæc tria dumtaxat ſunt, Patres, quæ a uobis hac in cauſa ſummatim exquiram: et quidem ad id de quo primo quærebatur, uidelicet, Qui nam eſtis uos? num aliud, quam huiuſmodi reſponſum dare poteritis? Nempe, quod eſtis proceres ſacri, regale ſacerdotium, gens ſancta, genus electum, cuſtodes uineæ Domini, ſal terræ, lux mundi, duces cæcorum, paſtores animarum, & eiuſdem generis reliqua? Non profecto: etenim eſtis. At cum ſitis tales, nonne par eſt, nonne æquum eſt tandem, his præſertim temporibus, munus ueſtrū agnoſcere, atque exequi? Siquidem, ut Dei uir- *Math. 5.*

tus

tus & ſapientia Chriſtus, teſtatur: Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Hoc, ſi uera fateri uolumus, hoc potiſſimum fuit cauſæ, Patres, cur hoc noſtro ſeculo effuſæ ſint tot tenebræ, & cæcæ nubes christianæ Reipublicæ, Quia lucernæ domus Domini, quarum ſplendor omnibus lucere debebat, ſub modio fuerunt: quia lampades ſanctuarij magna ex parte miniſtrorum incuria obſcura caligine tectæ ſunt: quia publicæ religionis magiſtri, quia ſacrorum Antiſtites amouerunt candelabrum Dei de loco ſuo, & dilexerunt, neſcio quo fato, & occulto Dei iudicio, magis tenebras, quam lucē: quia uehementes quidam cupiditatum & ambitionū, quaſi uenti per feneſtras templi in ſancta ſanctorum irrumpentes, ad unum fere omnia ueræ pietatis lumina extinxerunt. Metiamur, quæſo, hæc noſtra tempora ex antiquis, & conferamus, obſecro, præſentem chriſtianæ Reipublicæ, & religionis ſtatum, atque huius temporis uiuendi morem cum priſcis, & heroicis fidei & religionis noſtræ temporibus. Pro dolor, nonne uinea electa Domini exercituum conuerſa eſt in prauum? nonne pro uuis labruſcas protulit? numquid non uaſtata eſt maceria eius? nonne tota direptionibus patefacta eſt, atque expoſita? numquid non uindemiant

Hierem. 2. Eſaia 5.

miant eam omnes qui prætergrediuntur uiam? uel num nõ uaſtauit eam aper de ſylua, aut numquid ſingularis ferus non depaſtus eſt eam? Conuerſa eſt, conuerſa eſt; maiori ex parte omnis chriſtianæ diſciplinæ ratio: immutata eſt uniuerſa ferè totius chriſtianæ Reipublicæ facies; uis moribus undique facta eſt: cuncti e recta Patrum conſuetudine receſsimus, ruuntque in dies in peius omnia: uſqueadeo ut non modo ægrota, ſed propè deſperata uideatur eſſe chriſtiana Reſpublica: neque aliud reliquum his tot incommodis remedium arbitror, Patres, niſi ut ex quibus rebus Rempublicam maxime laborare proſpicitis, iis etiam maxime medicinã faciatis: niſi ut inde inflicta & impoſita ſunt uulneta Reipublicæ, indidem etiã medicamenta ſalutaria promatur. Quãobrem in hoc in primis eſt bonis omnibus in hoc ſacro conſeſſu, omni ope & opera elaborandum atq. enitendum, Patres: nempe, ut lucernæ domus Domini, quæ tãdiu tot craſsis, tetriſque circumfuſæ & occultatæ tenebris latuerunt, tandem aliquando in medium proferantur, inque oculis omnium collocentur; ut uere luceant omnibus, qui in domo ſunt. Quo autem pacto lucernæ iſtæ ſacræ, qui eſtis uos (Vos enim æternæ lucis, & ſummi luminis ſimilitudinem quamdam ſpeciemque in terris geritis.) uere lucere poterunt omnibus, qui in domo ſunt? Ipſe equidem hanc unam dũ- Pſal. 79.

taxat

taxat ſupereſſe rationẽ perſpicio, hanc uiam unicam: hoc eſt, ut unuſquiſque noſtrum ſeperatim, & omnes una diligenter memoria repetamus, & ante oculos noſtros ponamus exẽpla maiorum, nimirum, quibus artibus hoc ſacrum imperium, qua diſciplina hanc ſanctam Rempublicam fundauerunt: iiſdem enim inſtitutis, quibus parta eſt & aucta, & non aliis retineri, & conſeruari poteſt chriſtiana Maieſtas. Quid igitur Maiores noſtri, Patres noſtri, Heroes noſtri, a quibus tantum nos degenerauimus, quorum ueteres laudes noſtris facinoribus obtriuimus, quibus dedecori ſumus: quid, inquam, illi Sanctiſsimi uiri, Deoq. tam cari & accepti homines in inſtituenda, atque in excolenda uinea Domini moliti ſunt, quid fecerunt? non aliud quidem, niſi hoc unum, nempe, ut non quæ ſua erant, quærerent, ſed quæ Ieſu Chriſti. Hoc erat illis unicum ſtudiũ, quomodo non hominibus, ſed uni Deo placerent. Non honores, ſed labores: non dominatum, ſed Dominum quæritabant. Erant tyranni animorum, non hominum: non diuitiarum, ſed animarum erant Epiſcopi. Affluebant & ipſi certe diuitijs, attamen uitijs omnibus carebant: meritis, non opibus: moribus, non ueſtibus placebant: non equos & canes, ſed egenos & inopes alebant: nõ tantum præferebant ſanctitatis ſpeciem, ſed uere erant miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſterio-

rum

tum Dei: ſedebant quidem in Cathedra, regaliq. ſolio, ſed Deo, ſed Cælitibus ſemper aſsiſtebant: Errantibus ueritatis uiam, proximis ſuis lucis exẽpla monſtrabant: Paſcebant gregem Domini, nō ſemetipſos: erant uere paſtores, non mercenarii: Lacte quidem & carne ueſcebantur, & quidem lanis operiebantur: at quod infirmum & ægrotũ erat, curabant, quodque erat confractum, abiectum, & ſemiuiuum, alligabant, excitabant, reducebant. Oues Domini non erant in montibus errantes, grex Chriſti in tuto locatus erat, optimorum cuſtodum præſidio munitus. Erant non modo ſucceſſores in regno Chriſti, uerum etiam amatores, imitatores, & æmulatores chriſtianæ pietatis: denique miniſtrabant, non imperitabãt. Hinc factum eſt, ut ipſe quoque ſummus præfectus orbis Romanus Pontifex, ſeruus ſeruorum Dei diceretur. His artibus, his moribus, his inſtitutis, maiores noſtri tot urbes, tot prouincias, tot regna, totum denique terrarum orbem chriſtiano imperio ſubiecerunt: ita, ut Roma, quemadmodum ait Leo Pontifex, latius præſideret poteſtate diuina, quam dominatione terrena: & minus eſſet quod illi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax chriſtiana ſubegit. Sed, O miſerrimam noſtrorum temporum conditionem, ubi nunc eſt tantũ imperium? Nonne ex tribus illis aureis ſertis, ex tribus illis ſummis omnium gentiũ & Re-

1. Cor. 4.

Ezech. 34.

Leo Pontifex in Natalitijs Petri & Pauli.

gum coronis, duæ e capitibus noſtris in terram ceciderunt, & comminutæ ſunt: & tertia, heu, nonne undique nutat? Vix,uix hic minimus Europæ angulus ex omni Aſia & Aphrica deturbatis, atque expulſis nobis relictus eſt, uix in his Europæ anguſtijs nos reliquiæ inimicorum noſtrorum tuti ſumus, ita ut de chriſtiana Republica uere dici poſsit: Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, facta eſt quaſi uidua domina gentium, princeps prouinciarũ facta eſt ſub tributo? Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion, proiecit de cælo in terram inclytam Iſrael, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui? Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Tantorum autem malorum, tantarum miſeriarũ, tam magnæ mutationis, dicite quæſo Patres, quid nã aliud cauſæ fuit, niſi quia nos aliter geſsimus Rempublicam, atque a maioribus noſtris inſtitutam accepimus? niſi quia deflexímus quammaxime de ſpacio, curriculoque paternarum artium? Neceſſum erat ſane, ut hæc temporũ inclinationes in Rempublicam incumberent, ut eadem his in conuerſionibus rerum uerſaretur, has ut calamitates acciperet, his ut miſerijs, his ut ærumnis premeretur, ut hæc denique tot maxima incommoda, & detrimenta eidem euenirent, immutatis

Hierem. in Lament.

tis

tis omnino moribus, immutata penitus diſcipli-
na maiorum. Staret utiq. adhuc integrum & in-
colume christianum imperium, ſi ſanctiſsimæ il-
læ ueræ pietatis artes, ſi præſtantiſsima illa ueræ
religionis ſtudia, quibus fundatum fuit, & ſtabi-
litum, nec non tam longe lateque propagatum,
non eſſent intermiſſa, atque reiecta. Nunc autem
euerſis omnino moribus, ſublataq. prorſus apud
quamplurimos uera religione: quid mirũ, ſi Chri
ſtianus orbis uſquequaque tot corruptelarum il-
lecebris irretitus, de priſtino illo ampliſsimo gra
du deiectus eſt? ſi maiori ex parte corruit? ſi quod
reliquum eſt rimas agit? Quapropter ſi ſaluam &
incolumen chriſtianam Rempublicã cupitis, Pa-
tres, molimini, ſatagite, conſtituite, ſancite nũc:
nunc enim tempus eſt, ut aliquando tandem red-
dantur quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei *Matt. 22. Marc. 12.*
Deo. Inſtate, inſiſtite, opportune, importune, *Luc. 20.*
ut deprauata corrigantur, ut populus chriſtianus
tandem ſe ad meliorem frugem recipiat, ut tandẽ
ſentiat ſe eſſe populum Dei, & uocatum, ut ait
diuus Paulus, non in immunditiam, ſed in ſan- *1. Theſſ. 4.*
ctificationem. Agnoſcat præterea unuſquiſq. ſuũ
certum ac propriũ munus, ad quod uocatus eſt:
paſtores paſtorum officio fungantur, oues ouiũ.
Illud autem quammaxime animaduertite, Patres,
nempe, ut piæ illæ actiones, ut ſalutaria illa faci-
nora, & recte facta, ſine quibus omnis noſtra per-

 ſuaſio,

Iac. in ſua epiſt. cap. 2. ſuaſio, & fides, ut ait diuus Iacobus, mortua eſt, in priſtinam dignitatem quaſi poſtliminio, reſtituantur. Hoc autē fieri non poteſt, niſi prius ſanctiſsimæ illæ, quæ nunc penitus in tenebris iacēt, ueterum conſuetudines, quibus tam accurate fun data fuit & extructa chriſtiana diſciplina, tam ſan cte ſuſcepta fuit & culta chriſtiana religio, in lucē fuerint reuocatæ, ac ſuum priſtinum ſplendorem acceperint. Videri quidem poterit nonnullis hoc permultum difficultatis & laboris habiturum, cū ob deprauatos huius ſeculi mores, tum ob inueterata hominum uitia: præſertim cum illa priſtina religionis, & maiorū noſtrorum ſanctitas perpetua quadam obliuione obruta eſſe uideatur. At conſiderandum eſt nobis, num iure, recteque in hominum obliuionem uenerit: item, quæ incōmoda eam ob rem nobis euenerint, quæ itidem commoda nobis euentura ſint, ſi in integrum reſtituatur: eoque magis quod nulla umquam medicina reliquis partibus infirmæ Reipublicæ repe rietur, niſi prius hæc eiuſdem Reipublicæ tot gra uiſsima, quæ in moribus ſunt, uulnera, ſalutaribus remediis uos ſanaueritis: eritque totum hoc, non arduum, neque difficile, ſed perfacile potius ac periucundum; ſi tamen feceritis omnia ſecundum poſtremum illud, & diuinum exēplar, quod oſtenſum eſt nobis in monte, de quo præpotens *Matth. 17.* pater e nube intonuit, dicens: Hic eſt filius meus

dilectus,

dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Quid autem eſt, ipſum audite, niſi quæ ipſe præceperit, obſeruate? quæ ipſe docuerit, docete? quæ ipſe fecerit, facite? Quid uero fecit, docuit, ac præcepit, non eſt opus nunc commemorare. Longum enim eſſet in præſentia recenſere, qualis nã fuerit Chriſti charitas in uniuerſum genus humanum, quæ pietas, quod ſtudium in paternas leges, qua conſtantia & animi firmitate honores & diuitias ſpreuerit, quibus laboribus inſtituerit, & excoluerit uineam Domini, qua fide, qua diligentia ipſe idem, quoad nobiſcum uixit, ſeminauit diuinum ſemen, hoc eſt, uerbum Dei, qua cura & uigilãtia ſibi a Patre commiſſas oues ac concreditum gregem pauerit, cuſtodierit, incolumen ſeruauerit, uſq. eo ut nec ſuæ ſaluti, nec ſuæ dignitati pepercerit: qua parſimonia, & frugalitate omnem uitam duxerit, quam clemens, quam mitis fuerit in alios, quam auſterus & aſper in ſemetipſum, quã ueræ pacis & obedientiæ cultor, quã ueræ paupertatis & humilitatis amator. Hæc, & his ſimilia hoc tempore enarrare non attinet: ſiquidem propalam ſunt, & in oculis omnium, nec quemquam ueſtrum eadem latere perſpectum mihi eſt. Satis igitur habeatis me nunc tantum digitum ad rem intendiſſe: ut quantum a ſuo capite, quantum a ſuis patribus, quantum a ſanctiſsimis illis priſtinis inſtitutis defecerit, atq.

degenerauerit chriſtiana poſteritas, ſaltem aliqua ex parte cognoſcatis: utque his tam magnis febribus, quibus ſocrus Simonis, id eſt, uniuerſa Eccleſia in præſenti tenetur atque iactatur, aliquã medicinam Vos, qui Chriſti perſonam geritis, afferatis. Vos, dico, quorum fidei iura omnia & humana, & diuina commiſſa ſunt: quique ſummo Regi, & iudici Deo ſigillatim atque etiam mi nutatim reddituri eſtis rationẽ adminiſtratæ Reipublicæ, & ut Chriſtus ait, uillicationis ueſtræ.

Luc. 16.

Pars Tertia de modo quo Euangelica doctrina et religionis, quæ nunc uigent, controuerſiæ dirimẽdæ atque ſedãdæ ſint.

Cæterum hæc, & quidem admonendi, non criminandi cauſa, dicta ſatis ſint de ijs, quæ ad primã interrogationem attinent. Veniamus igitur ad ſecundam, qua mihi in optatis erat, qua cupiebam ſcire ex uobis, Patres, Quamobrem iſto conueniſtis? cur iſtum tam celebrem conuentum agitis? cur indictum eſt hoc tantum Concilium? Indictũ eſt hoc tantum Concilium, hunc tam celebrem conuentum agimus, huc conuenimus reſpondebitis, Vt prouideatur tot malis, & incommodis Reipublicæ, Vt arma, quæ tot domeſtici hoſtes in religionem ſuſceperunt, deponantur, Vt bellum quod quidam ex noſtratibus, more gigantũ, cum Deo, & cum reliquis ſuperis gerunt, & admi niſtrant, refrigeſcat, & extinguatur, Vt qui contra religionem inuenta perditiſsima, nouaq. opinionum portenta commenti ſunt, cum eadem religione in gratiam redire poſsint, Vt omnes Chri

ſti

ſti legibus obtemperantes in eadem & probitatis, & ſapientiæ diſciplina, inter ſe concilientur, con iunganturque, Demum ut paci & ſaluti, ut digni-tati cõmuni conſulatur. Cum igitur ad has præ-claras quidem, & neceſſarias res adminiſtrandas, & conficiendas, ad hæc publica munera, ad hæc tam magna & ampla negocia pertractanda, & exe quenda, iſtum in locum congregati ſitis: agite nunc, ac ſumma ope nitimini, O clariſsima chri-ſtianæ Reipublicæ lumina, ut illud idem efficia-tis, ad quod ueniſtis: ut omnium ſeculorum po-ſteritas intelligat, uobis in adminiſtranda religio-nę, neque ſtudium, neque pietatem, neque dili-gentiam defuiſſe: vt per uos tandem reddatur chriſtianis hominibus illud otium, illa pax, quam omnes cum boni, tum ſapientes maximopere ſem per exoptauerunt. Nitimini ne hic tantus Sena-tus fruſtra coactus ſit, ne Rempublicã fruſtra im-ploraſſe auxilium ueſtrum dicatur, ne uos operã perdidiſſe, atq. fruſtra ſuſcepiſſe hunc tantũ labo-rem aliquando glorientur aduerſarij. Hæc autem incommoda, & detrimenta omnia certo euentura ſunt uobis, Patres, niſi omni fide, pietate, & ſtudio poſueritis ante oculos ueſtros. Hæc duo, Vnũ, vt illius miſericordiã, auxiliũ & præſidium omnibus uotis petatis & imploretis: qui unus cõſceleratas & nefarias perditorum hominum uolũtates uere ſanare poteſt: qui unus nobis laborãtibus ſuccur

rere,

rere, nobis ægris poteſt mederi: qui unus tot periculis, quæ ceruicibus noſtris impendēt, occurrere potis eſt: qui denique unus uim & facultatem habet infirmæ, eneruatæ, afflictæ, & modis omnibus quaſſatæ Reipublicæ ſaluti, fortuniſque communibus ſubueniendi. Sic enim ſcriptum eſt: *Pſal. 126.* Niſi Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt, qui ædificant eam. Item: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatē, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Et certe fruſtra uigilabitis in cuſtodienda christiana Republica, quæ eſt ciuitas Dei: fruſtra laborabitis in reſtituenda Eccleſia, quæ eſt domus Domini, niſi idem Dominus, idem ſummum numen, idem diuinus ſpiritus ſanctiſsimis precibus, humilique obſecratione placatus uobis affuerit, inque animos ueſtros clariori lumine illabi cœperit, & docere uos ſicut pollicitus eſt omnem ueritatem. *Ioan. 14.* Hoc namque modo ipſe idem nobiſcum pactus eſt, dicens: *Matth. 7.* Petite, & dabitur uobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur uobis. Quod ſane quidem re ipſa cōprobauit tot Patrum exemplis, quibus præbuit ſe refugium & adiutorem in opportunitatibus, cuſtodem præterea, & propugnatorem omnium pie ſupplices manus ad ſe tendentiū. Hoc igitur ſit unum, in quod oculos ueſtros & animum in his aſperitatibus rerum, atque anguſtijs ſemper conijcere debetis: nempe, in patrē & moderatorem omnium Deū,

qui

qui ſolus poteſt, ut ait ſanctiſsimus Vates, præcingere uos uirtute ad bellum, & ſupplantare inſurgentes in uos, ſubtus uos; necnon eripere uos de contradictionibus populi, & conſtituere uos in caput gentium; ſine quo non modo non agere aut moliri, ſed ne cogitare quidem aliquid boni umquam poteritis. Alterum uero quod uobis in inſtauranda religione ſemper in oculis, ſemper in ore, ſemper in intima cogitatione eſſe debet, ſit illud idem, Patres, quo alias maiores noſtri in conſimilibus factionibus & controuerſijs comprimendis atque ſedandis tantopere uſi ſunt: nimirum, idem illud, quod in lapſa morum diſciplina reſtituenda obſeruandum eſſe commonefecimus. Quemadmodum enim in reſtituendis moribus eſſe neceſſarium dicebamus, recurrere ad incorruptas illas conſuetudines, & ad ſanctiſsima illa exẽpla illorum Patrum, qui uniuerſam chriſtianam Rempublicam tam ſingulari uitæ innocentia, tantaque pietate fundauerunt, & ad illorum præſcripta, uitæque imaginem atque normam optimis inſtitutis & legibus præſentes mores componere, & uniuerſam Rempublicam temperare: pariter, eodemque modo in reſtituenda religione, ſacrorumve codicum germana intelligentia, quæ hoc noſtro ſeculo apud tot nationes & regna, apud tot etiã eruditiſsimos uiros tam impie deprauata, & corrupta eſt: operæpretium, ac ſumme neceſ- Pſal. 17.

ſarium eſſe ducimus, ad illorum decreta confugere, illorumque ſententias perſcrutari, qui chriſtianam religionem tam ſancte coluerunt: qui tot ſeculis, a primordiis uidelicet naſcentis Eccleſiæ uſq. ad hæc tēpora perpetuo & incorrupte Rempublicam ſeruauerunt. Quibus enim aliis, iis de rebus, quæ ad religionem attinent, magis fides eſt habenda, quam primis & præcipuis religionis cultoribus, & conſeruatoribus illis, qui non modo ſacra, ritus, mores, conſuetudines, & cærimonias, ſed ipſa etiam ſacrarum literarum oracula, & monumenta, ſed ipſa etiam ſancta chriſtianæ eruditionis, & ſapientiæ uolumina, nobis poſteris prodiderunt? Quamobrem ad ſacrorum librorum ueram intelligentiā, non alij ipſo quidem iure conſtituendi ſunt iudices, aut interpretes, quam ij, qui nobis eadem ſcripta ſacra tradiderunt, quiq. quo pacto, quave ratione intelligenda erant, clariſsimis exemplis, perpetuisque conſuetudinibus edocuerunt, & interpretati ſunt; expreſſerunt, & expoſuerunt. Etenim quis nam alius maioris uel ſapientiæ, uel authoritatis iudex illas lites & cōtrouerſias, quæ de uetuſtiſsimis Patrum ſcriptis, deque ſacris Euangeliorum uerbis inter nos ſuboriuntur, melius dirimere, ac tutius componere poteſt, quam maiorum noſtrorum uetuſtiſsima, & uniuerſalis conſuetudo? quam communis, & concors eorundem Patrum ſententia? quam per

totum chriſtianum orbem omnibus ſeculis iam inde a temporibus Apoſtolorum, ad hæc uſque tempora perpetuo & quaſi per manus traditũ inſtitutum, & apud omnes ſemper recepta, & continuata obſeruatio? Te pacatum reddat traditio, ait magnus Baſilius, Dominus ita docuit, Apoſtoli prædicauerunt, Patres obſeruauerunt, confirmauerunt martyres, ſufficit dicere: Sic edoctus ſum. Et diuus Athanaſius de conſimili re ſermonem habens, ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum perhibet, hoc ſolummodo reſpondere ad talia, & dicere ſufficit, Quod iſta non ſunt catholicæ Eccleſiæ, neque iſta Patres noſtri ſenſerũt. Et ante hos ſanctiſsimus Lugdunenſis Epiſcopus Irenæus, qui fuit ſecundo chriſtianæ religionis ſeculo, anno ſcilicet a Chriſti Natali die, centeſimo quinquageſimo. Si qua, inquit, diſceptatio oriatur, oportet ad antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſtatuere quod certũ eſt. Quid enim ſi neque Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem traditionis ſequi, quem tradiderunt ij, quibus committebant Eccleſias? Ex quibus profecto uerbis ſatis perſpicue cõſtat, Patres, quomodo diſsidia optimatum, & ſacrorum uirorum diſſenſiones e medio tollendæ ſint: quo iudice religionis controuerſiæ, atq. diſcordiæ ſint dirimendæ, atque ſedandæ: qua ma-

Baſilius in homil. contra Sabellianos & Arrium.

Athanaſius.

Irenæus aduerſus hæreſes, lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 33. & 63.

china euertendæ ſint domeſticorum hoſtiũ opes: quibus deniq. armis felicißime decertandum ſit cum commentitiorum dogmatum, & damnatæ ſectæ Theologis: nimirum, non diuinis dumtaxat teſtimonijs, non ſacris ſolummodo ſcriptis: (quippe quæ ingenioſi, & turbulenti homines facile, quocumque placuerit, detorquere poſſunt, quemadmodum alias eiuſmodi perfidioſos homines ſingulis ætatibus feciſſe manifeſtũ eſt.) ſed ſcriptis quidem ſacris, ſed diuinis quidem teſtimoniis; ita tamen expoſitis atque explicatis, ut a tot ſanctißimorum ſapientißimorumq. uirorũ intelligentia, ut a tantarum nationum communi ſenſu, ut a præiudicatis toties Patrum noſtrorum ſententijs, ut a perpetuo maiorum noſtrorum more nulla ex parte abhorreant, aut diſcrepent: niſi cuilibet licere, unicuique datum eſſe dixerimus, maiorum inſtituta conuellere; ſpectatißimorum, ac probatißimorum hominum ſententiæ refragari, ſumma cum pertinacia ſuorum dogmatum impietatem tueri; chriſtianam diſciplinam commutare, atque diſſoluere; uetuſtißimorum authorũ eleuare teſtimonia; Conciliorum oecumenicorum & orthodoxorum authoritatem repudiare; perpetuum totius Eccleſiæ conſenſum pro nihilo ducere; Pontificiæ poteſtati, & uniuerſæ religioni bellum indicere, fundamenta Eccleſiæ labefactare, & euertere; diuina denique & humana om

nia

nia ad uotum, ad arbitrium, ad libidinem miſcere, perturbare, atq. confundere. Niſi igitur hæc, & his ſimilia, impia & execranda facinora cuipiã licere dixerimus, quis ita bardus, qui adeo ſtupidus eſt, ut non intelligat, nulla ratione, nullaq. ex cauſa fas eſſe tranſgredi illos terminos, quos poſuerũt nobis Patres noſtri? Præſertim cum etiã apud uanæ & fictæ religionis homines, cærimonias ueterum ſuorum retinere, cuſtodire paterna ſacra, ſuorumque maiorum inſtituta tueri, ſemper ſapientis fuerit. Vt omittam grauiſsimam & clariſsimam illam diui Pauli ſententiã, qua Theſſalonicenſes, & reliquos chriſtianæ pietatis cultores commonuit, ut ſtarent & tenerent, non ſcripta, non uolumina, nõ codices; ſed traditiones, *2. Theſſ. 2.* inquit, quas didicerant, ſiue per ſermonem, ſiue *2. Cor. 12.* per epiſtolam ſuam. Sciebat enim diuinus ille doctor, qui raptus fuit uſque ad tertium cælum, & audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui, Eccleſiam Dei eſſe uiuum pectus Chriſti, ſcripturam uero quaſi mortuum atramentum; & idcirco longe potius credendum eſſe uiuo pectori, quam mortuo atramento, hoc eſt, maiorem fidem eſſe habendam uiuenti Eccleſiæ, quam per ſe uelut mortuis codicibus. Sciebat quoq. Chriſtum non membranulas, non macrocolla, non chartulas, non ſcriptiones, non literarum monumenta: ſed exempla, ſed præcepta, ſed inſtituta,

ſed

ſed mandata, ſed conſulta diſcipulis ſuis dediſſe, & reliquiſſe; ut ob id apud poſteros teſtatum relinqueret, quid ipſe doctor, & magiſter omniũ hac de re non obſcure ſentiret, nempe, quod potius conſultis, mandatis, inſtitutis, præceptis atq. exemplis, quam literarum monumentis, quã ſcriptionibus, quam chartulis, quam macrocollis, quam membranulis ſtandum erat. Sciebat item traditiones & pias religionis conſuetudines corrumpi, & adulterari non poſſe, quia religioſe, ſancte, & accurate ſeruantur, ſuntque quotidie in uſu, & in oculis omnium. Sacras autem tabulas, & ipſos quamuis diuinæ authoritatis codices, nõ modo multis & uariis cauſis adulterari, & corrũpi, uerum etiam eorum uerba atq. ſententias per ſe licet integras & incorruptas deprauari tandem aliquando, ac pro hominum ingeniis, & inſtitutis in utramque partem deflecti, & contorqueri poſſe. Id quod ſuo quoque tempore accidiſſe beatus Petrus commemorat dicẽs, Indoctos quoſdã, & inſtabiles deprauare epiſtolas Pauli, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionẽ. Sciebat itidẽ, neq. omnia quæ a Chriſto tradita ſunt, mandata eſſe literis, immo uero nec potuiſſe mãdari, utpote, quæ ſi ſcripta, ut ait Iohãnes, fuiſſent, uniuerſa, nec totus mũdus eorũ uolumina capere ualeret. Sciebat inſuper Chriſtũ diſcipulis ſuis dixiſſe: Adhuc habeo multa uobis dicere, ſed nõ po-

2. Epiſt. in fine.

Iohan in fine ſui Euangelij.

Iohan. 16.

teſtis

teſtis portare modo: cum autem uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem; non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcunq. audiet, loquetur; & quæ uentura ſunt, annunciabit uobis. Sciebat præterea uetuſtatem ſemper uenerandam eſſe, & ſuo loco religioſe ſeruandam: nouitates autem omnes, profanas præſertim, deuitandas & deteſtandas eſſe, ut illæ quæ perſæpe errorem afferrant, ac millies referri & innouari poſſint. Sciebat denique Eccleſiam Dei, cuius præcipuum munus erat reddere de rebus diuinis reſpõſa poſteris, eſſe columnam & firmamentum ueritatis. ſemper enim cæleſti Numine ducitur, & ſemper fuit ſine errore, ſemperque habebit ſpiritum Dei rectorem, ducem, magiſtrum, moderatorem & aſſeſſorem indiuiduum omnibus diebus uſque ad mundi ſenium & conſumptionem. Quamuis igitur, ut recte inquit doctiſsimus Origenes, nouarum ſententiarũ adſtipulatores canonicas proferant ſcripturas (aliunde enim Hæretici, ut ait Tertullianus, ſuadere non poſſent de rebus fidei, niſi ex ſcripturis fidei) nequaquam tamen illis fidem habere, nequaquam a paterna & eccleſiaſtica traditione exire, nequaquam aliter umquam credere debemus, niſi quemadmodum per ſucceſsionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis. Hæc ille. Et quidem haud ab re, tum ne cum ipſis nouitatibus inexpiabiles religiones in chriſtianã Rempu-

Origen. Homil. 29. in Matth.

Tertullianus de præſcriptionibus Hæreticorum.

Rempublicam inducerentur: tum etiam ne a paterna inſtitutione, & a diuinis legibus aliquo modo poſteritas declinaret: tum demum, ne (ut ad Antiochiæ Eccleſiam ſcribens idem magnus Baſilius teſtatur) chriſtiana pietas, & uerus Dei cultus ſubiectus aliqua ex parte eſſet cogitatis inuentionibus, & commẽtis hominũ. Verba eius hæc ſunt: fidẽ uero nos neq. ab alijs ſcriptã nobis recentiorem ſuſcepimus, neq. ipſi mentis noſtræ germina tradere audemus, ne humana commenta exiſtimẽtur uerba religionis: ſed quæ a ſanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annuntiamus. Hæc Baſilius. In quam ſententiam eunt omnes quotquot a Chriſti ortu ad hoc uſque ſæculũ ſanctiſsimi Patres de dogmatibus religionis ſcripſerunt. In primis autem, ut reliquos omittam, diuus Hieronymus aduerſus Luciferianos: In illa, inquit, Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata uſque in hanc diem durat: nec ſibi blandiãtur hæretici, ſi de ſcripturarum capitibus uidentur ſibi id confirmare quod dicunt, cum & Diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant. Hactenus Hieronymus. Igitur, ut indiuiduus diui Petri comes, & poſtea in Põtificatu ſucceſſor Clemens ad Hieroſolymitanos ſcribẽs ait, Non ſecundum ingenium hominum, neq. ſecundum eum ſenſum, quem ſibi unuſquiſque ſponte præſum-

D. Baſilius ad Antiochenos.

D. Hieron. aduerſus Luciferianos.

D. Hilarius ad Conſtantiũ Auguſtum.

D. Clemens ad Hieroſolymitanos.

præſumpſit; ſed ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum oportet, qui eam a maioribus ſecundũ ueritatem ſibi traditam ſeruat, ut & ipſe poſsit ea quæ recte ſuſcepit, competenter aſſerere. Quamobrem, Patres, hæc ſit uobis quaſi unica cynoſura in his tam magnis & tetris tempeſtatibus, quibus hoc tempore chriſtianæ religionis nauicula tantopere agitatur, uidelicet, ad illorum fidem & religionem confugere, illorum inſtituta, leges, iura, mores, præſcripta, & ſanctiones cognoſcere, qui non tantũ nos in fide, & in uera religione genuerunt, uerum etiam ob eorum ſingularem innocentiam uitæ & ſanctitatem, in cæleſtium concilium ſunt relati. Ex quibus enim de fatidicorum & uatum noſtrorũ effatis incognitis quærere ualemus certiorem & ueriorem interpretationem, ex quibus diuina oracula melius petere debemus, ex quibus de controuerſiis religionis ſententiã poſſumus tutius ſuſcitari, quam ex eis, quorũ mentes ſpiritum ueritatis concitaſſe perſuaſi ſumus, quam ex eis, quos inſtinctu afflatuque diuino effatos eſſe certo ſcimus, quam ex eis, quorum in tutela atque præſidio tot ſæculis tam longo ætatũ ſpatio ſummus ille princeps & moderator omnium Deus chriſtianam Rempublicã eſſe uoluit? & maxime cum huiuſmodi ſanctiſsima diſciplina & conſuetudo ſemper fuerit in Eccleſia Dei. Si quãdo enim in ſimilibus publicis Concilijs ali-

quod quodpiam de religione etiam inter doctiſſimos dubium controuerſumque erat, nequaquã tamen denuo præſcribebatur quicquam, citatis etiam ab utraque parte diuinis teſtimoniis, priuſquam decreta Patrum, & Heroum noſtrorũ ſcripta recitarentur. Eas enim potiſsimũ religiones, eas potiſsimum de diuinis oraculis ſententias & interpretationes tenendas ac tuendas eſſe ſanctiſſimi illi Patres arbitrabantur, quæ eſſent in more, inſtitutoque maiorum. Id quod in omnibus oecumenicis & publicis Chriſtianorum hominũ Conciliis ſemper ita habitum & obſeruatum fuiſſe ſatis perſpicuum eſt: ut unuſquiſque præcipue uidere poterit in Concilio Florentino ſub Eugenio IIII. & in Concilio Epheſino contra Neſtorium milleſimo ante anno: quam maxime autem in ſynodo habita paulo poſt Conciliũ Conſtantinopolitanum I. aduerſus Macedonium eiuſdem urbis epiſcopum, regnante Cæſare Theodoſio ſeniore. Is ſiquidem religioſiſsimus, & prudentiſsimus Imperator, authore & adiutore Siſinio atque Nectareo, non alio armorum genere, quam præiudicatis Patrum ſententiis, in illo omnis generis hæreticorum Conuentu authores nouarum ſententiarum & perturbatores Reipublicæ deuicit. Dum enim unuſquiſque magna cum pertinacia in ſuã ſententia perſiſteret; totuſque chriſtianus orbis Arrianis, Eunomianis, & Macedonianis illis fa-

Socrates in eccl. hiſt. lib.5.c.10. & hiſt. tripart. lib.9.cap.19.

ctionibus

ctionibus confunderetur, conuocans Imperator unum in locum nouarum ſectarum principes, petiuit ab eis, num apud ipſos in pretio & ueneratione eſſent ſacrorum Antiſtites, & magiſtri illi, qui omnibus ætatibus, & apud omnes orthodoxos, hoc eſt, optimæ, ſpectantiſsimæque fidei Patres, in chriſtiana Republica ſummæ authoritatis fuerunt? Quod cum iure inficiari non poſſent, neceſſum fuit, ut idē toto capite annuerent, illosq. ut præceptores, & patres uenerari & ſuſpicere dixerunt. Num igitur, ſubiunxit Imperator, eoſdē ipſos uiros ſanctiſsimos, fideque dignißimos controuerſiarum ueſtrarum teſtes, iudicesve repudiabitis? Citentur igitur in ſingulis dogmatibus, de quibus inter uos controuerſia eſt, illorum teſtimonia. Quæ res cum a ſectarijs illis non æquis animis acciperetur, utpote quæ & eorum inſtituto prorſus aduerſabatur, & eorum cauſæ omnino contraria erat, animaduertit Imperator, illos nō ueritatis & pietatis ſtudioſos, ſed diſcordiarum & nouarum rerum appetentes & cupidos eſſe. Quāobrem reiectis, atque exploſis illorum perditiſsimis commentis publice nouorum dogmatū ſcripta diſcerpſit, atq. vt de dubiis fidei quæſtionibus ex maiorum præiudicatis ſententijs decreta ederentur, mandauit. Vtinam, Patres, hæc omnia placide, & ſine animi perturbatione ueteris diſciplinæ euerſores meditarentur. Fortaſsis enim nō ex

ſcriptione, quæ in literis eſt, ex quibus pro ingenijs & cupiditatibus hominũ, ac prout quiſq; ad aliquod magnum facinus obeundum, uel opinionibus uulgi, uel ſuapte coniectura & ſenſu rapitur, contrariæ & innumerabiles, ut quotidie uidemus, ſententiæ fingi & deduci poſſunt; ſed ex communi totius Eccleſiæ ſenſu atque conſenſu; in quo nec errare aliquo modo poſſumus, nec prolapſio aut flagitium ullum eſſe poteſt; ſed ex communi conſuetudine, ob quam ipſas etiam leges reſcindere aliquando, & abrogare licet; ſed ex communi re & ſalute, pro qua quiſque probe inſtitutus mortem etiam appetere debet; diuina Euangeliorum teſtimonia, & ſacras tabulas interpretarentur. Fortaſsis ad priſcæ religionis, & totius fere ciuilis uitæ euerſionẽ expreſſum neſcio quod Dei mandatum atque uerbum tam crebro & importune hominum auribus non obtruderẽt. Fortaſsis cunctam rem chriſtianam, & uniuerſam religionem tanta cum obſtinatione, ſtudioq. uincendi non perturbarent. Fortaſsis tam horrificũ & nefarium bellum more gigantum, ut diximus, cum Deo, & cum reliquis Cælitibus nõ ſuſcepiſſent. Fortaſsis denique tanta ueneratione & obſeruantia Patrum maiorumq. ſuorum memoriam & monumenta uenerarẽtur & colerent, ut in adminiſtranda Republica, & in exponendis ſacris uoluminibus, non modo ijſdem ſententijs (ut pu-

blico

blico Patrum decreto in Concilio Conſtantino-politano ſexto, ſeſsione undecima cautum eſt) ſed iiſdem etiam uocibus, quibus ſanctiſsimi illi uiri uſi ſunt, & ipſi quoque pro communi Chri-ſtianorum ſocietate & pace, ut conſtantibus ho-minibus, boniſq. omnibus par eſt, uterentur.

Pars poſtrema de pace & concordia Eccleſiæ.

Sed transferamus ſermonē alio, breuique eno-demus poſtremum illud caput, in quo poſt unam & alteram quæſtionem, quarum utraque proxi-mis ſuperioribus capitibus explicata eſt, poſtre-mo expetebam, ut mihi exponeretis, Patres, Quiſ-nam nobis perſuaſit, toto hoc tempore à ſolo pa-trio, à proprijs ſedibus, atque ouibus, ab rebus auitis ſponte ut extorres eſſetis? Quis nam mētes ueſtras excitauit, ut ex ſingulis Chriſtiani orbis prouincijs tam longis, ac minime tutis itineribus iſto in unum conueniretis? Quis tandem, ut eodē quo ſupra modo loquar, uos iſto miſit? Qua in re illud quidem ſatis omnibus euidens eſſe debet, iſto Vos non alio, quàm religionis ſtudio, quam pietatis ergo impulſos eſſe, ac ueniſſe. Non alio ut iſtum in locum tot exacta ætate uiri ultro ex proprijs laribus exterminati, tantis laboribus cō-gregaremini: non alio, inquam, mentes ueſtras excitatas eſſe, quàm ſalutari & uitali illo flamine, quam ſancto & conſolatore Dei ſpiritu, quā ſpi-ritu pietatis & ueritatis. Quod cū uere ita ſit, ali-ter namque eſſe non poteſt, quis enim umquam

tam perditis moribus, tantave petulantia & impietate erit, uir, qui de tantis Patribus ſecus opinari audeat, aut ſuſpicari præſumat? Cum igitur iſto Vos diuino moti atque afflati Numine conueniſtis. Vnumquemque ueſtrum ſigillatim, & una omnes rogo, oro, atque obteſtor, Per ſalutare & ſanctum Numen, quod recte ueſtro ampliſsimo coetui aſsiſtere, inque animos ueſtros illabi nemini dubium eſſe debet, Per omnes cælites, quorum in præſidio atque tutela locati ſumus, Per eũdem ipſum Chriſtum, qui pro noſtris ſummis flagitijs, & ſceleribus ſemetipſum Patri immolauit, cuius glorioſo, & præpotenti nomine ſignati ſumus, Per communem parentem Eccleſiam, quæ nos Deo in ſpiritu & ueritate generauit, cuius diuino lacte in fide creuimus, cuius uitali pharmaco, & ſalutari medicamẽto in ſpe perſiſtimus, cuius angelico pane, & cæleſti manna quotidie in charitate roboramur, Per ægram & labentem Rempublicam, cuius parietes undiq. uitium faciunt, cuius ædes undiq. corruunt, cuius fundamenta uſquequaque conuelluntur, Per ſacroſanctam & ſacerdotij, & imperij maieſtatẽ, quæ iam fere apud omnes ſumme imminuta eſt, & ad nihilum redacta, Per bona, & per fortunas ueſtras omnes, quas Barbaris, & prædonibus uſquequaq. expoſitas uidetis, Per ueſtram, & fratrum ueſtrorum poſteritatem, in quam tot mala, in quam tot pericula

impendent & imminent, Per ueterem Heroum noſtrorum ſanctitatem, quæ hoc tempore penitus obliuione poſteritatis extincta eſt, Per incorruptam illam morum diſciplinam, quæ apud omnes nunc lapſa & deprauata eſt, Per ſanctiſsimas illas Patrum noſtrorum ſanctiones, & conſuetudines, quarum uix nunc ueſtigia apparent, Per cærimonias, per ſacra, per myſteria omnia, quæ tãta impietate & ſcelere affluunt, tot corruptelis, & præuaricationibus redundant, Per germanam & ueram ſacrorum librorum intelligentiam, quam paſsim deprauatam, atque corruptam conſpicimus, Per innocentes illos, & ſanctos uiros, qui ex hac uita ad Dominum migrauerunt, quorum ſacræ & uenerandæ reliquiæ tam crudeliter & tam impie laceratæ & diſsipatæ iacent, quorum ſepulcra, imagines, monumenta tam indigne omni dedecore & ignominia affecta ſunt, Per religioſiſsima ſummi Dei, & reliquorum Cælitum ſana, atque delubra, quæ tot florentiſsimis in urbibus atque Regniis uulgo polluta, & uiolata, atque etiam direpta, & uaſtata cernuntur, Per ſacras uirgines, quæ inaudito nuptiarum genere, ſine ulla religione ex ſanctiſsimis aditis & penetralibus ad innuptas & uetitas nuptias, ad publica & prophana loca pertractæ ſunt, Per innocentes Deoque dicatos homines, quos paſsim deludi, atque trucidari ab impiis conteumur, Per eadem

ipſam

ipſam tum erga Deum, tū erga homines pietatē, de qua tantum apud omnes remiſſum atque imminutum eſt, Per Vos metipſos denique, quos ortodoxæ & catholicæ ueritatis, atque chriſtianæ libertatis & dignitatis cuſtodes, uindicéſque præcipuos præfecit Deus; per Vos metipſos, inquā, etiam atque etiam rogo, oro, atque obteſtor, Patres, quādo iſto & religionis ſtudium, & zelus domus Domini, & Reipublicæ charitas, & Dei ſpiritus Vos miſit, nolite amplius eundem ſanctum

Ephes.4. Dei ſpiritum, in quo ſignati eſtis, ut uerbis Pauli loquar, pertinacibus concertationibus contriſtare: nolite amplius eandem chriſtianam Rempublicam tantis diſsidijs perturbare ac perdere: nolite amplius eandem chriſtianam religionem tot contrarijs opinionibus, atque commentis confundere, & permiſcere: nolite tandem amplius ſummi doctoris Chriſti diſciplinam dedecorare, chriſtiana profeſsione abuti, contemnere & negligere præcepta Domini. En propter nos execrantur nomen Domini gentes, propter nos inimici crucis Chriſti de chriſtiana pietate male ſentiunt. Quid dico execrantur? quid dico male ſentiunt? Hoc enim parum eſſet, niſi etiam uniuerſum chriſtianum Imperium, uniuerſam chriſtianam Rempublicam, & religionem perturbarent, frangerent, diriperent, uaſtarent, exinanirent. Scitis enim omnes, quibus incommodis, difficultatibuſque

affecta

affecta ſit, quam acceperit calamitatem, quas denique ærumnas & olim paſſa ſit, & nunc quoque patiatur omnis chriſtiana Reſpublica: uſqueadeo, ut nec ipſa Italia, nec ipſa communis omnium patria, domicilium Imperij & dignitatis, fons religionis & ſacerdotij Roma ab hoſtili claſſe, a Barbarorum excurſionibus tuta ſit. Quare ſumma diligentia, & ſtudio curandum, & enitendum eſt, Patres, ne ſimul hoc religionis & Imperij reſiduum his noſtris tragoedijs peſſũdemus: peſſundabimus autem niſi propriis animi perturbationibus, affectionibus, doloribus longe retroque poſitis, niſi propriis commodis, & omnibus rebus humanis poſt habitis, non principibus, non hominibus, non odiis, non cupiditatibus, non ſimultatibus, non rebus nouis, non reſidentiis, uel, ut uerius loquar, non præſidentijs; ſed uni ueritati, uni religioni, uni Reipublicæ tranquillitati, uni Deo & Chriſto inſeruire coeperimus. Sat Eſau perſecutus eſt Iacob, ſat Saulus Eccleſiam, ſat fratres cũ fratribus ſimultates & inimicitias exercuerunt: eoque maxime, quod diſcordiarum, quæ inter fratres ſunt, exitus, non niſi funeſtus, & uictis, & uictoribus eſſe ſoleat. Sunt enim huiuſmodi ciuilia bella, teterrima & periculoſiſsima: quia dum nos domeſticis diſsidijs & armis perturbamus & debilitamus Rempublicam, quid aliud agimus, præterquam quod ad eandem Rempublicam oc-

cupandam communis hoſtis & opportunitatem, & facultatem arripiet? Qui enim, niſi noſtris diſcordijs tot quondam uictorias adepti ſunt, tot triumphos egerunt, tot poſuerunt trophæa in omnibus terris, de tot regnis & imperijs Turcæ chriſtiani nominis hoſtes? Idem hoc ipſum, & nunc quoque facturos eſſe quis dubitat? niſi depoſitis ſimultatibus, & armis fraternæ illius neceſsitudinis, & illius priſtinæ charitatis & beneuolentiæ memores, ipſi nos inter nos conciliauerimus: ita ut omnibus ſit cor unum, & labium unum, omnibus ſint eadem pacis ſtudia, eadem de chriſtianis inſtitutis perſuaſio & fides, eadem denique in omni re conſenſio. Hoc enim, nimirum, conſenſus in omnibus, quæ ad pietatem ſpectant, & in Republica bene gerenda conſociatio & conſpiratio, eſt profecto illud, quo præcipue nominatur, & ex quo maxime cōſtat omnis chriſtiana Reſpublica. Quid enim aliud, quæſo, hæc uox, id eſt, Eccleſia, ſonat, niſi diuinam quandam ciuitatem & cōcionem adhuc terreſtre hoc domicilium incolentem? niſi corpus quoddam myſticum, quod fidei uinculo longe arctiſsimo, capiti Chriſto annectitur; niſi demum ſanctam & religioſam quādam ſocietatem & uniuerſitatem hominum Chriſtum recta fide colentium? Quiſquis igitur hoc diuinum uinculum diſſoluit, hanc cæleſtem harmoniam & concentū non ſeruat, aut perturbat, hunc

ſanctum

ſanctum communionis,& conſociationis amictũ diſſuit, hanc nuptialem & inconſutilem Chriſti ueſtem mutat, aut diſcindit; & ſi penitus extra chriſtianum imperium non ſit, penitus tamen extra Eccleſiam Dei, penitus extra ueram religionẽ cenſendus eſt: quandoquidem cum quis ab Eccleſia, quæ eſt unica ſponſa Chriſti, defecerit, a Chriſto quoque eũdem defeciſſe (etiam ſi grauiſsimo & ſanctiſsimo quouis nomine chriſtianum hominem ſe eſſe dictauerit) exiſtimandum eſt. A Chriſto enim dictum accepimus: Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tãquam ethnicus & publicanus. item: Qui uos audit, me audit; & qui uos ſpernit, me ſpernit. præterea: In hoc cognoſcent homines quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Cum igitur Chriſti affectatores, his præſertim ſignis internoſcantur, nempe, eadem perſuaſione & fide in Deum, gratuita charitate in omnes, & pleno obſequio in eos qui Rẽpublicam gerunt: cui dubium eſt, eos qui ſeniorum imperia recuſant, qui maiorum obediẽtiam abiiciunt, qui diſcordias & ſeditiones in Rempublicam concitant, qui denique longe aliter de uniuerſa religione perſuaſi ſunt, quam omnibus bonis, & pijs perſuaſum eſt, neque eſſe, neque umquam fuiſſe ex Eccleſia Dei. Nam quamuis, ut ait Iohannes, ex nobis prodierint; attamen non erãt ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent

Matth. 18.

Luc. 10.

Iohan. 13.

Iohan. 1. epiſt. cap. 2.

utique nobiſcum. Quocirca hinc unuſquiſq. per ſe facile intelligere & dijudicare poterit, num noua, an uetus; num illa, in qua nunc eſt, an illa ex qua eſt egreſſus, ſit uera Eccleſia: num quæ olim a tot ſanctiſsimis Patribus rite ex maiorum decretis atq. præſcriptis tam longo ætatum ſpatio obſeruata & tradita ſunt, an quæ hoc tempore quidam iuniores in dies denuo ad ſuum arbitriũ atq. libidinem commentantur, ſint doctrinæ Euangelicæ uera inſtituta? Num qui paternas & diuinas leges impie negligunt, atque perfringunt, an qui eaſdem religioſe tutantur atque conſeruant, ſint præcipui orthodoxæ ueritatis & religionis cultores? Sed hæc forſitan alias pluribus. Summa igitur hæc ſit, Patres; Velum templi ſciſſum eſt, & non modo in duas, ſed etiam in plures partes; hoc eſt, Chriſtiana religio quammaximis perturbationibus, quaſi tempeſtatibus quatitur, quamplurimis & teterrimis factionibus laborat. Similiter chriſtiana Reſpublica undique ſeditionibus, atque tumultu afflicta, delumbata, fracta, debilitata, eneruata, quaſſata, diruta, ac prorſus fere proſtrata, atque euerſa eſt. Vtraque in his tã magnis miſerijs & calamitatibus ueſtram opem implorat, ad Vos confugit, a Vobis auxiliũ petit, ſupplex ueſtra Numina poſcit. Turpe eſt uobis, Patres, quin etiam ad muneris & officij ueſtri rationem & exiſtimationẽ, infame & flagitioſum,

hoc

hoc difficillimo tempore non conſulere religioni, non opem ferre Reipublicæ. Quid enim hac noſtra tempeſtate & ob domeſtica, & externa bella, eſt magis neceſſarium, quam eiuſdem Reipublicæ ſalus & tranquillitas? quam ut idem ſapiant atque ſentiant omnes, qui ſe Chriſto deuouerũt? Quid etiam eſt magis periculoſum, & magis impium, quam euangelij, id eſt, cæleſtis doctrinæ profeſſores, in iis quæ ad religionem, in iis quæ ad cærimonias, & ſacra pertinent, ſibi ipſis non conſtare, inter ſe grauiſsime diſſentire, inter ſe cõtrarios eſſe. Mementote atque animaduertite, Patres, quæ onera in Republica, quamue perſonam ſuſtineatis, nempe, Chriſti; cuius partes in regẽda Eccleſia ſancta Dei ſuſcepiſtis, cuius præclarũ & diuinũ munus in terris profitemini, cuius uim & numen (ita tamen, ut cuncta ad unum, qui in Regno Chriſti uicaria poteſtate præſidet, referantur) apud homines tenetis. Cauete igitur ne illius nauicula ueſtra culpa tempeſtatibus ſuccũbat, operiatur fluctibus, naufragium faciat. Caucte ne illius ſanctum ouile amplius expoſitũ ſit direptionibus, diſsipetur; ne uinea illius dilecta proteratur, & conculcetur amplius, labruſcas proferat. Cauete tandem ne lampades ſanctuarij, ne lucernæ domus Domini amplius caliginoſæ ſint, amplius ſint ſub modio, abditæ in tenebris. Hæc autem omnia incõmoda & difficultates facile

cile declinabitis, & effugietis, Patres, ſi diuinum ſubſidium, quod, ut diximus, cunctis, qui illud pie inuocant, deeſt fere numquam, omnibus, & perpetuis uotis, & ſine intermiſsione imploraueritis. Si meminieritis præterea templum Domini, non niſi per Vos, tãquam per alteros Eſdras reſarciri & reſtitui poſſe, ſi præſentem & Reipublicæ, & religionis ſtatum (uterque enim magna ex parte deprauatus & deformatus eſt) ad ſuum principium, in priſtinam dignitatem, ſaltem quoad fieri poterit, proque ueſtris opibus reuocare & reſtituere conabimini. Si unuſquiſque ueſtrum in animum ſuum induxerit, ſibique perſuaſerit, locum iſtum eſſe commune gymnaſium omnium, etiam doctiſsimorum, etiam ſapientiſsimorum hominum. Et idcirco probe cunctis cognitum eſſe debet, hic non licere cuiquam (niſi uicariam diuini Numinis perſonam geſſerit) ſeorſum ab aliis docere, uoluntariam diſciplinam perinde ut neceſſariam tradere, unus omnibus præcepta dare: aut (quod leuium & ſeditioſorum hominum peculiare eſſe ſolet) ambitioſas & inanes ingenij uires oſtentare; aut nimium pertinaciter in ſua ſententia obfirmatum eſſe. Sed potius magna cum moderatione & grauitate dubitare tãtummodo, audire & addiſcere: illudq. fixum & in perpetuũ ratum habere, quod communis parens, quod omnium magiſtra & dux (quæ nullo modo errare

poteſt

poteſt Eccleſia) affirmauerit, pronunciauerit, obſeruauerit. Atque ex beati Leonis ſententia, reijcienda eſt penitus audacia diſputandi contra fidẽ diuinitus inſpiratam, & uana errantium infidelitas conquieſcere debet; cum non liceat defendi, quod non licet credi. Nimis enim iniquum eſt, ut per paucorum inſipientiam, ad coniecturas opinionum, & ad bella, repetita diſceptatione, reuocentur, quæ ex antiqua traditione, communi omnium Patrum conſenſu ſancita ſunt. Omnia denique fauſte, feliciter, proſpere, & ex ſententia ſuccedent: omnia Vobis ſecunda euentura ſunt, Patres optimi, ſi ſæpe in memoriam ueſtram reuocaueritis, ſi uere poſueritis ante oculos ueſtros illa tria, quæ in principio uobis explicanda propoſuimus, ac de quibus tota hac cohortatione locuti ſumus, nimirum:

Leo ad ſynodum Chalcedonẽſem, & ad Martianũ Auguſtum.

Qui nam eſtis uos.

Quamobrem iſto conueniſtis.

Quis uos miſit.

Quod, ut ita fiat, ſupplici prece, & omnibus uotis ſummum Numen, & omnes Cælites perpetuo precabimur.

FINIS.

1.006.449

INDEX LOCVPLETISSIMVS EORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

ABIRON, Chore & Datan cur repentino terra hiatu hauſti. pagina 168
Abradi capita Sacerdotum ex traditione eſt. 19
Abrogatio legis eadem poteſtate fieri poteſt qua promulgatio. 148
Ada Paſtoris hæreſis de duabus perſonis in Chriſto, Neſtoriana. 34
Agrippini, Cypriani & Cõcilij Aphricani opinio De rebaptizatione. 161
Alexander III. Federicum Ahenobarbũ qua lege ad Imperium reuocari permiſerit. 123
Alexandri Magni exemplum de ueneratione Sacerdotum. 190
D. Ambroſius cur Theodoſium Magnum ab Eccleſia expulerit. 112
Anabaptiſtarũ hæreſis de Chriſti regno, prius à Papia, Cherintho & Chiliaſtis inuẽta. 35
Anabaptiſtarum hæreſis de inflexibili iuſtorũ innocentia, Iouinianus author. 41
Anabaptiſtica ſecta ſex à Luthero prodiere. 85
Anabaptiſta totum diuinæ ſcripturæ corpus repudiant. 85
Anaſtaſius I. impio Eutychis placito fauit. 7
De cœlo tactus ictu fulminis concidit. 8
Andabatæ in hoſtes clauſis oculis irruebant. pagina 141
Angeli in Eccleſia gymnaſio profecerunt, & multa ex Apoſtolorum prædicatione didicerunt. 152
Angeli per Eccleſiam erudiuntur. 153
Angelos quidam Theologorum corporeos; quidam incorporeos aſtruxere. 159
Angerona ſilentij Dea apud Romanos. 173
Antidotus Catholicorum præcipua aduerſus omnem impietatem, nouitatis deteſtatio. 10
Antiquitas proxime ad Deum accedit. 21
Antiquitatis colentes religionem tuentur. 21
Antiqua Chriſtianæ Religionis ſimplicitas nõ paruipendenda. 83
Aphrica, nouitatis, Eccleſia uetuſtatis amica. 71
Apollinaris multas hæreſes multis uoluminibus oppreſsit. 82
Apollinaris cur ab Eccleſia reiectus. 82
Apoſtoli ſermonis miniſtri. 21
Apoſtoli aliqua ſacris ſcripturis, aliqua traditione nobis commendauerunt. 21
Apoſtolis quando Chriſtus ſub utraque ſpecie corpus & ſanguinem ſuum dederit. 64
Apoſtolis duobus euntibus in Emaus cur Chriſtus tantum ſub una ſpecie corpus & ſanguinem ſuum tradiderit. 64
Apoſtoli cur in primitiua Eccleſia non ſtatim Sanctorum uenerationem gentibus inculcauerunt. 68
Apoſtoli pauca ſcripſere, ſed multa ex ore in os uiuenti Eccleſiæ tradiderunt. 117
Apoſtolicæ Sedis diuina uis. 117
Apoſtoli in quibus à Chriſti decreto declinaſſe uiſi ſint. 142.143
Apoſtolica edicta, Chriſti eſſe cenſentur. 145
Apoſtoli non omnia ſemel, nec omnibus, nec paſsim tradebant. 150
Apoſtoli quo nam modo magiſterium ſuum attemperabant. 153
Apoſtolica authoritate cur ſancitum ſit diem Dominicum pro ſabbatho ſanctificari. 155
Apoſtoli, multa decreuerunt, quæ poſtea Ec-

cleſiaſtica conſuetudo abrogauit. 156
Apoſtolici ritus poſſunt immutari ab Eccleſia, fides uero Apoſtolorum non itidem. 157
Apoſtoli ignorarunt ab initio Chriſtum etiam gentibus miſſum eſſe. 161
Aqua benedicta uſus in Eccleſia antiquiſſimus. 68
Arcana Dei per catholicam Eccleſiã fidelibus aperiuntur. 51
Arcana Dei ſcire, cur nobis impoſsibile. 52
Arcana Dei nos nec perſcrutari, nec ob eorum ignorationem indignari debemus. 52
Arrij nefarius conatus contra Chriſti diuinitatem, illam nobis magis explicauit. 48
Arrius, filij, Macedonius, Spiritus ſancti conſubſtantialitatem impugnauit. 61
Arriani catholicos per deriſum Homouſianos & Coeſſentialiſtas appellabant. 100
Arrius cur non Catholicus. 134
Athanaſius & Paulus confugientes ad Iuliũ Papam, reſtituti ſunt. 231
Athenienſes, non Catholici, rebus nouis ſtuduerunt. 71
Athenienſes & Romani libros eorum Religioni contrarios exurendos curauerũt. 104
Atiyla Regis exemplum de ſacerdotij præſtantia & ueneratione. 190
D. Auguſtinus Donatiſtas refellit. 20. 60
Auguſtini uerba de hæreticorum pœna. 97
D. Auguſtinus Canonicus Regularis. 240
Authoritas Hilarij hæreticorum perfidiã oſtendens. 10
Authoritas Tertulliani de hæreticorum nouitate. 10
Authoritates complures diuinæ ſcripturæ de ui paternarum traditionum. 12
Authoritatis Deuter. 32. & 17. Interroga patres tuos &c. explicatio. 12
Authoritates Deut. 12. & 13. & D. Pauli ad reijciendam nouitatem. 13
Authoritatis Ioſue 2. & 6. pro unitate Eccleſiæ expoſitio. 14
Authoritates plurimorum Sanctorum de traditione ſeruanda. 21. 22
Authoritas Bernardi ne ſeniorum ſtatuta ſtudioſius diſcutiamus. 53
Authoritas Ieremiæ 6. de obſeruatione antiquarum ſemitarum, eiuſq. interpretatio. 54
Authoritates D. Baſilij & Vincentij Lirinenſis de cogendis publicis Conuentibus. 60. 61
Authoritates D. Clementis D. Petri diſcipuli, & Euſebij de depoſito Apoſtolico ſacramentalis confeſsionis. 63
Authoritates Irenæi & Diony. Areop. de realitate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 64
Authoritas D. Pauli de obſeruandis eccleſiaſticis conſtitutionibus. 70
Authoritas Leonis de obſeruatione conſuetudinis Eccleſiæ. 70
Authoritas Auguſtini contra dubitantes, num facienda ſint quæ tota per orbem frequentat Eccleſia. 70
Authoritas Baſilij de interpretatione ſcripturæ. 72
Authoritas Vincentij Lirinenſis pro uera ſacrarum ſcripturarum intelligentia. 74. 75
Authoritates Patrum & Conciliorum de traditione ſeruanda. 78. 79
Authoritates Patrum cum hæreticis non eſſe diſputandum. 93. 95
Authoritatis D. Pauli. 1. Tim. 6. O Timothee depoſitum cuſtodi, interpretatio ex Vinc. Lirin. 113. 114
Authoritas Platonis de fide Deo genitis habenda. 114
Authoritates D. Hieronymi & Tertulliani, cur bis Hieroſolymam Paulus aſcenderit. pagina 132
Authoritates tres pro Eccleſiaſtica poteſtate. 148
Authoritatis Pauli, Lex non eſt poſita iuſto, interpretatio. 149
Authoritas Auguſtini, quod in rebus dubijs ad Eccleſiam eſt recurrendum. 165
Authoritates complures ſcripturarum ad corroborandam ſacerdotalem præſtantiam & poteſtatem. 202. 203. 204. 205
Authoritas Maiorum Diuinitatis quodammodo particeps. 105
Authoritates plures catholicorum Patrum aduerſus traditiones unica reſponſione ſoluuntur. 107. 108
Authoritas Pontificum Romanorum in Chriſtianos Principes. 122. 123
Authoritas ſcripturæ, iudicio eccleſiaſtico firmata prorſus irrefragabilis. 166
Authores falſi dogmatis aliquando Catholici eſſe poſſunt, & eorũ ſectatores hæretici. 162
Authoris Bibliothecæ ſanctæ uerba. 94. 95

Author libri pollicetur ſe non inutilem operã Reip. Chriſt. collaturum. 44
Authoris inſtitutum in uſurpandis Doctorum catholicorum uerbis. 83
Authoris hortatio ad Carolum Regem in hæreticos. 000.127.128
Author inuehit in Chriſtianos Principes. 236
Author Chriſtianos Principes hortatur ad ineundam conſociationem aduerſus communes hoſtes. 238.
Author uaticinatur omnia proſpera Chriſtianiſsimo Regi, ſi in tutela religionis perſtiterit. pagina 241
Author hortatur Regem contra Turcas. 242.
Author reddit rationem cur libros inſtitutorios Chriſtianiſsimo Regi ſcripſerit. 243
Authoris Epiſtola ad Herculem Gonzagam Cardinalem Legatum in Concilio Tridentino. 247
Authoris Oratio ad Patres in Concilio Trid. De optimo Reip. ſtatu. 253
Azaria Rex cur à Deo lepra percuſſus. 171

B

BAptiſmatis aquam, & oleum unctionis, benedicenda eſſe, traditio eſt. 19.63
Baptiſma paruulorum ab Apoſtolis Eccleſia accepit. 62
Baptiſmus eſt talis qualis ille in cuius poteſtate, non qualis ille per cuius miniſterium datur. 115
Baptizandi cur trina merſione abluebantur, & cur trina merſio fuerit abrogata. 154
Baſilidis & Manichæorum error cauſæ fuit ut Mariam ueram Dei matrem fuiſſe clarius innoteſceret. 48
Baſilius Eunomium confutat. 60
Baſilij diuinum reſponſum, ad Præfectum Cæſaris de non uiolanda, ne in minimo quidẽ, religione. 90
Bellum, quamuis acerbum, pro Religione tuẽda, qui timere non debeant. 6
Bernardus Petrum Habaillardũ confutat. 60
Biblia ſacra à D. Hieronymo in linguam Dalmaticam tranſlata. 69
Brenzius cum Lutheri ſchola de abrenunciatione præmittenda diſcordat. 25
Brenzij, Lutheri & confeſsionis Vuirtombergenſis hæreſis impugnans Virginitatẽ, prius à Baſilide, Eluidio & Iouiniano aſſerta. 40
Buceri & Caluini hæreſis de confirmatione, Nouatianorum inuentum. 38

C

CAelibatus Apoſtolicum depoſitum. 65
Cærimonias & ritus Eccleſiaſticos ante Concilia obſeruatos. 71
Cæſaris uerba de Gallorum Druidibus. 192.
Caluinus & Bucerus à Luthero de remiſsione peccati in baptiſmo diſſentiunt. 25
Caluinus, Zuinglius & Oecolampadius Luthero contrarij de Euchariſtiæ ſacramento. pagina 27
Caluinus & Philippus Luthero contrarij de orationibus pro mortuis. 31
Caluini & Lutheri poſitio, omne peccatum eſſe mortale, à quibus prius aſſerta. 37
Caluini hæreſis non eſſe neceſſarium aquæ baptiſmum, quorum olim fuerit. 38
Caluini & Lutheri hæreſis, ſanctum chriſma ut conculcetur, Donatiſtarum & Valdenſium error. 38
Caluini Zuinglij & Lutheri commentum cõtra ſacras imagines fuit Felicianorum. 40
Caluini & Lutheri hæreſis, uera miracula nõ fieri in Eccleſia, Valdenſes authores habuit. pagina 40
Canis Aeſopicus. 45
Caniſius de præceptis Eccleſiæ. 207
Canones pænitentiarij, quo tempore & uigere, & languere cœperint. 66
Canonicorum Regularium præcipuum inſtitutum erga Chriſtianam Rempub. 240
Carolus Magnus Saxones à uera religione abhorrentes perdomuit. 14
Caroli Magni pietas. 196
Caroloſtadius & Lutherus Brenzio & Vuirtembergen. confeſsioni contrarij de adoratione Euchariſtiæ. 28
Catholici & pij omnes quomodo doctores recipiant. 15
Catholicorum mores & inſtituta. 88
Catholicorum pietas & charitas. 89
Catholici ſequũtur communem Sanctorum ſenſum ſicut Theſei filum. 89
Catholici uſque ad ſanguinem pro paternis traditionibus pugnauerunt. 90
Catholicis quando & qua ratione cum hæreti-

cis diſputandum. 92
Catholicorum cum hæreticis congreſſus quandoque improbatur. 93
Catholicis quid proprium. 114
Catholicum eſſe quid ſit. 133
Catholicus non minus eſt qui Eccleſiæ caput, quàm qui Eccleſiam agnoſcit. 136
Catholici in dubijs fidei quæſtionibus quid egerint ſemper. 165
Catholicus aliter quàm traditum eſt enunciare poteſt, ſed non aliud, neque præter, & ultra. 166
Cauſæ quibus motus fuerit Author ad ſcribendum. 1
Character cur indelebile, & de hoc exemplum. pagina. 125
Charitate legitimi ab adulterinis diſcipuli Domini internoſcuntur. 157
Cherinthi iactantia & error. 81
Childebertus Rex Francorum Arrianos è ſuis finibus exterminauit. 4
Chriſti inconſutilem tunicam ſcindentes, ultrices Dei manus effugere non poſſunt. 9
Chriſtus homines ſua gratia & ſuorum ſacramentorum miniſtros conſtituit. 17
Chriſtus cum in nauicula Eccleſiæ pio ſomno magis dormire uidetur, tunc maxime cor eius uigilat. 49
Chriſtus per ſuos ſacerdotes exercet ſacerdotiũ ſecundum ordinẽ Melchiſedec. 66
Chriſtus in primis prædicari Diuinum uerbũ præcepit. 105
Chriſtianæ Religionis uera doctrina ubi. 110
Chriſtus cur proprio flagello peccantes ſacerdotes e templo eiecerit. 124
In Chriſtiana Rep. omnes ſacerdotes eſſe non conuenit. 174
Chriſtiana Reſpublica cur in tot partes diſſecta. 183
Chriſtus, cum eſſet Dei filius, hominis filius fieri dignatus eſt, ut hominum filijs, Dei filios eſſe liceret. 214
Chriſtus duo didrachma ſoluit, cum ſtaterem numerauit; unum pro ſe, pro Petro alterum. 215
Chriſtus petra natiua, Petrus petra à primo ædificatore in fundamento Eccleſiæ poſita. paginæ 215
Chriſtus cur à nullo alio maiorem amorem exegerit quàm à Petro. 216
Chriſti ſpiritum multi habẽt, quo alios ſanctos reddant, licet non habeant quo ipſi ſancti ſint. 225
Circumciſio & ſabbathum cur in lege euangelica abrogatum. 147. 155
Claues, perſonæ, non charitati datæ & promiſſæ fuerunt. 121
Clodoneus Gallorum Rex in Gallia Chriſtianæ Religionis fundamenta iecit. 4
Commentum humanum & merum mendaciũ eſt, quod diuino iuri repugnat. 166
Communio unius ſpeciei non minus approbatur Iohannis 6. quàm utriuſque. 64
Communio ſub utraque ſpecie cur laicis uetita. 134. 145
Communionis uarius uſus in Eccleſia. 145
Concilium Florentinũ ſub Eugenio IIII. 20
Concilia quamplurima cur celebrata. 49
Conciliorum complurium enumeratio, & ſub quibus, ac contra quas hæreſes celebrata fuerunt. 55. uſq. 60
Romanum contra Nouatianos. 55
Antiochenum contra Paulum Samoſatenũ. pagina 56
Nicænum contra Arrianos. 56
Gangrenſe contra Euſtachium. 56
Cõſtantinopolitanum primum contra Macedonium. 57
Aquileienſe contra Palladium & Secundianum. 57
Telenſe contra Iouinianum. 57
Mileuitanum contra Pelagium. 57
Epheſinum contra Neſtorium. 58
Chalcedonenſe contra Eutychium & Dioſcorum. 58
Cõſtantinopolitanum quintum contra Petrũ Antiochenum Archiepiſcopum. 58
Toletanũ aduerſus reliquias Arrianorũ. 58
Bracarenſe primum contra Priſcillianũ. 59
Conſtantinopolitanum tertium, uel reſpectu quinque uniuerſalium præcedentium, ſextũ contra Macharium & Polychronium. 59
Nicænum ſecundum contra Iconomos. 60
Concilia ſuis decretis & Catholici ſuis ſcriptis quid ediderunt. 60
Conciliorum uniuerſalium, nempe Rothomagẽſis, Moguntini & Lateranẽſis de ſoluẽdis decimis decreta. 62
Concilij Toletani uerba de hymnis canendis. pagina 68

Concilium

Concilium Ariminenſe in Arrij partes deſciuit. 73
Concilij Conſtantinopolitani edictum, De non innouandis Chriſtianæ fidei & paternarum traditionum uocibus. 73
In Concilio Epheſino quid cautum ſit, ut antiquus Patrum conſenſus obſeruaretur. 75
Concilium Tridentinum prohibuit uoluntarias ſacrarum literarum interpretationes. 76
Concilium Epheſinum primum, Neſtorium contrarium, beatũ uero Cyrillum antiquitati conſentaneum iudicauit. 78
Concilium Carthaginenſe, in quo reiectum ab Eccleſia. 83
Concilia, ſi qua errauerunt, ob omiſſas paternas traditiones erraſſe. 89
Concilia priora aliquando poſterioribus emendantur. 91.158
Concilij Carthaginenſis decretum de hæreticorum ſcriptis. 104
Concilij Nicæni uerba in hæreticos. 104
In Concilio Chalcedonenſi nullo pacto permiſſum eſt in decreta Nicænæ Synodi iterũ inquiri. 104
In Concilio Epheſino quid decretum aduerſus nouitatem. 114
Concilia particularia, quibus cedere conſentaneum ſit. 158
Concilia quantum detulerint ſemper ſummis ſacerdotibus, & Pontificibus. 207
Concilij decreta nihil roboris habere, niſi à ſummo Pontifice ſint approbata. 209.226
Concilium Chalcedonenſe quid de ſummo Pontifice ſenſerit. 226
Concilia, quando liceat celebrare præter authoritatem Pontificis. 228
De Concilijs uniuerſalibus nulla mentio in ſcripturis. 232
Concilia tempore ſchiſmatis celebrata, nulla ſunt, niſi Põtificis authoritate firmata ſint. pagina 232
Concilia ſine Pontificis authoritate collecta deijciuntur, & conciliabula ſunt. 232
Concilia omnia Romani Antiſtitis iudicio & cenſuræ ſubduntur. 235
Conciliorum neceſſitas & utilitas pluribus rationibus ab Authore demonſtratur in prima ſua Orationis parte ad Patres in Concilio Tridentino à pagina 253. *uſque.* 261
Confeſſionis auricularis & ſacramentalis neceſſitas. 63
Confeſſionẽ auricularem non ab hominibus, ſed à Deo ortum habuiſſe. 63
Confuſio ac diſſentio maxima inter eos, qui ab unitate catholica lucis diuiſi ſunt. 32
Confuſio, quando inter Patres ex uaria ſcripturarum interpretatione oritur, quid agendũ. pagina. 136
Coniugium Clericorum magna ratione ab Eccleſia abrogatum. 134
In conſilijs capiendis non perſonas, ſed ſententias ipſas diſcutiendas & ſpectãdas. 28
Conſtans Imperator uniuerſa Vrbis ornamenta diripiens, Martino I. ſceleratas manus iniecit. 7
In Siculis balneis à ſuis occiditur. 8
Conſtantinus V. duos Conſtantinopolitanos Antiſtites capite multauit. 8
Inſanabili elephantia conſumptus eſt. 9
Conſtantinus VI. ſacroſancta matrimonij ſacra uiolauit. 8
Ab Irene matre regno deiectus excæcatur. 9
Conſtantini Magni pietas & modeſtia. 197
Eiuſdem uerba in Concilio Nicæno. 197
Eiuſdem origo & laus. 198
Eiuſdem uerba aurea de tegẽdis Epiſcoporum erratis. 199
Controuerſiarum dirimendarum atque ſedandarum, quæ nunc in Eccleſia uigent, modus. 270 *& ſequen.*
Conuentus publici cur excogitati. 60.61
Cornelius Papa præter ſacerdotij honorem, martyrio coronatus. 14
Corruptela quomodo extirpandæ, & lapſa morum diſciplina quomodo in priſtinum ſtatũ reſtituenda. 261. *& ſequen.*
Crucis ſigno muniri Apoſtolica traditio. 19
Cyprianus in quo ab Eccleſia reiectus. 82

D

D*AVIDICAE funda & lapidis myſtica ſenſa.* 6
Dauid non in ſolo lapide, ſed in funda & lapide uicit. 7
Dauid cur Saulem tanta ueneratione proſecutus fuerit. 120
Decimæ iure diuino Sacerdotibus ſoluendæ. pagina. 62.186
Decimæ ante legem de Concilio dabantur. 62

Decima,

Decima, ſi de præcepto fuiſſent, Iacob Gen. 28. decimarum nota uouere non potuiſſet. 62
Decimæ & oblationes in ueteri lege habebãtur loco ſacramentorum. 62
Defunctorum commemorationem agendam ab Apoſtolis ſancitum. 66
Dementiæ extremæ eſt, quod neque communis conſuetudo, neque ſcripturarum uſus ſuſcepit, tentare audere. 72
Dementia extrema eſt in medio & perſpicuo die commentitium lumen quærere. 79
Deſiderius Longobardorum Rex in Hadrianũ Pont. inſultans, plurimas Eccleſiæ urbes occupauit. 7
Regno pulſus ſuæ perfidiæ & temeritatis memoriam poſteris reliquit. 8
Deus de magna tempeſtate in Eccleſia facit tranquillitatem magnam. 49
Dei gratia inſolentius non abutenda. 83
Deus eſt omnia in omnibus. 88
Deus miniſtros ſuos apud homines quanta in exiſtimatione eſſe uelit, exemplo demonſtrauit. 125
Deus etiam per indignos ſæpe magna & mirabilia operatur. 126
Dei implacabilis furor aduerſus irridentes miniſtrorum ſuorum lapſus. 126
Dei filius cur in medio Doctorum in templo audiens & interrogans illos inueniatur. 131
Deus cur paracletum miſerit. 151
A Deo omnia rite condita atque diſpoſita. pagina. 167
Dignitas & iuriſdictio non peccat, & ſi in ea reſidens homo peccare poſſit. 121
Diſciplina qualibet, quamuis uilis & facilis, præceptorẽ requirit. 23
Diſcrimen inter Chriſtum & Petrum ut capita Eccleſiæ. 215
Doctrina Apoſtolorum ubi ſit. 10
Doctor eſt ille cui conceditur. 16
Doctoris ueri, ueræque doctrinæ argumentũ. 24
Doctores ſancti ſinguli ſigillatim errare poſſunt, Eccleſia autem uniuerſa numquã errauit, aut errare poteſt. 135
Documentum, pulcherrimum de catholica fide inuiolatè ſeruanda. 133
Dogmata Euangelicæ ueritatis cui concredita. pagina. 23
Dogmata eadem nunc in Eccleſia, quæ tempore Apoſtolorum. 62
Dogmata, quæ nunc ab Eccleſia obſeruantur, ex Apoſtolico depoſito deprompta. 62
Dogma, quando catholicum, quando non catholicum. 134
Dogma Patrum noſtrorum quomodo amplectẽdum, uel reijciendum. 135
Dona ſua Deus non caſu, aut præpoſterè, ſed miro modo & ſumma ratione diſpenſat. 167
Donatus cur habitus hereticus. 162
Druidarum uis atque exiſtimatio apud Gallos. pagina. 191. 194
Druidarum exemplo, quos tantopere uenerabãtur Galli, quid colligatur. 193

E

ECCLESIA *Apoſtolica ubi non ſit.* 10
Eccleſia una eſt, quæ intus & foris eſſe nõ poteſt. 14
Eccleſiam qui habere non poſſit. 14
Eccleſia ex eodem agro colligit triticum & explodit zizania. 15
Eccleſiam Doctores minime ſua ſapiẽtia fundauerunt. 15
Eccleſia ſua authoritate Doctores inſtituit. 16
Eccleſia eſt Dei uiui columna & firmamentũ ueritatis. 16
Eccleſia quando Paulo non crederet. 16
Eccleſia a quo ſit. 16
Eccleſia uetuſtior ſcripturis. 16. 139
Eccleſiam contemnere quid ſit. 17
Eccleſiæ Apoſtolicæ munus, quale. 18
Eccleſia & eius caput in terris ſunt diuinæ uoluntatis interpretes. 18. 31
Eccleſiæ cauſæ maiores, cui deferendæ. 19
Eccleſiæ ritus complures ſola traditione ſeruari. 20
Eccleſia uerè Chriſti ſponſa. 21
Eccleſia à quibus dogmata omnia acceperit. 21
Eccleſia uera & adulterina diſcrimina. 45
Eccleſia uera eſt corpus Chriſti. 45
Eccleſia falſa cur ſit umbra. 45 46
Eccleſia cur ſemper immobilis & inuicta manebit. 47
Eccleſia impeti humanis præſumptionibus, poteſt non autem uinci. 47
Eccleſiæ labores ad immortalitatem iter patefaciunt. 47
Eccleſia Chriſti et ſanctorũ Martyrum ſanguine adoleuit. 47

Eccleſia

Eccleſia quo magis preſſa, eò magis illuſtrata. pagina. 47.48
Eccleſiæ catholica ac ſummorum Pontificum authoritas, quando magis emicuit. 48
Eccleſia orthodoxa de omnibus impijs uictoria ca triumphus. 49
Eccleſia ſemper in aduerſis profecit, creuit, propagata eſt, ac inimici eius defecerũt. 50
Eccleſia ſextuplici lumine illuminatur. 51
Eccleſiam quæ latent, cupiam alteri aperta eſſe non poſſunt. 51
Eccleſia Sabellij impietatem Sixti II. tempore reiecit. 55
Eccleſia dogmata à barbaro Mane diſſeminata reiecit. 55
Eccleſia quod prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, idem deinde poſteris per ſcripturam conſignauit. 61
Eccleſia non noua excogitat, ſed patefacit æterna. 61
Eccleſia noue, non noua; aliter, non aliud docet. 61
In Eccleſia primitiua qui nam deſtinabãtur pro confeſſione audienda. 63
Eccleſia in præcepto confeſſionis diſpenſare nõ poteſt. 63
In Eccleſia locorum, ueſtium, & naſorum ſacrorum uſus uetuſtiſſimus. 67
Eccleſiã tacere canente Synagoga turpe eſt. 67
Eccleſia nihil noui ingerit catholicorum auribus. 71
Eccleſia quæ in primis curet. 71
Eccleſia adulterari non poteſt, nec eſſet una, ſi monſtra progigneret. 73
Eccleſia eſt de uero ſenſu ſcripturarum iudicare. 76
Eccleſia ſemper uetuſtatem coluit. 76
Eccleſia Chriſti fundamenta per quinque generalium Conciliorum traditionem firmata. 78
Eccleſia quia ſanctorũ Patrum laboribus creuit, ideo profanas hæreticorum uoces expaueſcit. 81
Eccleſia nemini parcit in cuſtodiendo Apoſtolico depoſito. 82
Eccleſia nil permutat, nil minuit, nil addit, atque quid ſtudeat. 84
Eccleſia quot annis in ſuis primordijs ſola traditione ſine ſcripto uerbo euangelico floruerit. 105
Eccleſia authoritas nobis diuino oraculo in ſcripturis commendatur. 103
Eccleſia cur non teneatur omne quod definit, ſcriptura authoritate comprobare. 109
Eccleſia eſt ſupremum Chriſti tribunal in terris. 110
Eccleſia dum militat, non poteſt eſſe ſine ruga & macula. 116
Eccleſia unitas in quo conſiſtat. 116.141
Eccleſia Præfecti adiuuãdi ſunt precibus. 123
Eccleſia Catholicæ authoritas in uera ſcripturarum intelligentia. 130
Eccleſia communis ſpiritus quãti fecerit Paulus. 132
Eccleſia militans ſemper infeſtabitur. 137
Eccleſia Catholica & Apoſtolica cõſenſus omnibus ſcripturis & rationibus præponendus eſt. 137
Eccleſia & ſcriptura authoritas non aliunde niſi à Spiritu ſancto. 140
Eccleſia eſt unum cor, & unum pectus Chriſti. 140
Eccleſia licet quandoque à Chriſti uerbis defeciſſe uiſa ſit, nihil tamen contra Chriſti uoluntatem fecit. 143
Eccleſiã qui ſpernunt, contemptores Dei, & diuinæ maieſtatis rei ſunt. 148
Eccleſia catholica & Apoſtolica quid obſeruare conſueuit in adminiſtranda Rep. Chriſtiana. 150
Eccleſia in primis curat ut Dei uoluntas fiat. pagina 150
Eccleſia non omnia ſimul nota facit nobis, ſed quando oportet. 151.160
Per Eccleſiã multa explicanda poſteris, quæ modo ignota ſunt nobis. 152
Eccleſia ut nihil cum hæreticis commune habeat, etiam receptos ritus immutat. 153
Eccleſiæ ſententiam qui amplectitur, ſcripturam ſequitur. 154
Eccleſia cur ut in fermentato pane Euchariſtia conficeretur olim ſtatuerit. 154
Eccleſia cur Iudaicum Paſcha reiecerit. 155
Eccleſia cur Euchariſtiam ieiunis tantum (niſi uiatici caſu) dandam decreuerit. 155
Eccleſia cur quæ cum adhuc paruula eſſet, præcipiebat, poſtea cum adoleuit, eadem irrita fecerit. 157
Eccleſia Apoſtolica & orthodoxa ſi noua nomina confingere aut nouos ritus inſtituere, id

certe

certe ad ædificationẽ facere conſueuit. 157

Eccleſia multa adhuc non definiuit, quæ inquiſitioni fidelium libera dereliquit. 159

Eccleſia ex Iudæis primitiuà quodã tẽpore certum non fuit legem Moſaycam per Chriſtũ euacuatã fuiſſe. 161

Eccleſia cum loquitur, cur nec falli, nec fallere poteſt. 163

Eccleſiæ authoritas in multis tutior quam ſcriptura. 164

Eccleſia codicibus ſacris publicam authoritatem dedit. 164

Eccleſiæ demandatum eſt patrocinium ſcripturarum propter hæreticos. 165

Eccleſia nunquam mutauit inſtitutionẽ Chriſti, & Apoſtolorum traditionem in fidei canonibus, & ſacramentorum uſu. 166

Eccleſia ciuitati aſſimilatur. 176

Eccleſia melius ſe haberet, ſi ſacri, non laici Proceres ſacras præfecturas adminiſtrarẽt. pagina 182

Eccleſia Catholica Regnum Chriſti eſt. 184

Eccleſia Apoſtolica nõ Synodicis decretis, ſed diuino Dei uerbo cæteris Eccleſiis prælata. pagina 209

Eccleſia Romana Petri & Pauli martyrio diuina prouidentia conſecrata. 210

Eccleſia Romana mater ſacerdotalis dignitatis, & Eccleſiaſticæ rationis magiſtra. 210

Eccleſia Romana omnium eccleſiarum mater. pagina 210

Ab Eccleſia Romana celeberrima totius chriſtiani orbis Synodi edoctæ ſunt. 210

Eccleſiam Romanã & eius Pontifices minora concilia in arduis fidei quæſtionibus ſemper conſuluerunt. 210

Ad Eccleſiam Romanam omnes Epiſcopi tãquam ad ſuum caput confugerunt. 210

Ad Eccleſiam Romanam iuſſu Domini maiores cauſæ & quæſtiones referuntur. 211

In Eccleſiam Romanam tamquam in Solem omnes orbis fines, qui Chriſtũ confitentur, reſpiciunt. 211

Eccleſia Romana tanta eſt authoritatis, ut illi ſe hærere etiam hæretici finxerint, 211

Eccleſia Romanæ iudicio ſublati hæretici. 211

In Eccleſia Romana nullus in ordine ſucceſſionis Romanorum Pontificum à B. Petro uſq. ad GREGORIVM XIII. umquam aut hæreticus, aut ſchiſmaticus reuera fuit. pagina 211

Ad Eccleſiam Romanam neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam. 211

Eccleſia Romana merito tenet gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum. 212

Eccleſia Romana Apoſtolica uoce laudata, hæreticorũ præſtigias non recipit, & Pauli authoritate munita, non poteſt mutari. 212

Eccleſiæ Romanæ fides, eſt fides catholica: & quidquid præter fidem Romanam eſt, non eſt catholicum. 212

Eccleſiæ Romanæ fides uſq. adeo eſt catholica, ut de ea nullo pacto diſputari liceat. 212

Ad Eccleſiam Romanam etiam heretici in cauſis fidei referendum putauerũt. 212. 213

Eccleſiam Romanam à nemine iudicari. 213

Eccleſia Romana ſola ſemper inuicta permanſit, & enumeratio earũ quæ defecerunt. 213

In Eccleſia Hieroſolymitana præſedit Iacobus. ibidem

In Alexandrina Marcus. ibid.

In Achaia Andreas. ibid.

In Aſia Iohannes. ibid.

In India Thomas. ibid.

Perſis Iudas. ibid.

In Ethiopia Matthæus. ibid.

In Phrigia Philippus. ibid.

In Græcia Paulus. ibid.

Eccleſia Romana ſola fuit, ad quam unquã acceſſum habere potuit perfidia. 214

Eccleſia ſalus à ſummi ſacerdotis dignitate pendet. 222

Eccleſiæ authoritas in Apoſtolica Romana ſede relucet. 234

Eccleſiaſtica Hierarchia à Chriſto inſtituta, & illius ſumma poteſtas oſtenditur. 234. 235

Eccleſiæ unitas, conſenſus, & confeſſio à quo pendeat. 235

Eccleſia uera ſine Chriſti Vicario in terris eſſe non poteſt. 235

Eloquia diuina duplicis generis ſunt. 21.

Epiphanius in ſuo Panario, & Euthymius in ſua Panoplia oẽs fere hæreſes confutant. 60

Epiſcoporum eligendorum ratio. 180

Epiſtolas D. Pauli intellectu difficiles, & eas indoctos & inſtabiles deprauare teſtatur D. Petrus. 112

Epiſtola Authoris ad Card. Gonzagam Tridẽtini Concilij Legatum. 247

Epiſtola Card. Gonzagæ ad Authorem. 251

Euangelio quando Auguſtinus nõ crederet. 16
Euangelia Nicodemi & Bartholomai, cur reiecta. 164
Euangelica legis uis. 165
In Eucharistia uerum corpus & uerum ſanguinem Chriſti eſſe, Apoſtolorum fides. 64
Euchariſtiam ſacerdotibus ſub utraque, laicis uero ſub una tantum ſpecie ſumendam, Dominicum, ne dum Apoſtolicum inſtitutũ. 64
Euchariſtia quibus antea dabatur, & quibus nunc danda. 145
Excõmunicationẽ fieri authoritate Chriſti. 69
Excommunicationis uſum à principio in Eccleſia fuiſſe. 69
Exemplũ Dauidis Gallorum Regi ad imitandum proponitur. 6
Exemplum Philoſophorum de Maiorum ſuorũ traditione ſeruanda. 22
Exempla tria D. Chryſ. ne arcana Dei curioſe perſcrutentur. 51.52
Exemplum de Decimis. 62
Exemplum Spyridionis Cypri Epiſcopi, quod nõ ſint mutanda ſacra ſcriptura nomina. 72
Exemplũ de Epiſt. Regis Aſſyriorum ad Regem Ezechiam. 95
Exempla Imperatorum in Hæreticos. 98
Exemplo Vigilij Papæ Apoſtolicæ ſedis diuina uis demonſtratur. 117
Exempla tria ex ſacra ſcriptura ad confirmandam miniſtrorum Dei poteſtatem. 148
Exemplum de Nathan, quod quandoque etiam propheticus ſpiritus eſt mendax, & quod omnis homo, ſuapte natura & falli, & fallere poteſt. 163
Exempla ſacra ſcripturæ de his qui ſacerdotale munus ſibi uſurparunt. 168
Exempla Alex. Magni & Attylæ Regis de ueneratione Sacerdotum. 192
Exemplum Pharaonis & Scipionis Aphricani de ſacerdotali præſtantia. 195

F

FEDERICVS I. & II. catholica Eccleſiæ præcepta contempſerunt. 8
Federicus I. à rapido amne abſortus eſt. 9
Federicus II. filij nothi opera necatur. 9
Feſtos dies ab initio magna cũ ueneratione obſeruatos in Eccleſia. 69
Fides uera dici non poteſt, quæ non eſt una. 10
Fidem non ex perſonis, ſed ex fide perſonas probamus. 116
Fides præſtat ſcientiæ, & diuinum lumen humanæ rationi. 138
Fideles cur in baptiſmo non mergantur, ſed tantum perfundantur. 155
Fideles cur non ut antea Diſcipuli, ſed Chriſtiani nuncupentur. 156
Fidelis ante Eccleſiæ definitionem errare poteſt ſine nota hæreſeos. 161
Fidei fundamentum in homine eſt, licet donũ Dei ſit. 219
Fides qualitas quadam eſt, ſiue accidens in mente hominis. 219
Filius Theſei. 89
Fines ac termini catholici qui ſunt. 14
D. Franciſci uerba de Sacerdotij præſtantia & dignitate. 185

G

GALLIA in magnũ diſcrimen adducta. 2
Gallorum erga Druides obſeruãtia. 192
Galli quicquid habent præclari, à ſacerdotali Rom. Pontificũ munificẽtia acceperũt. 196
Gallorum Regum pietas, atque mira erga ſacerdotes obſeruantia. 196
Gaſparis Suenefeldij hæreſis ab Eutychianis olim conficta. 35
Gelaſii uerba. 94
Gelaſius I. Anaſtaſium Imperatorem non recte de Religione ſentientem excommunicauit. 122
Germanorum pernicies unde orta. 200
Gladio diuinæ & humanæ poteſtatis ſacerdotes utuntur, & quomodo. 205
Gloria Chriſti non derogat, ea quæ ſua ſunt, cõmunicare nobiſcum. 214
Gratiam omnibus non ponentibus obicem Deus impertitur. 168
Gratiæ miniſterium, & ſacrorum myſteriorum adminiſtratio, non omnibus, ſed paucis datur. 168
Gratiani Imperatoris edictum de Romana fide retinenda. 212
Gregorius Nazãzenus Theologi cognomen cõſecutus eſt. 13
Gregorius Nazanzenus unà cum Baſilio eruditus, quomodo ſacras literas interpretabantur. 14

Gregorius III. Leonē III. Imperatorem cur excommunicauerit. 122
Gregorius V. Germanis perpetuum ius Cæſaree eligēdi conceſſit, reſeruata ſibi & ſucceſſoribus authoritate, quos elegiſſent, confirmandi. 123
Gregorius VII. Henricum III. Imp. ab eo ſacris interdictum, quo pacto eum in priſtinā dignitatem reſtituerit. 123
Gregorius IIII. Leo IIII. Nicolaus I. Iohannes VIII. bellicis expeditionibus Italiā, Siciliam variaſque Hiſpaniæ oras à Sarracenorum ſeruitute liberauerunt. 123

H

HADRIANVS I. Deſiderium Longobardorum Regem ad direptionē Vrbis properantem, edicto Pontificio in Inſubriam reuerti coegit.* 122
Hæreditaria ſignacula rudi temeritate nō ſunt violanda. 13
Hæreticis quid peculiare. 6
Hæretici Paternæ Traditionis & receptæ obſeruationis fundam non habent. 6
Hæretici ſolo & nudo lapide, ſuis viribus fidētes, decertant. 6
Hæretici aliam originem non habent niſi ſuam. pagina 11
Hæretici ſemper Apoſtolis & apoſtolicis viris inimici. 11
Hæretici quid agant, dum ſcripturæ textum poſtulant. 11
Hæretici Patrum teſtimonia irrident, & Chriſti Vicarium in terris non agnoſcunt. 12
Hæreſes unde obortæ. 11
Hæreticis quid proprium. 15
Hæreticorum inconſtantia. 23
Hæretici modo conſectatoribus ſuis, modo ſibi ipſis bellum indicunt. 23
Hæretici ſinguli in ſingulis ſuis verbis hæſitāt. pagina. 24
Hæreticos quomodo appellet D. Athanaſius. pagina. 24
Hæreticorū temeritas, volubilitas & impietas. pagina. 25
Hæretici nihil certi aut conſtantis in ſuis aſſertionibus afferunt. 25
Hæreticorum errores ab antiquis hæreticis millies damnatis mutuati. 26
Hæreticorum vafricies 31
Hæreticorum prauitatis impietas ut turris Babel diſſolui oportet. 32
Hæreticorum noſtri temporis hereſes, eſſe veterum hæreticorum damnata placita à 33. *uſque* 42
Hæreticorum noſtri temporis de reijciendis traditionibus, poſitio à quibus inuenta. 36. 42
Hæreticorum commentum De ſcripturis, pro cuiuſque arbitrio interpretandis, Hæreſis Manichæorum. 36
Hæreticorum latratus, quo Apoſtolicam ſedem cathedram peſtilentiæ appellant, Donatiſtarum fuit. 37
Hæreticorum temeritas, qua glorientur apud ipſos eſſe veram Eccleſiam, Nouatianorum atque Donatiſtarum error. 37
Hæreticorum veterū ac recentiorum diſcrimē. pagina 43
Hæretici veteres quibus rationibus ſuas poſitiones tuebantur. 43
Hæretici recentiores ſeditionibus, conuicijs, mendacijs, belloque ſuas fabulas tuētur. 43
Hæretici recentiores nihil abeſt quin ad Mahometis ſectam, vel ad Atheiſmi impietatem non deſciſcant. 43
Hæretici eo tantum præcipites feruntur, quo ſpiritus mendacij eos impellit. 43
Hæretici omnes ad vnum ſunt legis Corneliæ de falſis rei. 44
Hæreſis omnis catholica veritate poſterior. 45
Hæreſes ſunt veluti ſpectra & phantaſmata quædam. 46
Hæretici cur in angulis latitant. 45
Hæretici veluti nocturnæ aues catholico lumini cedere coguntur. 46
Hæretici odio pluſquam Vatiniano Eccleſiam perſequuntur. 47
Hæreticorum impoſturæ occaſiones fuere, ut ſacramentorum doctrina clarius & fuſius explicaretur. 48
Hæreticorum falſa dogmata egregios Doctores in Eccleſia ſuſcitarunt. 49
Hæreticorum traditiones, quæ ſint. 51
Hæreſes vniuerſas catholici Patres quomodo iugularint. 55
Hæreticos ſola manus impoſitione purgandos, non autem rebaptizandos Romæ ſacerdotale Concilium ſtatuit. 56
Hæreticorum diuerſorum iactātia, quæ præclariſsimis

riſsimis eulogijs ſuas factiones nominare auſi ſunt. 81
Hæreticorum fallacia ac praſtigiæ uſquequaq. deteguntur & reijciuntur. 84
Hæretici quomodo omnia diſsipent ac peruertant. 84
Hæreticorum fanaticus ſpiritus numquã quieſcit. 84
Hæretici omnes nouitatis amatores, & uetuſtatis hoſtes. 85
Hæretici tyrannicam uſurpant poteſtatem in mutilando, reſcindendo ad libitum ſcripturas. 44. 86
Hæreticorum librorum fœtus adulterinus. 86
Hæreticus nullus eſt uel diuorum, uel hominum metus. 86
Hæretici ex ouibus in lupos conuertuntur. 86
Hæretici omnes quomodo Antichriſti ſint, & Ieſum ſoluant. 86
Hæretici ſatellites Sathanæ. 87
In Hæreticos inuectiua. 87
Hæretici quid mali ſtudeant in Eccleſia contra mores & Religionem. 87
Hæreticus Pauli decreto uitandus. 90
Hæreticorum præcipuum ſtudium. 91
Hæreticorum obſtinatio. 92
Hæretici omnes mendaces ſunt & populari aura delectantur. 92
Hæreſes cur apud imperitam multitudinẽ creuerint. 93
Cum Hæreticis quando ſit diſputandum. 95
Hæretici ſeuerisſimè plectendi, & ut membra putrida ab eccleſiaſtico corpore reſecandi. pagina 97
Hæreſis uelut Hydra, dum ſæpe præciditur, pullulauit, igni debitè peritura. 98
Hæreticorum genus per Imperatoriam poteſtatem corrigendum 98
In Hæreticos quando non ſæuiendum. 99
Hæreticis iniuria non ſit, ſi illam, quam catholicis machinantur, perniciem, patiuntur. pagina 102
Hæreticorum ſcripta Maiorum iniuſſu legere nefas. 102
Sub Hæreticorum ſcriptis inſidiæ deliteſcũt. pagina 102
Hæreticorum uolumina quibus uoluere liceat. pagina 103
Hæreticorum uoces, ne dum ſententiæ, in Concilijs generalibus ſemper exibilatæ. 104
Hæretici improbis & perfidis debitoribus comparantur. 105
Hæretici ſemper præiudicatas Patrum ſententias in controuerſiam reuocant. 105
Hæreſim quis inſtituat. 114
Hæreticis quid legitimum ac ſolemne ſuit. 114
Hæreticorum conuicia in ſacros uiros & in populi Principes, in beneficia & præconia æterna commutantur. 126
Hæreticorum noſtri temporis incendium. 127
Hæretici non plus turpitudinẽ ſuam folijs ſcripturæ tegunt, quàm potuerit Adam ſuum dedecus fici folijs uelare. 141
Hæreticis prouocationem ad ſcripturas non eſt concedendum. 141
Hæretici imitantur Moriones. 148
Hæreſes non permiſsionibus, ſed contrarijs conſtitutionibus extirpandæ. 153
Hæretici cur innouare cupiunt omnia. 157
Hæreticus eſt qui eccleſiaſticam definitionem contumaciter tranſgreditur. 161
Hæreticus nullus re uera cenſendus eſt ante Eccleſiæ definitionem. 162
Hæreticorum tenebræ innuuntur. 176
Hæretici nonnulli ad Pontificem Romanum in dubijs fidei cauſis referendum putauerunt. pagina 212. 234
Hæretici, etiam ſi omnes Chriſti ſacerdotes incorrupti uiuerent, non tamen ab iniurijs ſe abſtinerent. 225
Henricus IIII. aduerſus ſummos Pontifices arma ſumpſit. 8
A filio carcere preſſus uita exceſſit. 9
Heraclius Monothelitarum impietatem ſecutus eſt. 7
Idem, quamuis ante obitum reſipuerit, attamen intercute aqua & hydropiſi deceſſit. 8
Hierarchia Apoſtolicæ ſedis & Romanorũ Põtificum principatus Dominicum & Apoſtolicum inſtitutum. 70
Hierarcha eccleſiaſticus cur duplici diademate inſignitus eſt. 188
Hierarchia Eccleſiaſtica neceſſaria, à quo inſtituta, & eius ſumma poteſtas. 231. 235
Hieronymus Heluidium refellit. 22
Hieronymus Vigilantium confutat. 60
Hieronymi in Origenis laudem uerba. 81
Hilarij uerba in Tertullianum. 82
Homines natura filij iræ, & crebro erroribus capiuntur. 15

Homo uerax, quis. 22
Homolegiſtica, hoc eſt, Confeſſionariæ ſecta bis decem à Luthero prodiere. 85

I

IADI *ſacerdotum principis conſiliũ ut Hieroſolymam ab excidio liberaret.* 190
Ieiunij lex Diuinæ & Apoſtolicæ traditionis eſt. 20
Ieiunium Quadragenarium ex Apoſtolica traditione. 69
Ieiuniũ Quadrageſimale, quomodo antea obſeruabatur, & qualiter nunc obſeruari debeat. 146.147
Ieiunium in die Dominico cur uetitum. 154
Ignatius uiſione Angelorum edoctus, reſponſorios hymnos inſtituit. 67
Illirici, Brenzij, Caluini & Lutheri hæreſis, Nullum eſſe in homine liberum arbitrium, olim Simonis Magi, Marcionis, Petri Haballardi, Vuicleſitarum & Manichæorum fuit. 42
Immagines ſacræ ab Apoſtolis traditæ. 20.68
Immerſionis trinæ ritus in baptiſmo, nouo Eccleſiæ inſtituto abolitus. 19
Imperatores optimi, quomodo in capiendis conſilijs ſe gerunt. 2
Imperatores quandoque exercitus ordinem inuertunt, ut hoſtibus inſidias ſtruant. 150
Imperatores ethnici, cur etiam Pontifices maximi dicebantur. 187
Imperator electus, cuius à ſede Apoſtolica reprobata eſt electio, non ſe poteſt adminiſtrationi immiſcere. 188
Indulgentias ſemper fuiſſe in Eccleſia. 66
Innocentij I. uerba pro Apoſtolica traditione ſeruanda. 77
Innocentius I. cur Archadium Auguſtum cõmunione priuauerit. 122
Iohannis Dentzij hæreſis, Origeniſtarum error. 35
Iohannis Chryſoſtomi uerba de Regio & ſacerdotali munere. 178
Iordanis fluuij figura. 180
Irenæus Valentinum confutat. 60
Iudæi cur à recta ſcripturarum intelligẽtia exciderint. 142
Indices omnes odio, amicitia, inimicitia, & ira uacuos eſſe decet. 89
Indicium integrum quale. 135
Iulianus Imperator & calamum, & gladium aduerſus ſanctam Eccleſiam perfidus ſumpſit. 7
Iulianus diuinitus ſagitta transfixus. 8
Ius legatorum Dei diuinum eſt. 148
Ius miniſtrorum Dei diuinitatis eſt particeps. pagina 148
Iuſti ſpiritu Dei aguntur, & eorum effectus. pagina 149
Iuſti cur cuncta præcepta, cum oportet, tranſgrediantur. 14
Iuſtus tunc maxime mandata cuſtodit, cum ea non tenere uidetur. 149
Iuſtinianus I. Eutychiani delirij ſectator. 7
Iuſtinianus ſenior amẽtiſſimus ex hac uita deceſſit. 8
Iuſtinianus II. ſynodum impiam celebrare præſumpſit. 7
Iuſtinianus iunior cum Tyberio filio unico contrucidatur. 9
Iuſtitia Chriſtiana quomodo paulatim creuerit. 151

L

LACTANTIVS *Firmianus in nonnullis ab Eccleſia improbatus.* 83
Latini conuenientius in Euchariſtiæ materia utuntur azymis, quàm Græci fermentato. pagina 154
Legum Eccleſiaſticarum contemptores, non ſecus ac diuinarũ legum præuaricatores coercendi. 22
Lex Locrenſium de uoluntariis legislatoribus. pagina 99
De Lege non eſt controuerſia, ſed de legis intelligentia. 106
Lex Dei & ſcriptũ Dei uerbum omnibus etiã hæreticis & Dæmonibus commune eſt. 106
Legis Diuinæ uera intelligentia penes Apoſtolicam Eccleſiam. 106
Leges bonæ ob malos hominum mores non ſunt abrogandæ. 121
Lex ſpiritus præſertim in corde ſcribitur. 144
Lex Chriſti cur non fuit in principio ſicut cæteræ leges literis mandata. 149
Leges pro ratione temporum mutandas eſſe etiã ipſi legum libri declarant. 158
Lex euangelici Regni, quæ. 215

Leo Iſaurus ſacras ædes depopulatus eſt. 8
Leo Iſaurus ſacro Gregorij III. interdicto impiorum in numero habitus eſt. 9
Leo IIII. coronam auream è ſacrario ablatã ſuo ſacrilego capiti impoſuit. 8
Leo IIII. non multo poſt patratum ſacrilegiũ miſerè moritur. 9
Leo Armenius Diuorum ſimulacra & ſacras reliquias execrabatur. 8
Leo Armenius in æde ſacra multis uulneribus confoditur. 9
Leonis Pontificis uerba. 91
Leo III. Pontifex cur tranſtulerit imperij iura à Conſtantino Irenes filio ad Carolũ Magnum Francorum Regem. 122
Leo VIII. cur ex Francis ad Germanos imperium traſtulerit. 123
Leonis I. uerba ad Theodorum epiſcopum Foroliuienſem. 169
Leo I. confirmauit decreta Concilij Chalcedonẽſis ſexcentorum & triginta epiſcoporum. pagina 208
Leo II. quibus uerbis ſynodi Conſtantinop. tertia, quæ ſexta dicitur, decreta approbauerit. 208
Lituræ, nõ literæ ſunt eorum ſcriptiones, qui nõ recte ſcripturam intelligunt, uel interpretãdo deprauant. 142
Lucius Anglorũ Rex à Rom. Pont. potiuſquã à Galliæ epiſcopis propinquioribus fidẽ accipere uoluit 225
Ludouicus Pius pontificiam ſedem in priſtinã dignitatem reſtituit. 4
Ludouici Hetzeri dogma, quo Chriſti diuinitatem negabat, ab Arrio mutuatum. pagina 34
Lutherus omni Chamæleonte & Proteo mutabilior. 25
Lutherus ſibi contrarius de ſacramentorũ numero. 25
Lutherus in duobus ſibi contrarius de baptiſmo, & ab Anabaptiſtis diſſentit. 25
Lutherus ſibi ipſi contrarius in his omnibus, ſcilicet, De matrimonio. 26
De ſacerdotio. 26
De pœnitentia ſacramento. 26
De ſatisfactione pro peccatis. 27
De uino in conſecratione. 27
De tranſubſtantiatione. 27
De adoratione Euchariſtiæ. 28
De communione ſub utraque ſpecie. 28
De Miſſa. 28
De extremæ unctionis ſacramento. 28
De poteſtate Eccleſiæ. 29
De Pontificum conſtitutionibus. 29
De uirginitate & cælibatu. 29
De ſuperioritate gradus. 30
De lege. 30
De Decalogo. 30
Lutherus ſibi, Philippo & Caluino contrarius de inuocatione Sanctorum. 31
Lutherus ſibiipſi, Caluino & Zuinglianis omnibus contrarius de Imaginibus ſanctorum. pagina 31
Lutheri aſſeclæ ab ipſo Luthero diſſentiunt de celebratione feſtorum. 31
Lutheri dogma de abſoluta rerum neceſſitate à Manichæis deſumptum. 33
Lutheri commentũ de impoſſibilitate legis ſeruandæ, quos authores habuit. 34
Lutheri hæreſis ad Eccleſiam improbos nõ pertinere, ſed tantum bonos, Donatiſtarum inuentum. 35
Lutheri perſuaſio ad Principes laicos ut bona eccleſiaſtica diriperent, Antropomorphitarum furor. 35
Luthero tamquam prophetæ credẽdum eſſe, qui aſſerũt Manichæorũ temeritatẽ ſectãtur. 36
Lutheri hæreſis, Baptiſmum potius omittẽdum in paruulis, quam eos ſine fide baptizare, Meſſalianorum error. 38
Lutheri commentum extremam unctionem non eſſe ſacramentum, Valdenſium hæreſis. pagina 39
Lutheri hæreſis, Mulieres iure poſſe ad ſacerdotium promoueri, Pepuſianorum fuit. pagina 39
Lutheranorum commentum, Euchariſtiam extra ſacramentum nõ habere corpus Chriſti, Neſtorianis aſcriptũ. 39
Lutheranorum aſſertio, Euchariſtiam habere uerum Domini corpus cum pane uero, Berengarii error. 40
Lutheri hæreſis, Decem præcepta ad nos non pertinere, ſed ad ſolos Iudæos, Manichæi placitum. 41
Lutheri hæreſis, Chriſtianum nulli pœnæ ſubiacere, ſi à culpa fuerit abſolutus, a Valdenſibus & Vuicleff aſſerta. 41
Lutheri & Caluini ad principes laicorum per-

fugium

ſugium, ueterum Hæreticorum inſtitutum. pagina 42
Lutheri hæreſiarchæ uerba ad Leonẽ X. 213

M

MAGISTRI ſententiarũ nonnulla dogmata ab Eccleſia improbata. 83
Magiſtratibus humanis ex diuino præcepto obtemperandum. 114
Magiſtri cur abſoluantur, & diſcipuli condẽnentur in ijſdem erroribus aſſerendis. 162
Magna ſine magnorum Principum conſilio atque præſidio fieri non poſſunt. 44
Malefacta quando in recte facta & in merita commutentur. 144
Manfredus aduerſus Eccleſiam inſultauit. 8
Manfredus anathemate percuſſus humanarũ miſeriarum exemplar fuit. 9
Manichæi à quo dicti. 56
Mariam Virginem cur Deiparam, & nõ Chriſtiparam Eccleſia appellet. 154
Martiani Imperatoris uerba de Concilijs. 94
Mauritius D. Gregorium & Rom. Eccleſiam perturbauit. 7
Mauritius à Phoca Cæſare cum uxore & liberis obtruncatur. 8
Mauritij Imp. Conſtantinopolitani exemplum de ſacerdotali præſtantia. 191
Medium iter tenendum, neque ad leuam, neque ad ſiniſtram flectendum. 10
Meduſæ Clypeus. 61
Melãchton, Poſtellus & Zuinglius de ſacramentorum numero cum Luthero diſſentiũt. pagina 25
Melanchton de ſacramento Euchariſtiæ cũ Luthero diſcordat. 27
Melchioris Hofman & Mennonis commentũ, olim à Priſcillianiſtis Cerdonianis, Mercionitis & Manichæis confictum. 34
Melchiſedec præcipua figura euangelici ſacerdotij. 186
Mendacium quærit quiſquis poſt ueritatem repertam aliquid ulterius diſcutit. 79
Mendacij præcipuum ſignum. 129
Mendacium quis loquatur. 129. 130
Miniſtri Dei mentem eius potius ſpectare debent, quàm uerba. 149
Miniſtris Dei obtemperare nõ paruam diuinæ uoluntatis notitiam arguit. 167
Miniſtri Dei probitas in moribus, non ad eſſentiam, ſed ad decentiam pertinet ſacramenti. 115
Miſſæ ſacrificium Apoſtolica traditione ad nos peruenit. 19
Miſſa Dominicum inſtitutum, eiuſq. ritus & cæremoniæ. 65. 66
Miſſarum ſolemnia celebrare, quomodo antea ſtatutum erat, & quomodo nunc obſeruari debet. 145. 146
Montanus aduerſus traditionem noua quadã primus ingeſſit. 48
Mortem pro Eccleſia occumbere feliciſſimum eſt. 50
Mortem pro Eccleſia Dei filius cur ſubierit. pagina 50
Mortuorum funera Pſalmis & Canticis celebrare traditio Apoſtolica. 67
Mortuũ ſuper mortuos ponere olim ueterũ, nũc apud Catholicos indifferens eſt. 146
Moyſes non omnia templi loca peruia eſſe ſtatuit, ſed extra ſacra ſepta profanos locauit. pagina 174
Munera Deo qui offerant, & qui non. 131
Munus imperatoriũ ſacerdotali deſeruit. 179
Myſteria ſacra non eſſe inuulganda. 174

N

NAZARAEI, qui olim fuerint, & qui in eorum locum quò ad nonnullos ritus ſuccefferunt. 65
Noe cur non maledixerit Cham nuditatẽ ſuam irridenti, ſed maledixerit Canaam eius filio. 125
Nouarum rerum magiſtri quid moliantur. 10
Nouatianus cur in Eccleſia non fuit. 14
Nouitas temeritatis mater, filia ſuperſtitionis, ſoror leuitatis, famula impietatis. 10
Nouitas exploſa & antiquitas retenta apud catholicos. 12
Nouitas quid afferat. 12
Noué dicenda, non noua. 74
Nouas res quicunque circa ſacra molitur, aut impius, aut ſeditioſus eſt, aut utrumque. pagina 129
Noui magiſtri, etiam catholici, & præſtantiſſimi Doctoris opinio, aliquando reijcienda. pagina. 133. 134

Ocu-

O

OECOLAMPADII Zuinglij Caroloſtadij, & Lutheri hæreſis Euchariſtiam eſſe tantum Dominici corporis ſignum, olim à Berengario aſſerta. 39
Oecolampadianorum Zuinglianorum & Lutheranorum hæreſis, ſanctos non eſſe inuocandos, nec eorum reliquias uenerandas, Euſtathij & Vigilantij ſomnium. 40
Officiorum diuinorum ſolemnis inſtitutio à D. Marco incœpit Alexandriæ. 67
Operis propoſitum ac titulus. 2
Opus cur in primis pro Rege Chriſtianiſſimo ab authore editum. 240
Oratio Authoris ad patres in Concilio Tridentino de optimo Reip. ſtatu quatuor continens partes. 253
Ordines minores ex Apoſtolica traditione. pagina. 20, 64
Origenes ac Tertullianus cur in multis à catholicis reijciuntur. 15
Origenis præcipuum erratum. 132
Origenes Celſum confutat. 60
Origenes cur ab Eccleſia reiectus. 82
Oſiandri & Lutheri commentum de imagine Dei, prius ab Audæanis & Antropomorphitis aſſertum. 33
Otho IIII. Eccleſiæ ſancta præcepta contempſit. 8
Clade memorabili affectus tandem trucidatus eſt. 9
Oues à Paſtoribus, non paſtores ab ouibus regi & diiudicari fas eſt. 124
Oza cur ſubito cecidit à Domino percuſſus. pagina. 168

P

PAPA, aut Concilium, ſi in præcepto confeſſionis diſpenſaret, abuteretur clauibus; & huiuſmodi diſpenſatio non valeret. pagina 63
Papa conſecratur ut ſacerdos, & coronatur ut Rex. 235
Paracleti adminiſtratio, quæ. 151
Paruuli cur baptizentur. 143
Patres ac ſeniores, non omnes, conſulendi. pagina 15
Patrum Conciliariorum onus. 62
Paternis decretis acquieſcendum. 113
Patres quando errare dicuntur. 135
Patrum conſenſus in re dubia, ut certum ueritatis argumentū obſeruare debemus. 136
Patres orthodoxi, quando de aliquo dogmate inter ſe diſſident, quid agendum. 136
Patres orthodoxi ſtatuerunt, hæreticis prouocationē ad ſcripturam non eſſe concedendam. pagina 141
Patrum ſanctorum error ante Eccleſiaſticum edictum, nihil officit eorum pietati. 162
Patribus in Concilio Tridentino tria explicanda proponit Auctor in ſua oratione. 261
Patriarcharum ſeu aliarum Eccleſiarum Antiſtitum nemo unquā ſe in Romanam Sedē intromiſit. 133
Paulus cur bis Hieroſolymam aſcenderit. pagina 16, 132
Paulus Magiſter orbis, & omnium Eccleſiarum curator. 18
Paulus perambulās prouincias, quid præcipue curabat. 18
Paulus inſpiciens in profundum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, obſtupuit ſolum, atque inde reſilijt. 52
Paulus quibus curam intelligendi epiſtolam ſuam ad Corinthios reiecerit. 112
Paulus cur eandem rem toties uarijs præceperit. 156
Paulus cur in faciem Petro reſtiterit. 166
Peccatores quomodo ſint membra Eccleſiæ. pagina. 116
Peccatum quando uim & rationem peccati nō habet. 143. 144
Peccati originalis uariæ definitiōes. 159. 160
Peregrinationes piorum ad loca ſancta, Apoſtolorum Doctrina. 69
Perfidiam, non fidem eſſe quicquid præter unā fidem eſt. 10
Perſonalis lapſus ſiue in fide, ſiue in moribus in Romano Pont. Eccleſiæ nō detrahit, nec poteſt illam conuincere de hæreſi. 118
Petrus Cluniacenſis Henricianos confutat. 60
Petrus Apoſtolus cur in prima ſua cōcione Hieroſolymis Chriſtum uirum approbatum tantum, & non Dei uiui filium appellet. 152
Petrus & eius ſucceſſor ſtatuitur princeps in terris ad retinendam Eccleſiæ unitatem. pagina 214
Petrus petra eſt, & quomodo petra. 214

In

In Petro omnes Apoſtoli continētur poſt Saluatorem. 215
Petrus eſt petra à Chriſto ædificatore primo poſita in fundamento Eccleſiæ. 215
Petro cur ſemper adhæſerit Iohannes poſt mortem Domini. 215
Petro cur primum pedes lauerit Chriſtus. 215
Petrus unus traxit rete in terram. 215
Petro ſpōſam ſuam Chriſtus commēdauit. 215
Petro primatum commiſit Chriſtus, cum de eo contenderēt Apoſtoli. 216
Petro cur non omnes Apoſtoli fuerint pares. pagina 216
Petro ſoli ſingulariter fuit dictum, Quodcunque ligaueris &c. 216
Petro uniuerſalior data fuit authoritas ligandi ac ſoluendi. 216
Petro uni et eius ſucceſſoribus promiſſæ dataeq; fuerunt claues regni cælorum. 216
Petrus inter Apoſtolos ſemper ſe geſſit tamquā caput Apoſtolici collegij. 216
Petrus fuit author eligendi Matthiam in locum Iudæ, & conſtituit Iacobum Epiſcopū Hieroſolymorum. 216
Petrus excelluit omnibus alijs Apoſtolis in uirtute miraculorum. 216
Petrus felix Eccleſiæ fundamentum appellatur. 217
Petrus omnium gentium uocationi, & cunctis Eccleſiæ Patribus præponitur. 217
Petrus caput Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ unionis origo. 217
A Petro ſacerdotalis cœpit ordo poſt Chriſtum Dominum. 217
Petrum reliquit poſt ſe Chriſtus ut petra, & Vaticani immobile ſaxum. 217
Petrus a Chriſto petræ & cognomen, & firmitatem accepit. 217
Petrus ea ratione qua eſt petra petra, nū quā eius fides deficiet. 218
Petrus ſuper omnes qui filij ſunt poteſtatem accepit. 218
Petrum Chriſtus per ſe ſine aliquo medio totius orbis magiſtrum ordinat: Iacobum autem localiter per Petrum in uno loco terminat. 218
Petro Dei filius eam poteſtatem conceſſit, quæ Patris eſt, et quæ ipſius filij. 218
Petrum cum uiderent ſibi præferri Apoſtoli, inter eos humanum quoddam ſcandalum concipitur. 218
Petro Dominus indiſtincte oues ſuas commiſit. 218
Petro generatim atque uniuerſe Dominus dixit, Quodcumque ſolueris &c. 218
Petro ſoli Chriſtus quod ſuum eſt, plenum dedit. 218
Petrus in omni doctrina eſt loco Dei. 219
Petri confeſſio uniuerſalis Eccleſiæ fundamētum. 219
Petrus & Petri fides de Chriſto quomodo petra. 219
Petrus unus ex duodecim electus Eccleſiæ caput, ut ea in primis ſuper ipſum fundetur. pagina 219
Petrus à Chriſto caput Eccleſiæ conſtituitur cæteris Apoſtolis ita uolentibus. 220
Petri authoritas Pauli reprehenſione non minuitur. 220
Petro ut euangelium circuncıſionis, ita Paulo euangelium præputij creditum eſt. 220
Petri dignitati nihil detraxit poteſtas alijs Apoſtolis tradita. 220
Petro loquente, ſummum totius diuinitatis & Trinitatis myſterium mundo aperitur. 221
Petra nomen, licet Chriſtianis omnibus commune, tamen in hac nominis communitate diſcrimen eſt. 221
Petro nomen cur mutatum. 221
Petro & ſucceſſoribus Chriſtus eam poteſtatem dedit in Eccleſia Gentium, quam ipſe à Patre acceperat. 222
Petrus Neapoli fuit. 223
Petri & eius ſucceſſoris authoritas maior quā Eccleſiaſticæ Congregationis. 226
A Petri petra auulſus uel ſeparatus, à Chriſti promiſſis alienus eſt. 226
Pharaones populum Iſraël nobilitauerunt. 48
Pharaones ſunt qui Clerum imminuere ſtudēt. pagina 64
Pharaonis pietas erga ſacerdotes. 195
Phidia cur à Senatu Athenienſium repulſus. pagina 99
Philippicus Bardanes ſynodi decreta altera ſynodo infirmauit. 8
Ab Anaſtaſio oculis & Regno priuatur. 9
Philippus Luthero contrarius in his omnibus,
De ſacerdotio & clauibus. 26
De Contritione. 26
De neceſſitate noſtræ diſpoſitionis ad ſuſcipiendam

dam Dei gratiam. 26
De auriculari & ſacramentali cõfeſſione. 26
De præparatione ad Euchariſtiam. 27
De Euangelij ni. 30
De lege. 30
De operibus Legis. 31
De libero arbitrio. 32
Philippus ſibi ipſi & Luthero contrarius de Eccleſia. 29
Philippus & Lutherus ſibi ipſis contrarij de Eccleſia. 29
Philippus ſibi ipſi cõtrarius de Iuſtificatione. pagina. 30
Philippus ſibi Luthero & Bucero cõtrarius de merito bonorum operum. 31
Philippus Lutheri ſententiam De ſeruo arbitrio appellat mendacium horribile, & furorem Manichæorum. 32
Philippi & Lutheri commentum, ſolam incredulitatẽ eſſe peccatum, olim Eunomij fuit. pagina. 37
Philippi & Lutheri commentum, peccata in baptiſmo re ipſa non tolli, Pelagianorum error. 38
Philippi hæreſis, præter ſolam fidem, nullam præterea eſſe iuſtitiam inhærentẽ, Eunomianorum. 41
Pietatis ratio quid exigat. 12
Pipinus Longobardorum Reges Apoſtolicæ ſedis perturbatores compreſſit. 4
Pipini Regis Gallorum pietas. 196
Pontificum Romanorum authoritas & imperiũ in chriſtianos Principes. 122.123.133
Pontifex ſummus, quamuis unus, uniuerſam tamẽ Eccleſiam repræſentat, & cõtinet. 136
Pontifex ſummus eas partes in catholica Eccleſia tuetur, quas caput in toto corpore. 136
Pontifex, ſi languentis corporis Eccleſiæ curam abiecerit, quid agendum. 136
Pontifex Rom. cur pontificijs & regalibus utatur inſignibus. 187
Pontificis Rom. principatus ex multis probatur. 209
Pontificis Rom. præſtantia. 221
Pontifex Rom. ubi eſt, ibi uera Eccleſia. 222
Pontifex Romanus eſt petra refugij. 222
Pontifex Romanus eſt Chriſti uicarius unus omnium moderator & arbiter. 223
Pontifex Romanus eſt unus paſtor & omnium Epiſcoporum epiſcopus. 223
Pontificum Romanorum plurimi martyrij coronam ſuſceperunt. 224
Pontifices mali non detrahunt Cathedræ ſanctitati. 224
Pontifices Romani merito uocantur ſanctiſſimi. 224
Pontificum Romanorum eſt concilia conuocare, & ab ipſis ſynodalium actionum authoritas pendet. 226
Pontificis Rom. conſtantia ſinceritas fidei orthodoxæ ſemper ſeruata fuit. 227
Pontificum Romanorum eſt quæſtiones & controuerſias fidei terminare. 227
Pontifices Romani dum hæreſes damnant, non in cauſa propria, ſed in cauſa Dei, a Chriſto ſibi commiſſa ſunt iudices. 228
Pontifex Petri ſucceſſor eſt. 228
Pontificum Romanorum, quorum certa fuit electio, nullus de facto fuit depoſitus. 228
In Pontificibus ſummis ciuilis mors aut canonica locum non habet. 229
Pontifex Rom. eſt proximus Iudex poſt Deum. pagina. 229
Pontifex Rom. de omnium Eccleſiarum Præſidibus iudicat, de eo uero nemo. 230
Pontifex Rom. ab omni laicorum imperio immunis eſt. 230
Pontificis Rom. iudicio omnes etiam Reges & Imperatores ſubſunt. 230
Pontifex Rom. quomodo, & in quibus Petro ſucceſſit. 230
Pontifex Rom. ſolum habet uniuerſalẽ in uniuerſo orbe adminiſtrationem. 231
A Pontificis Rom. iudicio ad qualecũque uniuerſale Concilium appellari non poteſt. 232
Pontificis Rom. authoritas orthodoxis uenerabilior, & Hæreticis formidabilior ſemper fuit omnium Conciliorum authoritate. 232
Pontifici Rom. qui non ſubſunt, ad Eccleſiam non pertinent. 233
Pontifici Rom. ſubeſſe eſt de neceſſitate ſalutis. pagina. 233. 234
Sine Pontificis Rom. authoritate Epiſcopi nõ ordinantur. 233
A Pontifice Rom. omnes Chriſtiani quærere debẽt, quid credendũ quidque tenendũ. 233
Pontifici Rom. omnes tenentur obedire; & qui non obedierit, morietur. 234
Pontifex Rom. habet in Eccleſia ſummum imperium. 234
Pontificis Rom. encomia ex D. Bernardo ad Eugenium. 234

Pontificis Rom. nomen in omnibus Eccleſiis ut in Miſſa recitaretur Concilia ſtatuerũt. 234
Præcepti tranſgreſſor ſemper non eſt qui præceptum non ſeruat. 142
Prælatorum uita mala eccleſiaſticum magiſterium non impedit, aut tollit. 128
Primogeniti in ueteri lege accipiebant benedictionem à Patre loco conſecrationis. 65
Primogenitorum loco in lege ſcripta ſucceſſit tota tribus Leui. 65
Principum Chriſtianorum à catholicis inſtitutis deficientiũ uarij caſus & miſerabiles exitus. 7. 8. 9
Principia prima in ſingulis diſciplinis accipiuntur. 23
Principum ob ſeruatã Eccleſiam præmia. 50
Principatus Eccleſiaſticus ab hominibus ſolui non poteſt. 122
Principũ corruptela in Epiſcopis eligẽdis. 180
Principes in eligendis uel nominandis Epiſcopis ſummorum Pontificum priuilegijs abutuntur. 183
Principatus omnis in Regno Chriſti, eius in terris Vicario ſubeſt. 184
Principatus uiolentus & tyrannicum Regnũ à uitiata natura ortum habuit. 206
Princeps uerus populi pater eſt, & miniſter ſeruorum Dei. 206
Principes omnes catholici poſt Conſtantinum Magnum ſuos faſces Vicario Chriſti ſummiſerunt. 225
Principes ſeculares nihil iuris habent in ſynodalibus iudicijs. 227
Principum Chriſtianorum ſegnities in defendẽda & propaganda Chriſtiana Rep. 235
Principes ideo principes in populo Dei, ut ſint catholicæ Eccleſiæ propugnatores. 237
Principum Chriſtianorum fœdus qui diſſoluit, Deo, non hominibus reſiſtit. 238
Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, quomodo dirigenda. 75
Prophetæ ex magno uſu interpretandi aliquando quædam ex ſuo ſpiritu proferunt. 164
Pſalmi 128. Sæpe expugnauerunt &c. applicatio aduerſus Hæreticos. 49
Pſalmos & hymnos canendos eſſe, ipſius Domini & Apoſtolorum habemus exempla. 67
Puerorum membra ſicut non alia à ſemetipſis cum in maturiorem ætatem deuenerint, ſic & catholicum triticum non aliud à ſuis primordijs. 73. 74

Q.

QVADRAGENARIVM *ieiunium ex Apoſtolica traditione emanauit.* 69
Quadrageſimalis ieiunij dies quomodo antea obſeruabantur, & qualiter nunc obſeruari debeant. 146 147

R.

RATIO *ac ſemita, qua in hac peregrinatione ad felicitatem aſpirandum ſit.* 10
Ratio pietatis quid exigat. 12
Reges, quos homines in honore habere debeãt. 2
Regum Gallorum Encomium. 3
Reges Galliæ Chriſtianæ religionis defenſores. pagina. 3
Reges Galliæ eccleſiaſticarum legum obſeruãtiſſimi. 3
Reges Galliæ paternarum traditionum æmulatores. 3
Regis Galliæ inimici quid ei perſuadere audeant. 3
Regni Galliæ tragœdiæ, quæ ſint. 3
Reges Gallorum quãplurimi Apoſtolicæ ſedis & Romanæ Eccleſiæ propugnatores. 4
Regni Galliæ deploratio. 4
Regno Galliæ cur diuina prouidentia multa aduerſa acciderint. 5
Reges in populos non probitate aut improbitate, ſed dignitate & poteſtate imperium exercent. 115
Regnorum ſtatus bonus, ſiue ſacer, ſiue profanus propter malos principes non eſt mutandus. 121
Regnorum omnium conſenſus non poſſunt ſacerdotum authoritatem minuere. 122
Rex Galliæ quo modo hæreticorum laqueos declinare poſſit. 127
Regum Gallorum præcipuum munus, & perpetuus mos. 127
Rex quid agere debeat in cõſilijs capiẽdis. 128
Regium munus ad quid inſtitutum. 177
Regalis & ciuilis poteſtas à ſacerdotali perficitur, quemadmodum luna à ſole illuminatur. pagina. 179
Reges ſacerdotum auxilio egent. 179
Reges optimi à ſacerdotalibus muneribus & ab Eccleſiaſticis priuilegijs abſtinuerũt. 182
Reges Mahometani cur regia corona non utantur. 189
Regum catholicorum nullus fuit qui ſe ſacro ſacerdotum imperio non ſummiſerit. 196
Reges Galliæ & Angliæ ſua regna & Imperatores

tores ſua imperia à Romano Pontifice recognouerunt. 225
Regem eſſe & Chriſtianiſſimum quid ſignificet. pagina. 240
Regula Patrum orthodoxorum. 89
Religionem nos nõ quà uolumus ducere, ſed potius quà illa ducit, ſequi oportet. 82
Religio Chriſti neminem ſuo iure priuat. 185
Religionem & miniſtros Dei non eſſe ſpernendos multorum exemplis demonſtratur. 200
Reſpublica nulla ſine moribus & ſine religione exiſtit. 88
Ricchardi & Hugonis Canonicorum Regularium praeconia. 240
Romani omnia religioni poſtponenda duxere. 189

S

SACERDOTUM celibatus, Apoſtolicum depoſitum. 65
Sacerdotum pluralitas falſo ab hæreticis damnatur. 65
Sacerdotij priuilegio omnes primogeniti in lege naturæ gaudebant. 65
Sacerdotes & miniſtri Dei vnctione, & ſacramentis, non moribus conſtituuntur. 115
Sacerdotes, ſi rite ſuo munere non fungantur, non eccleſiæ neque ſacerdotio, ſed ipſis tribuendum eſt. 115
Sacerdotes non moribus, ſed ſacramentis miniſtri Dei conſtituuntur. 115
In Sacerdotibus Dei quid attendendum. 116
Sacerdotium cur ſacroſanctum, etiam ſi ſacerdotes mali ſint. 120
Sacerdotes & miniſtros Dei qui iudicant, vſurpatæ diuinæ iuriſdictionis rei cenſendi ſunt. pagina 124
Sacerdotum ſcelera, non delent ſacerdotij characterem. 125
Sacerdotes vxores ducere ab Apoſtolorum temporibus huc uſq; ſemp nefas eſt habitũ. 134
Sacerdotes ſanctiſſimi cur diuino edicto quandoque tam parum tribuerint. 147
Sacerdotes veri non omnes in Chriſtiana Rep. dicendi ſunt. 168
Sacerdos legitimus ſolus miniſter eſt ſacramentorum & verbi Dei. 169
Sacerdotes cur inungantur. 170
Sacerdotes quid ſunt. 170
Sacerdotale munus quale ſemp eſt habitũ. 170
Sacerdotis Azariæ præclara vox. 170
Sacerdotum Ethnicorum mos in reticendis ſacris myſterijs. 173
Sacerdotes, ſi omnes eſſent qui Chriſto nomen dederunt, quæ inde abſurda euenirent. 175
Sacerdotale munus ad quid inſtitutum. 177
Sacerdotes regibus præſtant. 178.184.189
Sacerdotale munus a Regio in quibus differat. pagina 178
Sacerdotes non alium quam diuinum ortum agnoſcunt. 179
Sacerdotalis dignitas auro, Regia vero plumbo comparatur. 184
Sacerdotalis poteſtas, vſq; adeo eſt præſtãs, vt illam, neque Angelis, neque Archangelis Deus vnquam dedit. 185
Sacerdotibus quantum ſit delatum, ſanctiſſimorum virorum exemplis demonſtratur. 185
Sacerdotale & Regium munus ſimul eſſe non congruit. 186
Sacerdotalia munera quæ ſint. 188
Sacerdotalem authoritatem quanti fecit Alexander. 190
Sacerdotũ ius atq; exiſtimatio apud Gallos. 191
Sacerdotalis præſtantia etiam ab impijs & ſæuiſsimis tyrannis ſemper agnita. 195.198
Sacerdotum authoritas quantum & in vrbe Roma, & in Gallia ſemper viguit. 195
Sacerdotalis muneris elegia plurima explicantur. 200
Sacerdotes naturæ, Moſaycæ, & Euangelicæ legis in quo diſcrepent. 201
Sacerdotum authoritas & præſtantia ex diuinis oraculis deducitur. 201 202.203
Sacerdotes in Eccleſia regenda, in quo a Chriſto differant. 204
Sacerdotes diuinæ & humanæ poteſtatis gladium habent. 205
Sacerdos quomodo pro ſuis & pro aliorum peccatis puniatur & remuneretur. 206
Sacerdotum poteſtas, non ex humana probitate aut improbitate, ſed ex Deo pendet. 206
Sacramentorum diuinorum libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, temerarium eſt. 23
Sacramentorum numerus, vis, & vſus, Dominicum inſtitutum. 65
Sacras literas, ſi interpretari pro voto cuilibet liceret, quæ inde abſurda ſequerentur. 76
Sacramentorum vis a Deo non ab hominibus pendet. 115
Sacramentorum dignitas & poteſtas ex miniſtrorum virtute non eſt metienda. 119

Sacramenti & vnctionis ſanctitas omnibus eadem. 120

Sacramentis Dei mores malorum hominum obeſſe non poſſunt. 121

Sacramentum Euchariſtiæ a Græcis Teleta Teletorum appellatum. 169

Sacra Ethnicorum ſicut ab omnibus promiſcue adminiſtrari non licuit, ſic multo minus licebit chriſtiana ſacra præcipuos miniſtros nō habere. 172

Sacra Chriſti myſteria olim dum celebrabantur non omnibus eſſe illorum ſpectatores datum erat. 172

Sacra Aegyptiorum cur Hieroglyphicis literis effingebantur. 173

Sacra Angeronalia a Romanis cur inſtituta. pagina 437

Salus humana incerta eſſet, ſi ex ſanctitate miniſtrantium ſacramenta penderet. 116

Saluator quando pro ſe & pro Petro ſtaterem ſolui iuſſit, cur pro omnibus ſoluiſſe dicitur. 215

Sanctorum venerationem & inuocationem eſſe depoſitum Apoſtolicum. 68

Sapientiæ atque prudentiæ diuinæ eſt, nos non omnia aperte ſcire. 52

Sathanas cur Eccleſiæ Præpoſitum perſequatur. 222

Saul poſt vnctionem, in alium virum mutatus, pagina 117

Saul cur diuina quadam nota inuſtus. 120

Saul cur in populo Dei regnare non deſiit, quãuis a Deo reprobatus. 120

Scandala euenire cur ſit neceſſarium. 47

Schiſmata inde oriri, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur. 222

Scientiam qui cuſtodiat. 17

Scipionis Aphricani pietas in Sacerdotes. 195

Scripturæ diuinæ maxima authoritas. 16

Scripturæ cognitio vera quomodo haberi poſsit. pagina 17

Scripturarũ interpretatio à quo ſit petẽda. 17

Scriptura per ſe elinguis. 17

Scriptura quomodo loquatur. 17

Scripturarum in linguam vernaculam verſiones iure nunc in Eccleſia vetita. 69

Scripturæ ſacræ intelligentia quomodo priſcorũ Patrũ explanationibus Deus nō alligauit. 74

Scripturæ ſacræ interpretandæ facultas quare relicta poſteris. 74

Scripturarum canon, cum ſit perfectus, cur Eccleſiaſtica intelligentiã indigeat. 75

Scripturarum controuerſiæ, quomodo interpretandæ, & dirimendæ. 78

In ſcripturis interpretandis inter ſe Catholici & doctiſsimi Patres aliquando ſalua fidei compage diſcordant. 80

In ſententijs proferendis, qualis eſſe debet Iudex. 80

In ſcripturis explicãdis modeſtiã eſſe decet. 83

Scriptura ex traditione, non traditio ex ſcripturis emanauit. 105

Sriptura ſuperueniente traditio nō abrogatur. pagina 106

Scriptura, quemadmodum ex traditione emanauit, ita traditio ſcriptura roboratur. 107

Scripturarum diuinarum obſcuritas, fouendæ hæreſis occaſio. 111

Scripturas ſacras & addiſcere, & interpretari, quibus datum. 112

Scripturarum ſacrarum obſcuritas, cur à ſpiritu ſancto procurata. 112

Scripturæ verus ſenſus ex traditione petendus. pagina 113

Scripturæ ſacræ profeſſores, quomodo in tractandis ſcripturis ſe gerere debeant. 113

Scripturas ab Eccleſia habemus. 130

Per ſcripturam quid Author intelligat. 137

Scriptura, quomodo traditioni præſtet. 139

Scriptura, ſi catholicè & orthodoxè intelligatur, ſummam in Eccleſia habet authoritatem. 140

Scriptura non recte intellecta, quid ſiat. 140

Scripturarum teſtimonio, cur & Diabolus, & Hæretici, & Sophiſtæ, & omnes tum boni, tum mali vti poßint. 140. 141

Scriptura ab hæreticorum vi & iniuria ſe vindicare non poſſunt. 141

Scripturam interpretari ſi vnicuique ex ſuo ſenſu fas eſſet, quã nã abſurda contingerẽt. 141

Scriptura deprauari poteſt, ſed nō traditio. 142

Scripturam ſacram cur in uernaculam linguã transferri modo non liceat. 147

Scriptura catholicæ Eccleſiæ fidei atque authoritati commendata. 154

Scriptura propter Eccleſiam, non Eccleſia propter ſcripturam inſtituta. 164

Scriptura non eſt authentica ſine Eccleſiæ authoritate. 164

Scripturæ authoritas iudicio Eccleſiaſtico firmata irrefragabilis eſt. 166

Sedes prima in terris à nullo iudicatur. 118

Semina

Semina immortalitatis eccleſiæ quæ fuerint. 48
Sennacherib Aſſyriorum Rex. 94
Senſus, non ſermo, in ſcripturis interpretandis ſit crimen. 130
Sententiam ferre de ſacris literis ſine præceptore, & in ſacros libros ſine duce irruere, abſurdum eſt. 23
Sententia aliqua probabilis quamdiu non eſt contra fidem. 162
Serpens æneus ab Ezechia Rege cum laude & pie deiectus. 155
Serueti & Ludouici Hetzeri hæreſis, Chriſtum non perſona eſſe alium a Patre, prius a Noeto, Sabellio, & Priſcilliano vſurpata. 34
Serueti hæreſis qua aſſerebat, Chriſtũ in vna perſona, vnius etiã eſſe natura, Eutychiana. 34
Serueti hæreſis, Spiritum ſanctum in nullo Prophetarum requieuiſſe, à Cerdonianis prius inuenta. 35
Serueti & Libertini commentum, Reſurrectionem eſſe fictitiam, Simonis Magi & Cerdonianorum erratum. 41
Simonis Samaritani temeritas. 81
Simon Bariona miſeriæ nomen. 221
Siſenandi Regis pietas & religio in concilio Toletano. 77
Societatis Ieſu emerita præconia. 107
Socrates cur veneno extinctus Athenienſium iuſſu. 99
Sphinges cur pro templorum foribus olim collocabantur. 173
Spiritus ſanctus qui viuificat & perficit omnia, in ſalutem non eſt extra Eccleſiam. 110
Spiritus Dei qui regit Eccleſiam neque fallere, neque falli poteſt. 142
Spiritus veritatis eſt anima corporis Eccleſiæ, enius caput eſt Chriſtus. 142
Spiritus particularis errare poteſt, non autem ſpiritus Eccleſiæ aſſiſtens. 162
Spiritus propheticus nec ſemper, nec eodẽ modo Prophetæ animum tangit. 164
Superbus verbi Dei & Sacramentorum miniſter, cum diabolo & Iuda reputabitur. 124
Spyridionis Cypri Epiſcopi reprehenſio aduerſus Triphylium, eo quod vnum Euangelij verbum in mutare ſit auſus. 72
Syluestri Pontificis reſcriptum de Concilio Niceno. 208
Symbolum Apoſtolicum ab Apoſtolis confectũ eſſe Eccleſiaſtica traditione innotuit. 19
In Symbolo quid inter alia Catholici profiteãtur. 130
Synodi cur indictæ. 62

T

THEODORICVS *Rex in Ro. Pontif. & in catholicos tyrannidem exercuit.* 7
Theodoricus apoplexi correptus in ignẽ Lyparitanum demerſus eſt. 8
Theodoſii Imp. pietas. 196
Theologi etiam præſtantiſſimi, in quæſtionibus religionis diſcutiendis quomodo ſe gerere debeant. 162
Theſei filum. 86
Theſaurus diuinorum arcanorum penes Eccleſiam. 152
Tempora diſtinguere oportet in doctrina fidei ad internoſcendas hæreſes. 162
Tenebræ hæreticorum, quæ? 176
Tertullianus Marcionem confutat. 60
Tertullianus in quo ab Eccleſia reiectus. 82
Tertulliani verba, quod cum hæreticis non ſit diſputandum. 93
Tertullianum a Cypriano magiſtrum appellatum ex D. Hierony. 116
Tolerantia in rebus humanis aliqua ex parte tolerabilis; in his vero quæ ad Religionem ſpectãt, prorſus impia eſt. 237
Tonſura eccleſiaſtica vſus à Nazaræis emanauit. 65
Traditionum catholicarum authoritas Patrum ſententijs demonſtratur. 10
Traditionũ Apoſtolicarũ vis & authoritas. 18
Traditio eſt Apoſtolorum, filium eſſe cum patre eiuſdem naturæ. 19
Traditio Apoſtolica eſt crucis ſigno muniri. 19
Traditione Eccleſiaſtica Spiritus ſancti proceſſio explicata. 20
Traditione Apoſtolica Ordines minores in Eccleſia introducti. 20
Traditioni paternæ cælibatus & paupertatis vota referenda. 20
Traditione ieiunium in Eccleſia viget. 20
Traditio Apoſtolica, Chriſti deſcenſus ad inferos. 20
Traditionum multarum enumeratio. 20
Traditio in catholica eccleſia non minus neceſſaria quàm ſcriptura. 21
Traditio eſt, nihil quæras amplius. 21
Traditionem antiquiſſimam fuiſſe ante baptiſmum exorcizandos & inſufflandos paruulos ex Aug. & Chryſ. deducitur. 63

Tra-

Traditio pura Apoſtolicæ prædicationis, aut veritatis doctrina apud Hæreticos eſſe non poteſt. 84

Traditionem qui reijcit, Apoſtolicum depoſitũ reijcit. 107

Traditio vera ex vera ſacrarum literarum intelligentia pendet. 108

Traditio vera quomodo in diuinis ſcripturis latitat. 109

Per Traditionem quid Author intelligat in ſuis ſcriptis. 117

Traditionis vis, & quomodo ſcriptura præſtat traditioni. 139

Traditiones ab Eccleſia retentas, a traditione Apoſtolica & de Spiritus ſancti prodiere doctrina. 167

Tributa Regibus debentur, non decimæ. 186

V

VALENS Arrianæ factionis ſtudioſus, Deo dicatos viros afflixit. 7

Valens viuus exuſtus eſt. 8

Valentinianus Imp. non modo non appetiuit, ſed rennit oblatam ab Epiſcopis poteſtatem eligendi vel nominandi Mediolanenſem epiſcopum. Et eiuſdem aurea ſententia de epiſcopali electione. 182

Velenus, Caluinus & Functius, Luthero & Bucero contrarij. 29

Veneta Reipublica tutela Regi Chriſtianiſſimo commendatur. 243

Verbi Dei vera intelligentia à quibus petenda. pagina 141.142

Verba ſunt quaſi miniſtra & famulæ voluntatis. 149

Verba Chriſti de ſacerdotali præſtantia. pagina 205.206.207

Veritatis ratio atque vis. 2

Veritas catholica cui commiſſa. 12

Veritas non eſt in vmbra ſed in corpore. 46

Veritas Domini, cuius ſit ſecundum Auguſtinum. 129

Veritatis præcipuum ſignum. 129

Veritas non eſt huius aut illius, ſed omniũ. 129

Veritas orthodoxa vbi nam ſit. 129

Veritatis author Dei filius non inuenitur in angulis. 131

Veritas catholica quomodo ſeruanda in dubijs fidei quæſtionibus, & quomodo ab hæretica prauitate internoſcatur. 135

Vgunothi bellum cum Deo gerunt. 5

Victimas incruentas Deo offerri in menſa Domini per ſummum Pontificem Chriſtum. 64

Victoria Dauidici pueri de immaniſſimo Philiſthæo quid innuat. 5

Victoria aduerſus impios diuino fauore in primis comparantur. 5

Victoria naualis ad Naupacteum ſinum parta inſinuatio. 237

Vigiliæ nocturnæ ad Martyrum ſepulcra magna ratione ſublata. 147

Viri etiam ſanctiſſimi, cum ſua enuntiant, & cum à diuino ſpiritu deſtituũtur, mentiri poſſunt. 164

Viuere poſſumus bene ſine regibus, non autem ſine ſacerdotibus. 179

Vlrichi Zuinglij poſitio, peccatum originale eſſe morbum duntaxat, non vere peccatum Pelagianorum error. 37

Vlrichi Zuninglij hæreſis Ethnicorum Heroas propter egregias & naturales uirtutes Deo ad uitam æternam acceptos, Pelagiana. 41

Vmbra non eſt ſpiritus, ſed corporis. 46

Vmbra licet uideatur, tamen uiua non eſt. 46

Vuitcleffi & Lutheri dogma ſacerdotium peruulgans confutatur. 169

Vota monaſtica & Religioſorum inſtituta ab initio naſcentis Eccleſiæ extiterunt. 65

Vrbani II. tempore, Hieroſolymorum & Syriæ regna iterum à Chriſtianis recepta. 123

Z

ZACHARIAS I. Carolomanum Francorum Regem, quòd adminiſtrando regno eſſet inutilis, regia dignitate deiecit. pagina. 122

Zuninglius a Luthero & Bucero diſcrepat de concupiſcentiæ peccato. 32

Zuninglij Caluini & Lutheri hæreſis, Infantes Chriſtianorum naſci bonos, non renaſci, olim à Pelagianis aſſerta. 38

Zuninglianorum & Lutheranorum poſitio, Ordinis ſacramentum non eſſe ſacramentum, fuit Meſſalianorum. 39

Zuninglianorum & Lutheranorum hæreſis, Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam, Audæanorum & Meſſalianorum inuentum. 39

Zuninglij & Lutheranorum hæreſis de in efficacia ſacramentorum quos habuit authores. 40

Zuninglij

Zuinglij & Lutheri diſcipulorum hæreſis, Non eſſe pro mortuis ſacrificandum, Arrij quondam fuit. 40
Zuinglianorum & Lutheranorũ commentũ, Non eſſe ieiunandum certis diebus, nec à quibuſdam cibis abſtinendum, olim ab Aerio & Iouiniano inuenta. 40
Zuingliana, hoc eſt Sacramentariorum ſecta octo à Luthero prodiere. 86

FINIS.

Errata ſic corrigenda. Primus numerus paginam, ſecundus lineam indicat.

Pag. 34. lin. 22. cribens. lege ſcribens. 38. 15. Entiſyaſtæ. Enthuſiaſtæ. 67. 35. Antiochia. Antiochiæ. 77. 6. Diuus. Diuo. 80. 14. perminet. pertinet. 89. 6. filium. filum. 96. 10. ab ecto. abiecto. 120. 26. iniuſtus. inuſtus. 123. 17. comitto. omitto. lin. 18. a pleroſque. ac pleroſque. 167. 10. Spiritu ſancti. Spiritus ſancti. 172. 24. erant. erunt. 187. 28. deciſcere. deſciſcere. 197. 15. hiſtoria. hiſtoriam. 199. 10. paludimento. paludamento. 241. 31. nomini. nominis. 247. 6. in titulo, Canonici. Canonicus. 251. 2. depoſitæ. diſpoſitæ. 281. 19. ſuſcitari. ſciſcitari.

Regiſtrum.

† a b c A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll

Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

OMNES SVNT DVERNIONES.

Digitized by Google

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO · ROMA ·
1922

Digitized by Google